POETARUM VETERUM LATINORUM

ET RECENTIORUM QUORUMDAM

CARMINA SENTENTIOSA

COLLEGIT, DISPOSUIT, EMENDAVIT, NOTIS PRIORUM EDITORUM PARTIM INTEGRIS PARTIM SELECTIS ILLUSTRAVIT

IOANNES CONRADUS ORELLIUS

PAROCHUS AD AEDEM SPIRITUS SANCTI ET COLLEGII CAROLINI TURICENSIS CANONICUS.

TOMUS PRIOR.

LIPSIAE,

SUMTIBUS FRIEDERICI FLEISCHERI.

MDCCCXXII.

PUBLII SYRI MIMI
ET ALIORUM
SENTENTIAE

CUM

D. LABERII PROLOGO ET FRAGMENTIS MORALIBUS.

ACCEDUNT

SENTENTIAE COLLECTAE PER GEORGIUM FABRICIUM, NEC NON IOACH. CAMERARII ET IANI ANYSII SENTENTIAE, IOS. SCALIGERI IAMBI GNOMICI ET M. A. MURETI INSTITUTIO PUERILIS.

PUBLIUM SYRUM ET LABERIUM

RECENSUIT, VERSIONEM GRAECAM IOSEPHI SCALIGERI EIUSDEMQUE IN EAM SCHOLIA ADIECIT, NOTIS VARIORUM PARTIM INTEGRIS PARTIM SELECTIS ILLUSTRAVIT, ANIMADVERSIONES IO. CASPARI ORELLII SUASQUE ET INDICES NECESSARIOS ADDIDIT

IOANNES CONRADUS ORELLIUS

PAROCHUS AD AEDEM SPIRITUS SANCTI ET COLLEGII CAROLINI TURICENSIS CANONICUS.

LIPSIAE,

SUMTIBUS FRIEDERICI FLEISCHERI.

MDCCCXXII.

PRAEFATIO.

Cum anno 1818. in Opusculis Graecorum veterum sententiosis colligendis et edendis occupatus essem, iam tum consilium cepi similis parandae collectionis Sententiarum Latinarum, quae cum, qui aetatem tulerunt, antiquos Poetas Ethicos sive Paraeneticos, tum et recentiorum contineret maxime insignes, initio facto a Publio Syro, cuius licet innumerae fere editiones exstent, cum separatae, tum Phaedro iunctae, nulla tamen hactenus mihi innotuit, quae necessariis criseos aeque ac interpretationis subsidiis instructa, iustis satisfaceret eruditorum desideriis. Cunctae scilicet cum in sententiarum numero mire discrepant, tum notarum aliae defectu, aliae, ut Gruteriana ab Havercampo curata, earundem res saepissime levioris momenti fuse explicantium, graviora contra et difficiliora silentio praetereuntium, nimia mole laborant; adeo ut, licet sententiarum cum pondere tum veritate inter antiquos Gnomographos primum locum mereatur et ad auream Latinae Linguae aetatem assurgat, inter omnes scriptores Romanos Publius Syrus fere is sit, quem, Gruterum si exceperis, recentiorum temporum Critici parum dignum habuisse visi sunt, cui curam suam diligentiamque insigniorem impenderent. Primus

illum e tenebris vindicavit Desiderius Erasmus Roterodamus Codice usus Cantabrigiensi admodum lacunoso et in litera O plane deficiente. Nam Sententias sequentibus Alphabeti literis comprehensas ex Seneca, Agellio, Macrobio, aliis supplevit. Erasmi textum maximam partem secutus est Henricus Stephanus in Poetarum veterum Latinorum Fragmentis Parisiis anno 1564. editis; sed mutato versuum ordine Sententias in locos communes digessit. Viginti Sententias antea ineditas addidit Georgius Fabricius Chemnicensis in sua editione excusa Lipsiae annis 1550. et 1567. Plenissima, Sententiarum numerum quod attinet, quas ad 980 auget, est editio e Codice Manuscripto Frisingensi, quem primus M. Velserus excussit, curata ab Adamo Sartorio, variis Operum M. A. Mureti editionibus ad calcem addita, separatim vero excusa Patavii 1769., sed eadem centum et amplius Sententiis spuriis et prosaicis ex Seneca et Pseudo-Seneca, sive Martino Episcopo Braccarensi, qui circa annum Christi 560. claruit, interpolata. Poeticarum Sententiarum plenissima collectio est, 852 comprehendens, Iani Gruteri, cum Tragoediis Senecae et in Florilegio Ethico-Politico, tum separatim cum commentario eius posthumo nimia notarum moralium aeque ac politicarum mole abundante, Lugduni Batavorum 1697. excusa, curantibus Sigeb. Havercampo et Abr. Preygero. Gruteri collectionem retinuerunt Tanaquil. Faber ad calcem Phaedri sui editi Salmurii 1664. nec non editores Phaedri Bipontini, tandem

C. H. Tzschuckius in editione sua in usum scholarum Lipsiae 1790. impressa cum brevibus annotationibus minime contemnendis. 273 tantum Sententias e Codicibus suis in lucem protulit Richardus Bentleius ad calcem Terentius et Phaedri, sed easdem omnium maxime genuinas, et in quibus ob antiquitatis colorem Publii manum facile agnoscas, cum observationibus criticis paucis quidem, sed egregiis, qualesque a summo Criticorum exspectare licebat. Bentleii recensionem presso pede secutus est Accarias de Serionne in texta latino versioni suae Francogallicae Cornelii Severi et Publii Syri Parisiis 1736. editae ad latus adiecto, nec non Bothius, et cum notis metrum maxime spectantibus C. G. Antonius in suis Phaedri editionibus.

Iam quid in nova hac editione praestitum fuerit, paucis accipe, Lector benevole. Ante omnia textum Publii partim ad Codicum Manuscriptorum a prioribus editoribus collatorum fidem, partim ad emendationes priorum interpretum aliorumque virorum doctorum maxime probabiles recognitum dedimus, in versuum ordine, quantum fieri licebat, Gruterum sequentes, additis 27 Sententiis ab ipso praetermissis; adeo ut nostra editio omnium plenissima complectatur Sententias 879. Ad latus adiecimus Iosephi Scaligeri versionem Graecam, cum eiusdem in eandem scholiis. Sententias etiam prosaicas, in editionibus Gothofredi et Sartorii Publianis perperam intrusas, haud quidem negleximus, sed separatas ab

aliis ad calcem adiecimus, ut et Fragmentum Publii cuiusdam de luxu Romanorum a Petronio servatum, quod habet etiam Tzschuckii editio. Adnotationes dedimus integras Erasmi, Scaligeri, Bentleii et Tan. Fabri, ex reliquorum autem editorum supra laudatorum notis eas tantum selegimus, quae ad Publium emendandum et illustrandum maxime pertinere viderentur. Gruteri notas paucas integras dedimus, plerasque in brevius contraximus. Comparavimus etiam versiones Sententiarum Publianarum in linguas vernaculas, Francogallicam Accariae de Sérionne; Teutonicas, Ioh. Weberi, qui Publii Sententias, sed selectas tantum, edidit et versibus rhythmicis minime contemnendis interpretatus est in Catone suo τριγλώττῳ excuso Francofurti 1705., porro Kremsierii, qui repetiit collectionem Erasmianam Lipsiae 1809.; novissimam tandem omnium Sententiarum a Grutero et Havercampo collectarum Leonardi Schwarzii, editam Goettingae 1813. Reliquis iisque haud paucis, quae emendatione aliqua aut illustratione indigere viderentur, ubi nos destituebant cum priores editores, tum alii viri docti, qui ἐν παρόδῳ et aliud agentes Publio Syro lucis aliquid attulerunt, pro virili ipsi operam navavimus: in qua haud parum nos iuvit amicitia patruelis nostri Io. Caspari Orellii, Professoris Eloquentiae et Hermeneutices sacrae in Gymnasio Turicensi meritissimi, qui benevolentissime nobiscum communicavit coniecturas suas et observationes in Publii locos difficiliores, doctas sane et

acutas, quas singulas suis locis adnotationibus nostris inseruimus. Publianis Sententiis addidimus D. Laberii Prologum et Fragmenta quaedam moralia ex W. C. L. Ziegleri commentatione de Mimis Romanorum doctissima excerpta, usi in iis corrigendis et illustrandis cum editionibus quibusdam Macrobii, qui unus Prologum hunc nobis servavit, antiquioribus, quas diligentissime contulit patruelis noster supra laudatus, tum notis virorum doctorum in Petri Burmanni Anthologia Latinorum Epigrammatum et Poematum contentis, ipsius denique Ziegleri animadversionibus. Sequi iussimus Sententias ex variis poetis latinis collectas per Georgium Fabricium Chemnicensem, cum eiusdem scholiis, descriptas e Publii Syri editione Kremsieriana, porro Sententias Ioachimi Camerarii contentas in collectione Carminum Ethicorum nitidissime excusa Parisiis 1795. typis A. A. Renouard, Iani etiam Anysii, ignoti quidem hominis, sed egregias sane et vere aureas Sententias adiectas editioni Dionysii Catonis et Publii Syri rarissimae, Tiguri circa 1529. (nam anni indicium non exstat) apud Froschoverum impressae, nec non Iosephi Scaligeri Iambos Gnomicos, ex eiusdem Poematum collectione publici iuris facta a Petro Scriverio, tandem M. A. Mureti Institutionem puerilem ex Operum illius editione novissima et emendatissima Ruhnkeniana. Adiecimus denique indices duos locupletissimos, primum grammaticum in Publium Syrum et Laberium, alterum moralem in omnes Sententiarum

scriptores vel collectores primo huius collectionis volumine contentos. Quod, si virorum eruditorum suffragia tulerit, brevi tempore, si Deus optimus maximus vitam viresque concesserit, sequetur Tomus posterior totam hanc collectionem claudens, quo continebuntur Dionysii Catonis Disticha, S. Columbani, Orientii, Theodulphi aliorumque Carmina sententiosa, Michaelis Verini Disticha ethica et alia quaedam annotationibus cum priorum interpretum tum nostris qualibuscunque illustrata.

Vale, benevole lector, et nostris laboribus fruere.

Scribebam Turici Helvetiorum die 15. Decembris 1821.

DE SENTENTIIS
PUBLII SYRI ET L. ANNAEI SENECAE.

(*E W. C. L. Ziegleri commentatione de Mimis Romanorum pag. 43. et seq.*)

Publius, natione Syrus, aequalis erat Laberii, aetate vero minor*). Salibus et ingenio cum puer iam placuisset, manumissus est a patrono suo, et maiori cura eruditus. Mimis scribendis deinde operam dedit, qui cum ingenti assensu per Italiae oppida agerentur, ipse in ludis Caesaris Romam perductus, omnes, qui tunc *scripta* et *operas* suas in scenam locaverant, provocavit, ut singuli secum posita invicem materia pro tempore contenderent, nec ullo recusante superavit omnes, in quibus et Laberium, unde Caesar palmam Publio, et Laberio annulum aureum cum quingentis sestertiis dedit. Tunc Publius ad Laberium recedentem ait:

Quicum contendisti scriptor, hunc spectator subleva.

Hactenus Macrobius Saturn. II. 7. De reliquis eius fatis atque obitu nihil apud veteres legimus. Praecelluit autem Publius morum praeceptis, quae Mimis suis**) subinde intexeret, unde Seneca *de tranq. animi* eum vocat „vehementiorem ingeniis tragicis comicisque, qui quoties

---

*) *Eo enim tempore, quo Laberius moriebatur, Publius Romae scenam tenuit,* teste Eusebio ad Olymp. 184. [*Ziegl.*]

**) Titulos Mimorum Publianorum nullus citat veterum Grammaticorum, excepto Prisciano; qui *Murmunthonem* citat Lib. X. Cap. VIII. his verbis: *Verro enim secundum Servium versi facit, secundum Charisium autem verri, quod et usus comprobat* — ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑ — *Publius in Murmunthone: Collos servorum converri.* Vide ibi notam Krehlii Tom. I. pag. 502. [*Orell.*]

„ineptias et verba ad summam caveam spectantia reliquisset,
„inter multa alia cothurno, non tantum sipario fortiora diceret.“

Etenim cum Mimi ex eo dramatum genere essent, cui necesse erat, ut interdum ex tempore ageretur, ii, qui se Mimos profitebantur, multas sententias memoriae habebant infixas, quae tanquam materies, cui Mimus superstrueretur, ubivis in promtu erant.

Superstites sunt 852 Sententiae, ordine alphabetico constitutae, quae quidem Publii Syri et L. Annaei Senecae duumvirorum nomen prae se ferunt, sed utique parum recte: Seneca enim Mimos non composuit, sed eos tantum magni aestimavit, ob egregia quae iis inerant vitae praecepta, quae identidem exscripsit, suisque inseruit scriptis. Neque enim omnes soli Publio accensendae sunt Sententiae, quae in nostra collectione continentur, quandoquidem et Laberius et Cn. Mattius propter miram dictorum festivitatem bene audiunt, unde etiam illorum Mimos excerptos fuisse probabile fiat. De Laberio extra dubium positum est; Gruterus enim exemplo Publii usus est, cuius ad calcem quaedam Laberii et multae Senecae Sententiae adscriptae erant, quas aliquis veterum in ordinem alphabetarium redigens iambis donarat; quare Gruterus omnibus his versibus titulum praefixerat hunc: *Sententiae Publii Syri et L. Annaei Senecae* (potius ex Senecae scriptis selectae), *forsan et aliorum.* Quem si reposueris, iudicium de Mimorum sententiis verius facies. Non omnes Publianas Sententias iambis concinnatas fuisse, et natura Mimorum docet, cum quaedam dicta actores ex improviso actioni accommodarent non praemeditata, adeoque pedestri oratione, et ex iis, quas ad calcem adiiciam, satis liquebit.

Selectio post Senecae demum tempora facta est, atque, ut videtur, eo consilio, ne puerorum castitas Mimis legendis detrimentum caperet. Testis est Seneca *Controv.* III. 13. „Memini, inquit, nos, cum loqueremur „de hoc genere sententiarum, quo iam infecta erant adu„lescentulorum omnium ingenia, queri de Publio, quasi „iam ille insaniam introduxisset. Cassius Severus, sum-

„mus Publii amator, aiebat, non illius hoc vitium esse, „sed illorum, qui eum ex parte, qua transire deberent, „imitarentur, transirent autem, quae apud eum melius „dicta essent, quam apud quemquam Comicum Tragicumque „que aut Romanum aut Graecum — — — — — — et „plurimos deinceps versus referebat Publii disertissimos." Itaque tunc nondum excerpta erant egregia Publii dicta; alias Cassius Severus ea adulescentulis propinasset; sed integri Mimi in vulgo legebantur.

Ad sententias ipsas quod attinet, eius illae sunt indolis, ut veritatem quandam longa experientia sancitam presse et cum gravitate exprimant, quae, etiamsi vel centies maioribus verborum veneribus dicta sit, nude pronunciata mentem vel imperitissimam omni vi sua ferit et secum rapit. *Advocatum* (ait Seneca Ep. CIV.) *ista non quaerunt*, affectus ipsos tangunt, et, natura vim suam exercente, proficiunt. Magnum porro in rebus adversis solatium praebent, et cum fere ubivis cum experientia conspirent, magna adficiunt voluptate. Quis enim est, qui non cum ictu quodam animi audiat eiusmodi:

Damnati lingua vocem habet, vim non habet.

Ita sentiebant prisci homines gravitate disciplinae et aetatis venerabiles, atque propterea serioribus temporibus in scholis proponebantur ediscendae, ut de se testatur Hieronymus. Nec dissuaderem ego, si quid ponderis haberem, ut in nostris ludis inferioribus pueri eas sibi redderent familiares; nam dignae sunt, quae neutiquam in libris pereant.

SENTENTIAE MIMORUM,

QUAE IN HAVERCAMPI EDITIONE NONDUM LEGUNTUR.

Audentes fortuna iuvat.

Piger sibi ipse obstat.

Desunt inopiae multa, avaritiae omnia. (Seneca Ep. XCIV.)

Aegre reprehendas, quod sinas consuescere. (Hieronym. Ep. ad Laetam.)

Haec Publio adiudicantur ab auctoribus laudatis, unde non omnes Sententias iambis adstrictas fuisse apparet. Poterit hic numerus forte augeri, si quis in legendis veterum monumentis attenderit; atque de his tantum sperare licet, fore ut auctori suo eae reddantur, propterea quod illae, quae sive separatim in Codd. antiquis adscriptae, sive ad calcem Codd. adiectae sunt, interpolatione non carent; nam perquam facile librarii ex suis identidem aliquid adsuere poterant, cum Sententiae non cohaererent, sed singulae sensum absolverent, unde sine dubio in nostris editionibus multae leguntur a seriori manu appositae, quae antiquitatem mentiantur.

Lepida caeterum Publii dicta et dicteria, in quibus mira festivitas, ex Aulo Gellio repeti queunt, sed ea non moror.

NOTITIA LITERARIA
DE PUBLIO SYRO.

(*E I. A. Fabricii Bibliotheca latina Lib. I. Cap. XVI. pag. 477. seqq. ed. Ernesti collata cum Th. Ch. Harlesii Notitia breviore Scriptorum Latinorum.*)

PUBLIUS Mimographus servus, natione Syrus, deinde ob ingenii solertiam a patrono suo manumissus Iuliique Caesaris Imp. qui Laberianam asperitatem ferre nequibat, in agendis fabulis favorem expertus obiit incertum quo anno Augusti Imp. Eius praeter Hieronymum in Chronico ad Olympiad. 184. saepius meminit cum laude Seneca Philosophus. Plinius Hist. N. VIII. 51. Gellius XVII. 14. Macrobius II. Saturn. 2. et 7. et Petronius *Ciceronem disertiorem; Publium honestiorem* ait fuisse, ad quem locum conferendus Dousa Lib. I. Praecidan. in Petron. Cap. 17. Pueris ediscendos olim traditos fuisse Publii versus colligas ex Hieronymi ad Laetam Epistola. Ex *Mimis* eius sive *Sententiis* lepidis et ad communem usum accommodatissimis pervenerunt ad nos non paucae, sive servatae ab antiquis, Seneca, Gellio, Macrobio, (Ioanne Saris-

beriense), sive separatim in Codicibus antiquis descriptae. Sane leguntur sub Publii nomine, legendae saepius pueris ac totae ediscendae sententiae eiusmodi 982, (sed tantum in editione Ad. Sartorii et genuinae mixtae cum spuriis) singulis versibus iambicis expressae vel trochaicis, licet in his sint fortasse aliquae, quae ipsum non habeant auctorem.

Primum *Desid. Erasmus* Roterod. e Codice Cantabrigiensi recensitos atque castigatos, etiam paraphrasi explicatos edidit Syri Mimos (cum Catonis Distichis et aliis Opusculis moralibus) Argentinae 1516. in 4. repetit. Basileae 1521. Treviris in suburbano Londinensi (vulgo Southwarke) 1524. Tiguri ap. Froschoven absque anni indicio (adiectis Iani Anysii Sententiis). Lugduni apud Gryph. 1538. Paris. ap. Morell. 1618. et saepius. *Georgius Fabricius* Chemnicensis viginti Sententias antea non vulgatas edidit in sua Sententiarum collectione Lipsiae 1550. et cum aliis ab ipso collectis Sententiis 1567. 8. Illae sunt quoque ad calcem Sententiarum e Comicis Graecis et Latinis ab Henr. Stephano editarum 1563. forma min. et in Fragmentis veterum poetarum ab eodem editis 1564. octonis, sed in locos communes digestae. Ian. Gruterus Publii Sententias edidit cum Tragoediis Senecae 1604. 8. M. Welserus anno 1608. locupletavit e MSto Frisingensi et secundum literarum seriem digessit Sententias cum notis ab Adamo Sartorio curatis. Subiicitur haec recensio variis Mureti Epistolarum atque Orationum editionibus (Ingolstadiensi et Lipsiensi ex recensione Iac. Thomasii et novissime Veronensi 1729. 8. Tomo IV. Mureti Operum), separatim excusa Venetiis 1618. Patavii ap. Comin. 1740. et 1769. Postea edidit *Ianus Gruterus: Florilegium Ethico-Politicum nunquam antehac editum, nec non Publii Syri ac L. Senecae Sententiae* (cum grandi commentario), *recognoscente I. Grutero ad MSS. Palat. et Frising. etc.* Francofurti in bibliopolio Ionae Rhodii 1610. 8. Idem Gruterus per XX annos congesserat immensam vim similium sententiarum; hinc post mortem eius enata est

copia moleque laborans editio: *L. Annaei Senecae et Publii Syri Mimi, forsan etiam aliorum singulares Sententiae, centum aliquot versibus ex Codd. Palat. et Frisingensi auctae et correctae, studio et opera Iani Gruteri, cum notis eiusdem recognitis et castigatis. Accedunt eiusdem notae posthumae, ut et nova versio Graeca Ios. Scaligeri Iulii Caesaris F.* (olim Lugduni Batavorum 1595. 8. edita cum Catonis Distichis) *nunc primum ex utriusque autographis adornatae et in lucem editae* (a Sigeb. Havercampio et Abrah. Preygero) Lugd. B. 1708. 8. et 1727. 8. Cum versione Graeca Scaligeri notisque Erasmi et *Emanuelis Swedbergii* prodierunt Publii Syri sententiae Upsal. 1709. 8. in usum Gymnasii Friedericiani editae a S. Ranischio Altenburgi 1756. 8. a Car. Henr. Tzschuckio cum brevibus notis in usum scholarum Lipsiae 1790. forma minore, tandem a Iac. Elphinstonio Britanno cum D. Laberio, L. A. Seneca, Dionysio Catone, adiuncta versione Anglica, Londini 1794. 12.

Phaedri Fabulis adiunctae leguntur P. Syri Sententiae in editionibus Tan. Fabri Salmurii 1611. 8. cum paucis annotationibus. Hoadlii Lond. 1703. 1704. 1712. 8. Alexandri Cuninghami Edinb. 1751. 1757. 8. porro cum Phaedro Paris. ex typogr. Regia 1729. Paris. ap. Coustelier 1742. 12. ibid. 1748. 12. I. G. Walchii Lipsiae 1713. I. Pet. Milleri Berol. 1753. 8. cum Indice singulari in Publium Syrum, tandem cum Phaedro et Aviano Biponti 1784. 8. In his editionibus recepta est recensio I. Gruteri. Delectum Sententiarum, eas scil. quas in Codd. suis invenit, edidit Rich. Bentleius cum Terentio et Phaedro, qui notas adiecit criticas, quem secuti Accarias de Serionne in versione Francogallica Aetnae Cornelii Severi et Sententiarum Publii, Bothius cum Phaedro Lips. 1803. et C. G. Anton cum eodem, adiectis notis metrum maxime spectantibus, Zittaviae 1820. octonis. Occurrunt etiam P. Syri Sententiae in Theodori Zwingeri Morum Philosophia 2. Tomis edita Basileae 1575. 8. inter P. Pithoei Poematia antiqua, in collectione Poematum Ios. Scaligeri

edita per P. Scriverium Lugd. B. 1615. 12. inter Opera et Fragmenta Poetarum Latinorum a Mich. Maittaire edita Lond. 1713. fol. vol. II. pag. 1520. atque in Collectione Pisaurensi. In Linguam Anglicam redditus est P. Syrus a R. Taverner Londini 1539. et 1540. a Carolo Hoolo cum Catonis Distichis Londini 1659. 1670. 1704. 8. et 1749. 12. et a Iac. Elphinstonio: in Francogallicam ab Accaria de Serionne in editione supra laudata: in Teutonicam a Ioh. Webero versibus rhythmicis in Catone τριγλώττῳ edito Francofurti 1703. 8. a Frid. Kremsier Lipsiae 1809. 8. addito textu latino ex recensione Desid. Erasmi cum eiusdem scholiis et sententiis veterum poetarum per Georgium Fabricium collectis, tandem (integra Gruteri collectio) a I. L. Schwarzio Goettingae 1813. 8. cum poemate inscripto *der goldne Dreyfuss.* Gerhardi Vossii filii notae et castigationes, quas cum H. Ernstii variantibus lectionibus circa annum 1637. edere voluit, haud viderunt lucem. Vide Vossii patris Epistolam 299. ad Salmas. *Gallicam* Caroli Montani, qui circa annum Christi 1500. floruit, Metaphrasin memorat in Bibliotheca Gallica Crucimannus.

DE LABERIO
PRAESTANTISSIMO ROMANORUM MIMOGRAPHO.

(*E W. C. L. Ziegleri commentatione de Mimis Romanorum pag. 47. et seqq.*)

Natus est Decimus Laberius eques Romanus anno u. c. 647., ut inde liquet, quod ipse in prologo eximio, quem Macrobius Sat. II. 7. servavit, se a. u. c. 705. sexagesimum agentem annum iussu Iulii Caesaris in scenam descendisse profitetur.*) Videtur iis nobilium Romano-

*) *Egregie haec omnia collegit Becher, eruditus Beckii V. Cl. alumnus, in libello inscripto: Laberii prologus, praecedit historia Poeseos Mimicae apud Romanos, Lips. 1787. qui et al-*

rum scriptoribus accensendus esse, quos sola Musarum delectatio ad otium literarium et scribendi studium impulit. Occupabatur igitur scribendis Mimis, quos histrionibus coram populo agendos traderet. Valde mordax in his publica et privata Romanorum vitia redarguit, ut inde pudere et erubescere discerent: quam dicacitatem pariter atque obscoenitatem praecipue verbis ambiguis captabat, *Pomponium* Atellanarum scriptorem sectatus *). Attamen praeclaris erat moribus, et ingenio urbano, quod ex sequentibus patebit. Natus iam sexaginta annos, cum Iulius Caesar, Romanorum animos bello civili efferatos ut permulceret et obsequio assuefaceret, varii generis spectacula et ludos per omnes urbis regiones ederet. In hoc ludorum scenicorum apparatu, ut omni, quo fieri posset modo, illos redderet illustriores, omnes, qui tunc scripta et operam suam scenae locaverant, protraxit**); inter hos quoque Laberium precibus et quingentis millibus invitavit, ut ipse in scena Mimos, quos scribebat, ageret, et simul cum Publio certaret. Compulsus tandem ad hanc, quam scenica actio inferret, infamiam, ut se populo Romano purgaret, Mimo suo praemisit prologum dignum, qui inter praestantissima Romanorum monumenta referatur, de quo si iudicium ad Mimos eius perditos transferre liceret, mirum quantam nos in illis fecerimus iacturam. Aestimandus autem magis ex affectus, qui in eo regnat, veritate, quam ex ingenii vigore, quo pollebat Laberius: licet turpissima depressus esset infamia, nihilominus libertatis Romanae sensum tam

---

tius rem mimicam indagare voluisset, neque aliorum auctoritati nimis velificari, me hoc labore exclusisset. [*Ziegl.*]

*) Seneca Lib. III. Controv. 18. *Deinde auctorem huius vitii, quod ex captione unius verbi plura significantis nascitur, Cassius Severus aiebat Pomponium Atellanarum scriptorem fuisse, a quo primum ad Laberium transiisse hoc studium imitandi, deinde ad Ciceronem, qui illud ad virtutum studia transtulisset.* [*Z.*]

**) *Male Becher.: Caesar provocavit, ut singuli secum, posita invicem materia aliqua, ex tempore certarent. Haec apud Macrob. l. l. de Publio narrantur.* [*Z.*]

alte animo suo infixum habebat, ut de ea omnia graviter ac magnifice pronuntiaret. Ipsum quidem argumentum Mimi, cui praemissus hic a Laberio prologus, ignoramus; at quanta cum audacia Caesaris incontinentiam persecutus sit, vel pauci isti versus, quos Macrobius l. c. addidit, nos docere possunt. Induebat nimirum personam cuiusdam Syri, et veluti verberibus caesus fugientique similis exclamabat:

Quirites, libertatem perdidimus.

Et paulo post adiecit:

Necesse est multos timeat, quem multi timent.

Quo versu pronuntiato totum populum in Caesarem non aliter vertit, quam si missa esset vox publici affectus. Ob haec Caesar in Publium Syrum convertit favorem, Laberio autem, ut amissam scenica actione dignitatem equestrem recuperaret, annulum aureum cum quingentis sestertiis dedit, ipsumque a scena in quatuordecim gradus ad spectandum transire iussit. Sed equester ordo, qui facto Caesaris maxime sese offensum putaret, Laberium recipere nolebat. Accedente Laberio et sedem quaerente, omnes equites ita se coarctabant, ut ei nullus superesset locus. Animadvertens Cicero eum perturbatum, dicebat transeunti: *Recepissem te, nisi anguste sederem;* multos enim in senatum legerat Caesar, ut expleret exhaustum bello civili ordinem, et ut his, qui bene de suis partibus meruerant, gratiam referret: Laberius autem exprobrans Ciceroni levitatem et Pompeio et Caesari studentem, respondit: *Mirum, si anguste sedes, qui duabus sellis sedere soleas.**) Ad extremam senectutem pervenit corpore valido et sensibus integris, donec Puteolis obiit maior sexagenario, decem menses post Caesarem interfectum, auctore Eusebio ad Olymp. 184.

(Sequitur prologus quem supra dedimus.)

---

*) *Fusius haec narrantur a Seneca Controv. VII. 8. Macrob. II. 3. et VII. 3. Sueton. in Iul. Caes. C.* 39. [*Z.*]

DE EODEM NOTITIA LITERARIA.

(*Ex Fabricio et Harlesio.*)

DECIMUS LABERIUS natus videtur Müllero a. U. C. 645. Cel. autem Saxius in Onomast. Tom. I. p. 560. ex Hieronymi Chronico Eusebiano ad Olymp. 184. p. 153. natum eum scribit Olymp. 181. 3. ante C. N. 52. a. U. C. 700. sed error typographicus erit, quoniam annus mortis in a. U. C. 711. confertur. Fuit eques Romanus, et impellente Iulio Caesare, quum multorum esset Mimorum auctor, cum Publio Syro in scena certamen iniit, sed iudice Caesare inferior discessit. At quum in theatro ageret, eoque rem ordine equestri indignam faceret, annulo dato eum reddidit illi ordini Caesar, indignantibus reliquis equitibus. Mortuus est Puteolis a. U. C. 710. a. C. N. 43. Nihil ex eius Mimis, Horatio etiam laudatis, exstat praeter Prologum, quem Macrobius servavit, et pauca quaedam Fragmenta, quae Scaliger Poet. Lib. I. p. 39. ita laudat, ut ipsi Laberius elegantia et sermonis puritate etiam omne Latium provocasse videatur. Alii, etiam antiquiores, quaedam in eo vituperant. Mimi Laberii a veteribus citantur hi, quos observavit Christophorus Wase Exercitatione tertia animadversionum Nonianarum. *Alexandra* Gell. *Anna Perenna* idem et Non. *Aquae calidae* id. *Aries* Tertull. de pallio. Charis. *Augur* id. *Aulularia* Non. *Belonistria* seu *Frugia* (*Phrygio*) id. *Cacomnemon* Gell. *Caeculi* Charis. *Cancer* Prisc. Tertull. Apologetico. *Carcer* Non. *Catularius* vel *Scylax* Gell. Non. *Centonarius* Non. *Colax* id. *Colorator* Gell. *Compitalia* Non. Gell. *Cophinus* iid. *Creuntes* (an *Creon?*) Charis. *Ephebus* Macrob. *Fullones* Gell. Non.

Galli iid. *Gemelli* Gell. *Imago* Non. *Lacus Avernus* Gell. Non. *Marcus* Non. *Natal* (an *Natta?*) Gell. *Necyomantia* id. *Nuptiae* Non. *Panilici* id. *Paupertas* id. *Piscator* Charis. *Restio* Gell. Non. *Salinator* Gell. *Saturnalia* id. *Sedigitus* id. *Sorores* Gell. Non. *Staminariae* Gell. *Taurus* Diomed. Praelicenter verba latina Laberium finxisse notat Gellius XVII. 7. Eius Fragmenta sunt in Fragmentis vet. poetarum per Stephanos 1564. 8. in Maittaire Operibus et Fragmentis vett. Poet. Lat. Tom. II. et in Collectione Pisaurensi Tom. IV. at multo auctiora illa edidit M. Werner, Carol. Ludov. Ziegler in Disputatione de Mimis Romanorum Goettingae 1788. 8. Prologum cum Fragmentis praecipuis recepit Petrus Burmannus II. in Anthologiam Latinorum Epigrammatum et Poematum Lib. III. No. 101. 102. cum notis variorum. In linguam Franco-gallicam transtulit et notis illustravit Car. Rollin in L t: *Maniere d'enseigner et d'etudier les belles lettres.* in linguam Teutonicam Friedr. Liebegott Becher cum textu latino et notis in Epist. gratulat. *D. Laberii Mimi prologus: praecedit historia poeseos mimicae apud Romanos,* Lipsiae 1787. 8. (Versionem Wielandi Teutonicam et Graecam Scaligeri in nostram editionem recepimus. O.) De Mimis confer Vossium in Etymologico, de Pantomimis Cassiodorum etiam Lib. I. Epist. 20. et Benedictinos notis ad S. Ambrosium Tom. I. pag. 1026. De utrisque Octavii Ferrarii et Nic. Calliachii Dissertationes et Ferd. Mendozam ad Concil. Illiberitanum Tom. I. Labbei p. 1321. seq. [et Zieglerum in Disputatione supra laudata. O.]

DE MIMIAMBIS CN. MATTII.

(E Ziegleri disputatione de Mimis Rom. pag. 65.)

Vixit Mattius tempore Caii Caesaris, cuius amicissimus fuit magis propter insignem ingenii et eruditionis praestantiam, quam quod interanniones Palatii aliorum Mimorum instar referretur. Mimos scripsit iambis et Iliada Homeri transtulit, sicut Livius Andronicus ducentis

aliquot annis antea Odysseam verterat. Quoniam vero literarum Graecarum egregie peritus vatem pari lepore et elegantia fecerat Romanum, porro verba antiqua revocarat, aliaque nova scite finxerat, doctus et impense doctus a priscis auctoribus nominatur. Quin Antonius Iulianus his novis verborum figmentis aures suas mire demulceri saepius professus est. Gellius X. 24. XX. 9. Non confundendus est cum Caio Mattio, Ciceronis familiari, cuius epistolae exstant ad Fam. Lib. IX. Ep. 27. et 28. Praeclare utrumque Mattium distinctum invenies a commentatoribus ad Sueton. Caes. (pag. 88. ed. Graevii): diversus etiam a C. Mattio, Augusti amico, atque (ut Burmannus ad Quintil. I. O. Lib. III. Cap. 1. pag. 217. suspicatur) filio modo memorati C. Mattii, Caesaris amici, quem tamen Scaliger in Coniect. ad Varron. de L. L. pag. 149. aut in exempl. Bipont. pag. 236. notar. eundem censet, qui Mimiambos scripsit et Iliada vertit. Adde G. I. Voss. Poet. Institut. Lib. II. Cap. 33. pag. 163. item Spalding. ad Quintil. I. O. III. 1. pag. 433.

TESTIMONIA
VETERIS AC RECENTIORIS AEVI
DE
P. SYRO MIMO.

SENECA *Epist. VIII.*

Quantum disertissimorum versuum inter Mimos iacet? Quam multa Publii non excalceatis, sed cothurnatis dicenda sunt? Vnum eius versum, qui ad philosophiam pertinet, et ad hanc partem, quae modo fuit in manibus, referam, quo negat fortuita in nostris habenda:

Alienum est omne, quicquid optando venit.

Idem Epist. XCIV.

Numquid rationem exigis, cum tibi aliquis hos dixerit versus?

Iniuriarum remedium est oblivio etc.

Advocatum ista non quaerunt: affectus ipsos tangunt, et natura vim suam exercente proficiunt.

Idem ibidem.

Quis autem negaverit, feriri quibusdam praeceptis efficaciter etiam imperitissimos? velut his brevissimis vocibus, sed multum habentibus ponderis:

Avarus animus nullo satiatur lucro.

Ab alio exspectes, alteri quod feceris.

Haec cum ictu quodam audimus, nec ulli licet dubitare, aut interrogare: Quare? Adeo etiam sine ratione ipsa veritas ducit.

Idem Epist. CVIII.

Non vides, quemadmodum theatra consonent, quoties aliqua dicta sunt, quae publice agnoscimus, et consensu vera esse testamur?

Desunt inopiae multa, avaritiae omnia.
In nullum avarus bonus est, in se pessimus.

Et paulo post:

De contemptu pecuniae multa dicuntur, et longissimis orationibus haec praecipiuntur, ut homines in animo, non in patrimonio putent esse divitias: eum esse locupletem, qui paupertati suae aptus est, et parvo se divitem fecit. Magis tamen feriuntur animi, cum carmine eiusmodi dicta sunt:

Is minimo eget mortalis, qui minimum cupit.
Quod vult habet, qui velle, quod satis est, potest.

Cum haec atque eiusmodi audimus, ad confessionem veritatis adducimur. Illi enim, quibus nihil satis est, admirantur, acclamant, odium pecuniae indicunt.

Rursus de Tranquill. animi.

Publius Tragicis Comicisque vehementior ingeniis, quoties mimicas ineptias et verba ad summam caveam spectantia reliquit, inter multa alia cothurno, non tantum sipario fortiora, et hoc ait:

Cuivis potest accidere, quod cuiquam potest.

Hoc si quis in medullas demiserit, et omnia aliena mala, quorum ingens quotidie copia est, sic adspexerit, tamquam illis liberum et ad se iter sit, multo ante se armabit, quam petatur.

Et in Consol. ad Marciam Cap. IX.

Egregium versum et dignum audivi, qui non in populo periret:

Cuivis potest accidere, quod cuiquam potest.

Seneca Pater Controv. VII. C. 3.

Vsus colore est et Publianam sententiam dixit: *Abdicationes suas,* inquit, *veneno diluit.* Et iterum: *Mortem,* inquit, *meam effudi.* Memini nos, quum loqueremur de hoc genere sententiarum, quo iam infecta erant adulescentulorum omnium ingenia, queri de Publio, quasi iam ille hanc insaniam introduxisset. Cassius Severus, summus Publii amator, aiebat, non illius hoc vitium esse, sed illorum, qui illum ex parte, qua transire deberent, imitarentur: transirent, quae apud eum melius essent dicta, quam apud quemquam Comicum Tragicumque aut Romanum aut Graecum: ut illum versum, quo aiebat unum versum inveniri non posse meliorem:

Tam deest avaro quod habet, quam quod non habet.

et illud de eadem re dictum:

Desunt luxuriae multa, avaritiae omnia.

et illos versus, qui huic quoque ter abdicato possent convenire:

O vita misero longa, felici brevis.

Et plurimos deinceps versus referebat Publii disertissimos.

Petronius Arbiter.

Quid putes inter Ciceronem et Publium interesse? Ego alterum puto disertiorem fuisse, alterum honestiorem.

A. Gellius Noct. Attic. L. XVII. C. 14.

Publius Mimos scriptitavit, dignusque habitus est, qui suppar Laberio iudicaretur. C. autem Caesarem ita Laberii maledicentia et arrogantia offendebat, ut ac-

ceptiores et probatiores sibi Publii, quam Laberii Mimos praedicaret. Huius Publii sententiae feruntur pleraeque lepidae, et ad communem sermonum usum commendatissimae, ex quibus sunt istae singulis versibus circumscriptae, quas libitum hercle est adscribere:

Malum est consilium, quod mutari non potest etc.

Macrobius Lib. II. Saturn. C. 2. et 7., ubi multa de salibus et ingenio Laberii et Publii habet, et haec refert:

Publius natione Syrus, cum puer ad patronum domini esset adductus, promeruit eum non minus salibus et ingenio, quam forma etc. Ob haec et alia manumissus, et maiore cura eruditus, cum Mimos componeret, ingentique assensu in Italiae oppidis agere coepisset, productus Romae per Caesaris ludos, omnes, qui tunc scripta et operas suas in scenam locaverant, provocavit, ut singuli secum posita invicem materia pro tempore contenderent, nec ullo recusante superavit omnes; in quis et Laberium: unde Caesar arridens hoc modo pronuntiavit:

Favente tibi me, victus es, Laberi, a Syro.

statimque Publio palmam et Laberio annulum aureum cum quingentis sestertiis dedit etc.

Hieronymus in Chron. Euseb. ad Olymp. CLXXXIV. ann. 2.

Laberius, Mimorum scriptor, decimo mense post C. Iulii Caesaris interitum Puteolis moritur. Publius Mimographus, natione Syrus, Romae scenam tenet.

Idem Epist. ad Laetam.

Legi quondam in scholis puer:

Aegre reprehendas, quod sinas consuescere.

Desiderius Erasmus Chil. IV. Cent. V. n. 6.

Omnes fere Publianas sententias video proverbiorum vice fuisse celebratas, nec iniuria sane: nihil enim illis

fingi potest nec argutius nec iucundius. Cuius Mimos ipsi nuper emendatos non gravati sumus brevissimis scholiis explicare.

Iul. Caes. Scaliger Poëtices Lib. I. C. 10.

Hos Latini Mimos vocant ex Publio et Laberio, qui eo in genere excelluere.

Idem ibidem.

Translata in Italiam argumenta adeo salibus et dicacitate aucta sunt, ut unus Publius universam Graeciam ea laude spoliarit; Laberius autem elegantia et sermonis puritate etiam omne Latium provocavit.

SERIES EORUM,

QUAE PRIORE HUIUS COLLECTIONIS TOMO CONTINENTUR.

PUBLII SYRI

ET ALIORUM

SENTENTIAE.

ΠΟΥΒΛΙΟΥ ΣΥΡΟΥ ΜΙΜΙΑΜΒΟΙ.

A

PUBLII SYRI

ET

ALIORUM VETERUM SENTENTIAE

A.

A morte semper homines tantundem absumus.
Ab álio exspectes, álteri quod féceris.
Ab amánte lacrymis rédimas iracúndiam.
Abséntem laedit, cum ébrio qui lítigat.
Ad cálamitatem quílibet rumór valet.
Ad poénitendum próperat, cito qui iúdicat.
Ad trístem partem strénua est suspício.
Adulter est uxoris amator acrior.
† Aegré reprendas, quód sinas consuéscere.
Aes debitórem leve; gráve inimicúm facit.
Aetas cinaedum celat, aetas indicat.
Aliéna nobis, nóstra plus aliís placent.
Aliénum aes homini ingénuo acerba est sérvitus.
Aliénum est omne, quicquid optandó venit.

Versus, quibus signum † praefixum est, non comparent in editione Havercampi.

Versus ictuum accentibus notati, sunt ex editione Rich. Bentleii.

ΠΟΥΒΛΙΟΥ ΣΥΡΟΥ
ΜΙΜΙΑΜΒΟΙ.

(Graecis versibus redditi per Ios. Scaligerum Iul. Caes. F. [1]) cum eiusdem in suam versionem Scholiis.)

Θανάτου τοσοῦτον ὑστεροῦμεν οἱ βροτοί.
Ἔλπιζ᾽ ἀπ᾽ ἄλλου τοῖον, οἷόν σφ᾽ εἰργάσω.
Ἐρῶντος ὀργὴν δακρύοις παρηγόρει.
Ὁ τῷ παροίνῳ συμπεσὼν σκιαμαχεῖ. [2])
Δεινὴ τὸ δόξαι πρὸς τὸ δυστυχὲς ῥοπή.
Κριτὴς σφαδάζων εἰς τὸ μεταμέλειν τρέχει.
Πρόθυμον εἰς τὸ χεῖρόν ἐσθ᾽ ὑποψία.
Ἰδίας γυναικὸς μοιχός ἐστ᾽ ἐρῶν ἄγαν.
— — — — — — — —
Χρυσοῦ μικρὸν δάνεισμα, μέγα ἐχθρὸν ποιεῖ.
Κρύπτει χρόνος κίναιδον; ἐκφαίνει χρόνος.
Ἄλλους ἀρέσκει τἀμὰ, καὶ τὰ τῶνδ᾽ ἐμέ.
Ἐλευθέρῳ δάνεισμα δουλείαν φέρει. [3])
Ἀλλότρι᾽ ἐστὶν ἃ ᾽ξέβη ποθούμενα.

---

1) Ipse Scaliger in Scaligerianis pag. 132.: *Gruter avoit fait imprimer un Syrus augmenté: j'ay tout tourné de nouveau en 4 jours.*

2) Ad verbum esset: *Τύπτεις ἀπόντα τῷ παροίνῳ συμπεσὼν* aut *συμπλακείς.* Sed *ἑλληνικώτερον* est, *σκιαμαχεῖν.*

3) Vel: *Δουλοῖ δάνος σε, κἂν ἐλεύθερος πέλῃς.* Sed Graecus vetus est versiculus:

Τὰ δάνεια δούλους τοὺς ἐλευθέρους ποιεῖ.

Altérius damnum gaudium haud faciás tuum.
Amáns iratus múlta mentitúr sibi.
Amáns quid cupiat, scít; quid sapiat, nón videt.
Amáns quod suspicátur, vigilans sómniat.
Amáns, ita ut fax, ágitando ardeſcít magis.
Amáre et ſapere víx Deo concéditur.
Amáre iuveni frúctus est, crimén seni.
Amántis iusiurándum poenam nón habet.
Amantium ira, amoris integratio est.
Amés parentem, si aéquus est; si alitér, féras.
Amicis eo magis dees, quo nihil habes.
Amicitia pares aut accipit, aut facit.
Amicitia semper prodest, amor et nocet.
Amicitiae coagulum unicum est fides.
Amici vitia nisi feras, facis tua.
Amíci vitia sí feras, facís tua.
Amici vitia noveris, non oderis.
Amicum, an nomen habeas, aperit calamitas.
Amicum laedere ne ioco quidem licet.
Amicum perdere est damnorum maximum.
† Amíssum quod nescítur, non amíttitur.
Amor ánimi arbitrio súmitur, non pónitur.
Amor éxtorqueri nón pote, elabí pote.
Amori finem tempus, non animus facit.
Amóris vulnus sánat idem, quí facit.
Amór misceri cúm timore nón potest.
Amor otiosae causa solicitudinis.
Amor, ut lacryma, oculis oritur, in pectus cadit.
Angusta capitur tutior mensa cibus.
Animó dolenti níhil oportet crédere.
Animo imperabit sapiens, stultus serviet.
Animo virum pudicae, non oculo eligunt.
Animus aeger, turbae praebet spectaculum.

---

4) Vel aliter:
Ἐρῶν πόθῳ δέδορκε, τυφλώττει δὲ νῷ.

5) Vel: Φιλία μὲν ἀεὶ συμφέρει, βλάπτει δ' ἔρως.

Χαρὰν ἑαυτοῦ μὴ ποιεῖν τ' ἄλλων κακά.
Ὀργῇ καθ' αὑτοῦ πόλλ' ἐραστὴς ψεύδεται.
Ἐρῶν τί, λῇ μὲν, οὐχ ὁρᾷ δὲ, τί φρονεῖ. 4)
Ὁ φοβοῦντ' ἐρῶντες, τοῦτ' ὀνειρώττουσ' ὕπαρ.
Ἐρῶν τιναχθεὶς μᾶλλον, ὡς δὰς, ἅπτεται.
Ἐρᾷν ἅμα φρονεῖν τε κοὐ Θεῷ πάρα.
Ἔρως νέῳ κάρπωμα, γηραιῷ ψόγος.
Ποινὴν ἐραστῶν ὅρκος οὐκ εἰσπράττεται.
Ἔρωτος ἀνακαίνισμ' ἐρώντων αἱ μάχαι.
Πρᾶον φίλει τεκόντα, δύσκολον φέρε.
Ὅσον ἐνδέῃ, τόσον καθυστερεῖς φίλων.
Φιλία λαβεῖν εἴωθεν ἢ ποιεῖν ἴσους.
Φιλία μὲν αἰεὶ χρηστὸν, ἐπιβλαβὲς δ' ἔρως. 5)
Κόλλημα φιλίας ἐστὶν ἡ πίστις μόνη.
Ποιεῖς ἑαυτοῦ τοὺς φίλου μισῶν τρόπους.
— — — — — — — — — —
Φίλου μὲν ἤθη γνῶθι, μίσησον δὲ μή.
Τὰ δείν' ἐλέγχει, πότερα φίλος ἢ τοὔνομα.
Φίλους δυσωπεῖν οὐδὲ προσπαίζοντα δεῖ.
Φίλου στερεῖσθαι ζημιῶν ὑπερτάτη.
Ὃ φροῦδον ἠγνόηκας, οὐκ ἀπόλωλέ σοι.
Ἐρᾷν ἐφ' ἡμῖν ἐστὶ, παύσασθαι δὲ μή.
Ἔρως δυσεκβίαστον, ἀλλ' ὀλισθαίνει.
Χρόνος ἔρωτ' ἔπαυσεν, οὐ προαίρεσις.
Ἔρως ὁ τρώσας αὐτός ἐσθ' ἰώμενος.
Ἔρως φόβῳ πέφυκε δυσμίκτως ἔχειν.
Ἔρως μερίμνης αἴτιον κακοσχόλου.
Ὡς δάκρυ ἀπ' ὄσσων στέρνον εἰσέῤῥευσ' ἔρως.
Στενῆς τραπέζης ἐστ' ἀκίνδυνος τροφή.
Οὐ πιστὰ ἐστὶν οὐδὲν ἀλγούσῃ φρενί.
Θυμῷ σοφὸς ἐπέταξε, δουλεύσει δ' ἄφρων. 6)
Ἄνδρ' οὐχ ὁράσει, νῷ δ' ἑλοῦνθ' αἱ σώφρονες. 7)
Θέαμα τοῖς πολλοῖσιν ἐστ' ἀλγοῦσα φρήν.

---

6) Vel: Θυμοῦ σοφὸς μὲν κύριος, δοῦλος δ' ἄφρων.

7) Vel: Ἄνδρ' οὐχ ὁράσει, τῷ δὲ νῷ σώφρων ἑλεῖ.
Vel etiam: Ἄνδρα φρεσὶν, οὐκ ὄσσοισιν ἡ σώφρων ἕλοι.

Animus vereri qui scit, scit tuta ingredi.
Animus hominis quicquid sibi imperat, obtinet.
Annosus non diu vixit, diu fuit.
Anús cum ludit, mórti deliciás facit.
Apérte mala cum est múlier, tum demum ést bona.
Arcum intensio frangit, animum remissio.
Ars non ea est, quae ad effectum casu venit.
Aspicere oportet, quidquid nolis perdere.
Avaro quid mali optes, nisi ut vivat diu?
Avárum facile cápias, ubi non sís idem.
Avarum irritat, non satiat pecunia.
† Avárus animus núllo satiatúr lucro.
Avarus damnò potius, quam sapiens dolet.
Avarus ipse miseriae causa est suae.
Avárus, nisi cum móritur, nil recté facit.
Audendo virtus crescit, tardando timor.
Auferri et illud, quod dari potuit, potest.
Avidum esse oportet neminem, minime senem.
Aut amát, aut odit múlier, nihil est tértium.
Auxília humilia firma consensús facit.

B.

Bene vulgo audire est alterum patrimonium.
Bene cógitata si éxcidunt, non óccidunt.
Bene dórmit, qui non séntit, quam male dórmiat.
Beneficia donari aut mali aut stulti putant.
Benefícia plura récipit, qui scit réddere.
Benefici nunquam, cito dati obliviscere.
Benefícium accipere, líbertatem est véndere.
Benefícium dando accépit, qui dignó dedit.
Benefícium dignis úbi des, omnes óbliges.
Benefícium dare quí nescit, iniusté petit.
Beneficium qui dedísse se dicít, petit.

Ἄπταιστα βαίνειν οἶδεν εὐλαβὴς τρόπος·
Ὧν οἱ ἐπιτάττει νοῦς ἐπήβολος κυρεῖ.
Λήθ᾽ ἐγένετ᾽, οὐκ ἐβίωσε δήθ᾽ ὁ πολυετής.
Παίζουσα γραῦς Χάροντι καλλωπίζεται. 8)
Ἐσθλὴ γυνὴ ἐστὶν, ἥτις ἐμφανῶς κακή.
Τόξον τόνος, χάλασμα τὸν νοῦν ῥήγνυσι.
Οὐ φημὶ τέχνην, ἧς τυχήρης ἔκβασις.
Ὅτ᾽ οὐ θελήσαις ἀπολέσαι, βλέπειν χρεών.
Τί τοῦ μακρὸν ζῆν ῥίγιον φιλαργύρῳ;
Φειδωλὸν εὖ θηρῷ᾽ ἂν, οὐ τοιοῦτος ὤν.
Κέρμ᾽ οὐ κορεῖ φειδωλὸν, ἀλλ᾽ ἐρεσχελεῖ.
Τὸν κίμβιχ᾽ οὐδεὶς κερδέων αἱρεῖ κόρος.
Φειδωλὸς ἀλγεῖ μᾶλλον, ἢ σοφὸς, βλάβῃ.
Φειδωλὸς ἄτην αὐτὸς αὑτῷ προξενεῖ.
Φειδωλὸς οὐδὲν, πλὴν ἀποζῶν, εὖ ποιεῖ.
Ἀνδρισμὸν αὔξει θάρσος, ὄκνος δειλίαν.
Ἀφαιρετὸν πέφυκεν εἶναι πᾶν δοτόν.
Μηδὲν ἐπιθυμεῖν, καὶ γέρονθ᾽ ἧττον, πρέπει.
Γυνὴ δύ᾽ ἀμέσως οἶδε, μισεῖν, ἢ φιλεῖν.
Στεῤῥοῖ βοηθοὺς ἀσθενεῖς τὸ συμφρονεῖν.

Καλῶς ἀκούειν δευτέρα περιουσία. 9)
Οὐκ ἂν θάνοιεν, κἂν ῥυῶσ᾽ εὐβουλίαι.
Εὕδει μάλ᾽, ἑαυτὸν ὃς λέληθ᾽ εὕδων κακῶς.
Χάριτας δίδοσθαι μῶρος οἴετ᾽ ἢ κακός.
Εὐεργετεῖται πόλλ᾽, ὃς οἶδ᾽ ἀντευποιεῖν.
Χάριτος δοθείσης ὠκέως μὴ ἐπιλάθου.
Χάριν λαβὼν τῷ δόντι σαυτὸν ἐμπολᾶς.
Διδοὺς ἐλήφατ᾽, ἥν τις ἀξίῳ διδῷ.
Ἐνόχους, ἐπαρκῶν ἀξίοις, πάντας ποιεῖς.
Εὐεργετεῖν ἄϊδρις οὐκ αἰτεῖ καλῶς.
Εὐεργετῆσαι φάς ποτ᾽ εἰσπράττεις χάριν.

---

8) Potes etiam: *Παίζουσα θανάτῳ γρηῢς ὡραΐζεται*: quamquam ἰωνίζει.

9) Vel: *Καλῶς ἀκούειν πλοῦτος ἐστὶ δεύτερος.*

Beneficium saepe dare docere est reddere.
Bene perdis gaudium, ubi dolor pariter perit.
Bene perdit nummos, iudici quos dat nocens.
Bene vixit is, qui potuit, cum voluit, mori.
Benevolus animus maxima est cognatio.
Benignus etiam dandi causam cogitat.
Bis emori est alterius arbitrio mori.
Bis gratum est, quod dato opus est, ultro si offeras.
Bis interimitur, qui suis armis perit.
Bis peccas, cum peccanti obsequium accommodas.
Bis vincit, qui se vincit in victoria.
Blanditia, non imperio, fit dulcis Venus.
Bona comparat praesidia misericordia.
Bona fama in tenebris proprium splendorem obtinet.
Bona, imperante animo, fiet pecunia.
Bona homini mors est, vitae quae extinguit mala.
Bona nemini hora est, ut non alicui sit mala.
Bona opinio hominum tutior pecunia est.
Bona quae veniunt, nisi sustineantur, opprimunt.
Bonarum rerum consuetudo est pessima.
Bona turpitudo est, quae periculum vindicat.
Boni est viri etiam in morte nullum fallere.
Bonis nocet, quisquis pepercerit malis.
Bonitatis verba imitari maior malitia est.
Bono iustitiae proxima est severitas.
Bonorum crimen est officiosus miser.
Bonum ad virum cito moritur iracundia.
Bonum est fugienda adspicere in alieno malo.
Bonum est etiam bona verba inimicis reddere.
Bonum quidem supprimitur, nequam exstinguitur.
Bonus animus laesus gravius multo irascitur.
Bonus animus nunquam erranti obsequium accommodat.
Brevis mens ipsa est memoria iracundiae.
Brevis ipsa vita est, sed malis fit longior.

---

10) In editis huic versui adiecta erat vox χρόνῳ; procul dubio praeter voluntatem maximi viri. [Havercamp.]

Τίνειν διδάσκεις πολλάκις διδοὺς χάριν.
Λύπης φθαρείσης εὖ χαρὰ συναπόλλυται.
Εὖ ὤλεσεν τὸ κέρμ᾽ ὁ φεύγων, δοὺς κριτῇ.
Ὁ θανεῖν δυνηθεὶς, ὅταν ἔδοξ᾽, ἔζησεν εὖ.
Ἦθος φιλόφρον ἐστὶ συγγένει᾽ ἄκρα.
Ζητοῦσ᾽ ἀφορμὴν τοῦ ποιεῖν εὖ δαψιλεῖς.
Θανεῖν ἐπ᾽ ἄλλων αἱρέσει διττὸς μόρος.
Ἢν τὸ δέον εὐθὺς δῷς ἑκὼν, διττὴ χάρις.
Διττῶς τέθνηχ᾽ ὁ τοῖς ὅπλοις ἰδίοις θανών.
Εἴκων ἁμαρτάνοντι δίςθ᾽ ἁμαρτάνεις.
Κρατῶν σεαυτοῦ δὶς κρατεῖς, νίκῃ κρατῶν.
Πειθοῖ μαλακτὸς, οὐκ ἀνάγκαις ἔστ᾽ ἔρως.
Καλὰς ἀφορμὰς τοὔλεος πορίζεται.
Εὔκλεια κέκτητ᾽ ἴδιον ἐν σκότῳ σέλας.
Χρήστ᾽ εἰσιν, ἂν νοῦς κυριεύῃ, χρήματα.
Κάλλιστος ὁ μόρος, ὃς βίον παύει κακῶν.
Καὶ δυστυχεῖν τίν᾽ ἐστ᾽, ἐν ᾧ [10]) τις εὐτυχεῖ.
Εὔκλεια μᾶλλον ἀσφαλὲς τῶν χρημάτων.
Τἀγαθὰ ῥέοντ᾽ ἢν μὴ στέγῃς, θλίψουσί σε. [11])
Καὶ τῶν καλῶν ἐθισμὸς οὐ καλὸς πέλει.
Ὄνειδος ἐσθλὸν, ᾧ τὰ δείν᾽ ἐκκλίνεται.
Χρηστοῦ πρὸς ἀνδρὸς κἀπὶ θανάτῳ μὴ ἀπαντᾷν.
Ἐσθλῶν ἀφειδεῖς οὐκ ἀφειδήσας κακῶν.
Ὑπόκρισίς γε τἀγαθοῦ κακία διπλῆ.
Τὸ σκληρὸν ἦθος χρῆμα τῆς δίκης ἔχει.
Φίλων ὑπουργὸς δυστυχὴς, χρηστῶν ψόγος.
Χρηστῷ παρ᾽ ἀνδρὶ ταχὺ μαραίνεται κότος.
Χρηστὸν τὰ φευκτὰ τῶν πέλας ἐνιδεῖν κακοῖς.
Ἀντιπροσειπεῖν καὶ τὸν ἐχθρὸν εὖ καλόν.
Τἀγαθὸν ἐκρύφθη, τὸ δὲ κακὸν καὶ σβέννυται.
Χρηστὸς τραχυνθεὶς ὀργιλωτέρως ἔχει.
Σπουδαῖος οὐ τοῖς πλημμελοῦσ᾽ ὑπηρετεῖ.
Αὕτη βραχὺς νοῦς μῆνις ἢ μνήμων πέλει.
Βραχὺς βίος πᾶς τοῖς κακοῖς μακρύνεται. [12])

---

11) Vel: κλύσουσί σε.
12) Vel: Βραχὺς βίος μὲν, ὁ δὲ κακοῖς μακρύνεται.

C.

Caecí sunt oculi, cum ánimus alias rés agit.
Carét periculo, qui, étiam cum est tutús, cavet.
Casta ád virum matróna parendo ímperat.
Casús quem saepe tránsit, aliquando ínvenit.
Cave amicum credas, nisi quem probaveris.
Cavendi nulla ést dímittenda occasio.
Cave ne quidquam incipias, quod post poeníteat.
Cicatrix conscientiae pro vulnere est.
Citius venit periculum, cum contemnitur.
Cito ád naturam ficta reciderínt suam.
Cito ígnominia fít superbi glória.
Cito improborum laeta ad perniciem cádunt.
Civilis belli oblivio defensio est.
Cogas amantem irasci, amare, si velis.
Comés facundus ín via pro véhiculo est.
Coniunctio animi maxima est cognatio.
Conscientiae potius, quam famae attenderis.
Considera, quid dicas, non quid cogites.
Consilium ínveniunt multi, sed docti explícant.
Consilio melius vincas, quam iracundia.
Consuéta vitia férimus, non repréndimus.
Contemni gravius est sapientiae, quam percutí.
Contemni levius est stultitiae, quam percuti.
Contra felicem vix Deus vires habet.
Contra ímpudentem stúlta est nimia ingénuitas.
Cotídie damnátur, qui sempér timet.
Cotídie est detérior posteriór dies.
Crimén relinquit vítae, mortem qui áppetit.
Crudélem medicum intémperans aegér facit.
Crudélis est, non fórtis, qui infantém necat.
Crudélis est in re ádversa obiurgátio.
Crudélis lacrimis páscitur, non frángitur.

13) Potes etiam ita: *Ταὐτόματον αἱρεῖ χ' οὓς ὑπερπηδᾷ θαμά.* Vel: *οὓς παρέδραμεν θαμά.*
14) Vel: *Ἀνεξετάστως μή τιν' ἡγεῖσθαι φίλον.*

Ὅταν ἀκηδεῖ νοῦς, τυφλώττουσ' ὄμματα.
Ὅς γ' εὐλαβεῖται, μᾶλλόν ἐστ' ἀζήμιος.
Σώφρων κρατήσαιτ' ἀνδρὸς εὐπειθὴς γυνή.
Ταὐτόματον αἱρεῖ χ' ὧν περ ὑπερέβη θαμά.[13]
Ἀνεξέταστον ὄντα· μὴ φίλον λέγε.[14]
Τὴν τοῦ φυλάσσεσθ' οὐκ ἐατέ' ἐστὶν ἀκμήν.
Μὴ πρᾶγμα χείριζ', οὗ σε μετάμελος λάβῃ.
Ὕπουλον ἕλκος ἐστὶ τὸ συνειδὸς νοσοῦν.
Καταφρονηθεὶς κίνδυνος θᾶττον μόλοι.
Τὰ πλαστὰ πρὸς τὸν ἴδιον ἂν δράμοι τρόπον.
Δύσκλει' ἂν εἴη θᾶττον ὑβριστοῦ κλέος.
Ὡς εἰς κακὸν πίπτουσιν αἱ κακῶν τύχαι.
Ἀπολογία ἐστὶ λῆσις ἐμφύλου δορός.
Ὄργιζ' ἐραστὴν, ὥστ' ἐρᾷν αὐτὸν ποιεῖν.
Ἔστ' ἀντ' ἑώρας συμπόρου λέσχη φίλου.
Ψυχῆς ὁ δεσμὸς συγγενεῖ ἐστ' ἀκριβής.
Τὸ συνειδὸς αὑτοῦ μᾶλλον ἢ θρύλλους σκοπεῖν.
Τί δὴ ἐρεῖς, σκόπησον, οὐ τί δὴ φρονεῖς.

— — — — — — — — — — —

Γένοιτο βουλῇ μᾶλλον ἢ θυμῷ κρατεῖν.
Κακίαν συνήθη φέρομεν, οὐκ ἐλέγχομεν.

— — — — — — — — — — —

Πηγὰς ὁ μωρὸς θᾶττον ἢ χλεύην φέροι.
Κατ' εὐτυχοῦντος οὐκ ἂν ἰσχύοι θεός.
Κατὰ τῶν ἀναιδῶν μωρὸν ἡ ἀφέλει' ἔφυ.[15]
Ἀεὶ φοβηθεὶς κρίνεται καθ' ἡμέραν.[16]
Ἀεὶ κακίων ἡ ἐπιοῦσα τῆς πρὸ τοῦ.[17]
Ἔγκλημα βιότου προστρίβεις, θανεῖν ποθῶν.
Νοσῶν ἀπειθὴς ὠμὸν ἰατρὸν ποιεῖ.
Οὐ κρατερὸς, ὠμὸς δ' ἐσθ' ὁ νηπιοκτονῶν.
Ἀπηνές ἐστι δυστυχοῦντα νουθετεῖν.
Τρέφει τὸν ὠμὸν, οὐ στρέφει τὰ δάκρυα.

---

15) Vel: Ἀφέλεια μωρὸν τῆς ἀναιδείας κάτα.
Vel: Εὔηθες ἡ ἀφέλει' ἀναιδείας κάτα.
16) Vel: Ἀεὶ δεδοικὼς εἰσαεὶ καταχρίνεται.
17) Vel: Ἀεί γε κάκιόν ἐστιν ἦμαρ ὕστερον.

Cui nólis saepe irásci, irascarís semel.
Cui omnés bene dicunt, póssidet populí bona.
Cui plús licet, quam pár est, plus vult, quám licet.
Cui sémper dederis, úbi negas, rapere ímperas.
Cuivís dolori rémedium est patiéntia.
Cuivís potest accídere, quod cuiquám potest.
Cum ames, non sapias; aut cum sapias, non ames.
Cum das avaro praemium, ut noceat, rogas.
Cum inimíco nemo in grátiam tutó redit.
Cum vítia prosunt, péccat, qui recté facit.
† Cogit rogando, cum rogat potentior.
† Cui nusquam domus est, sine sepulcro est mortuus
† Cuius mortem expetunt cives, vitam oderunt.

D.

Damnáre est obiurgáre, cum auxilio ést opus.
Damnati lingua vocem habet, vim non habet.
Damnum áppellandum est cúm mala famá lucrum.
Damnum, nisi ex abundantia, raro venit.
Darí bonum quod pótuit, auferrí potest.
De inimico ne loquaris male, sed cogites.
Deliberando discitur sapiéntia.
Delíberando saépe perit occásio.
Delíberandum est diú, quod statúendum ést semel.
Deliberare utilia mora tutissima est.
Demens est, quisquis praestat errori fidem.
Deos ridere credo, cum felix vocat.
Despícere oportet, quídquid possis pérdere.
Didicére flere féminae in mendácium.
Diés quod donat, tímeas, cito raptúm venit.
Difficilem oportet aúrem habere ad crímina.
Discípulus est prióris posteriór dies.
Discórdia fit cárior concórdia.
Discute quod audis omne, quod credas, proba.
Diu ápparandum est béllum, ut vincas célerius.
Dolor animi gravior est, quam corporis dolor.
Dolór decrescit, úbi quo crescat nón habet.

— — — — — — — — — — —
Δημοκρατεῖ γ' ὁ πᾶσιν εὐφημούμενος.
Ὧι ἔξεστ' ὑπεράγαν, πλεῖον ὧν ἔξεστι λῇ.
Κλέπτειν κελεύεις μὴ διδοὺς ὃ δοὺς πάρος.
Ἅπαντος ἄλγους ἐστ' ἄκος τὸ καρτερεῖν.
Συμβὰν ἑκάστῳ, παντὶ συμβαίη ποτέ.
— — — — — — — — — — —
Βλάπτειν ὀτρύνεις δοὺς γέρας φιλαργύρῳ.
Οὐκ εἰσὶν ἐχθρῶν ἀσφαλεῖς καταλλαγαί.
Εἰ τὰ κάκ' ὀνεῖ σε, πλημμελεῖς ποιῶν καλά.
— — — — — — — — — — —
— — — — — — — — — — —
— — — — — — — — — — —

Χρῄζοντ' ἀρηγοῦ νουθετῶν κατακρίνεις.
Φωνὴν μὲν, ἰσχὺν δ' οὐ καταδίκου γλῶσσ' ἔχει.
Δύσκλεια κέρδους ζημίας κλῆσιν φέροι.
Ἡ ζημία πέφυκεν ἐκ περιουσίας.
Ἀφαιρετὸν γένοιτο πᾶν ἀγαθὸν δοτόν.
Ἐχθροῦ φροντῆσαι μᾶλλον, ἢ καλεῖν πέρι.
Πολλαῖσι σοφία σκέψεσιν διδάσκεται.
Ἐν τῷ διαπορεῖν καιρὸς ἔσθ' ὅτ' ἀπόλλυται.
Βουλευτέ' ἐστὶ δὴν τὰ ἅπαξ κυρωτέα.
Ἀθῶός ἐστι, χρηστὰ βουλεύειν, τριβή.
Ὅστις πέποιθε τῇ πλάνῃ, παραφρονεῖ.
Θεοὺς, καλοῦντος εὐτυχοῦς, γελᾷν δοκῶ.
Καταφρόνησον κτῆσιν, ὧν ὀλεῖν δύνῃ.
Δεινὸν τὸ θῆλυ δακρυσπλαστεῖν γόους.
Χρόνου γ' ὕποπτον δῶρον, ἁρπάζει ταχύ.
Δυσηκοεῖν δεῖ πρὸς τυχόντ' ἐγκλήματα.
Μαθήτρι' ἐστιν ἡ 'πιοῦσα τῆς πρὸ τοῦ.
Ὁμόνοια μείζων ἐκ καταλλαγῆς ἔφυ.
Δοκίμαζ' ἀκούσας, μηδὲ πιστεύσῃς μάτην.
Νίκη ταχεία δεῖ παρασκευῆς μακρᾶς.
Ψυχῆς βαρύτερον ἄλγος ἢ τοῦ σώματος.
Φθίνοιτ' ἂν ἄλγος μὴ αὐξάνειν ἔχον πρόσω.

Ducis in consilio pósita est virtus mílitum.
Dulce etiam fugias, quod fieri amarum potest.
Dum vita grata est, mórtis conditio óptima est.

E.

Effugere cupiditatem regnum est vincere.
Eget minus mortalis, quo minus cupit.
Eheu quam miserum est fieri metuendo senem!
Eodem animo beneficium debetur, quo datur.
Eripere telum, non dare irato decet.
Est cupiditati et ipsa tarda celeritas.
Est socia mortis homini vita ingloria.
Est turba semper argumentum pessimi.
Et calamitas virtutis est occasio.
Et deést et superat míseris cogitátio.
Etiam bonum saepius obest adsuescere.
Etiám capillus únus habet umbrám suam.
Etiám celeritas ín desiderió mora est.
Etiam hosti est aequus, qui habet in consilio fidem.
Etiam ínnocentes cógit mentirí dolor.
Etiam ín peccato récte praestatúr fides.
Etiam óblivisci, quí sis, interdum éxpedit.
Etiam oblivisci, quod scis, interdum expedit.
Etiám qui faciunt, óderint iniúriam.
Etiam sanato vulnere cicatrix manet.
Etiam tyrannus vix precario imperat.
Et miseriarum portus est patientia.
Excélsis multo fácilius casús nocet.
Exoritur opere nequitia, non incipit.
Ex hominum quaestu facta Fortuna est dea.
Exilium patitur, patriae qui se denegat.
Ex lite multa gratia fit formosior.
Ex praemii spe laboris fit solatium.
Extrema semper de antefactis iudicant.

Βουλὴ στρατηγῶν ἐστὶν ἀνδρεία στρατοῦ.
Καὶ γλυκὺ παραιτοῦ δυνατὸν ἐκβῆναι πικρόν.
Εὐημεροῦσιν αἵρεσις θανάτου καλή.

Φεύγειν τὸ κέρδος ἐστὶ βασιλείας κρατεῖν.
Ἀνενδεὴς εἶ, ὅσαν ἐλαττόνων ἐρᾷς.
Ὡς ἐστιν ἐγγήραμα δυστυχὲς φύβος.
Ὃν χάρις ἐλήφθη, τόνδ' ὀφείλεται τρόπον.
Ὀργὴν ἀφαιρεῖν τὸ βέλος, οὐ δοῦναι, πρέπει.
Πέφυκε ταχύτης καὶ βραδεῖα τῷ πόθῳ.
Θανάτου 'σθ' ἑταῖρος ἀκλεὴς βίος βροτῷ.
Μέρους κακίστου τέκμαρ ὄχλος ἐστ' ἀεί.
Ἀρετῆς ἀφορμὴν καὶ τὸ δυστύχημ' ἔχει.
Τοῖς ἀθλίοις νοῦς ὑστερεῖ τε καὶ πέρι.
Ἐνίοτ' ἐθισμός ἐστι οὐδ' ἀγαθῶν καλός. [18]
Ἔχει μὲν ἰδίαν καὶ σκιὰν ἡ θρὶξ μία.
Καὶ τοῖς ποθοῦσιν ὠκύτης ἐστὶ τριβή.
Δίκαιος ἐχθροῖς πιστὸς ἐν βουλαῖς πέλει.
Κἀκ τῶν ἀθώων ψεῦδος ἐκβάλλει πόνος.
Καὶ πλημμελοῦντάς ἐστιν εὐορκεῖν θέμις.
Ἔστιν ὅτε χρηστὸν χ' ὥς τις ὢν κυρεῖ λαθεῖν.
Ἔστιν ὅτε λήθη χ' ὧν περ οἶδας ὠφελεῖ.
Ὕβριν γε μισεῖ χ' ὅστις ὑβρίζειν φιλεῖ.
Εἰ καὶ μέμυκεν ἕλκος, ἥ γ' οὐλὴ μενεῖ.
Μόλις τυράννῳ προῖκα βασιλεύειν θέμις.
Ἡ καρτέρησίς ἐστι δυστυχίας λιμήν.
Τὸ τῶν ἐν ὕψει πτῶμ' ἐπισφαλέστατον.
Ἐγείρετ' ἔργῳ τὸ κακὸν, ἀλλ' οὐκ ἄρχεται.
Κέρδος βρότειον τὴν Τύχην ποιεῖ θεόν.
Πάτρας στερίσκων αὑτόν ἐστ' ὀρθῶς φυγάς.
Ἐξ ἁψιμαχίας εὐπροσωποτέρα χάρις.
Πόνον μαλάττει προσδόκημα τοῦ γέρως. [19]
Ἔλεγχός ἐστι τῶν πρώτων τὰ μεθύστερον.

---

18) Vel: καὶ ἀγαθῶν κακός.
19) Vel: Κούφισμα μόχθου προσδοκώμενον γέρας.
Vel: Παρηγόρημα τῶν πόνων ἐλπὶς γέρως.

Ex vitio alterius sapiens emendat suum.
Exigua pars est vitae, quam nos vivimus.

F.

Facilitas animi ad partem stultitiae rapit.
Facilius crescit, quam inchoatur, dignitas.
Facit gratum Fortuna, quem nemo videt.
Factum tacendo crimen facias acrius.
Falsum maledictum malevolum mendacium est.
Famam curant multi, pauci conscientiam.
Fatetur facinus is, qui iudicium fugit.
Felicitas nutrix est iracundiae.
Felicitas infelici innocentia est.
Felix improbitas optimorum est calamitas.
Fer difficilia, facilia levius perferes.
Feras, non culpes, quod mutari non potest.
Feras quod laedit, ut et id, quod prodest, feras.
Fidem nemo unquam perdit, nisi qui non habet.
Fidem qui perdit, perdere ultra nil potest.
Fidem qui perdit, quo se servet reliquo?
Fides, ut anima, unde abiit, eo nunquam redit.
Formosa facies muta commendatio est.
Fortuna, cum blanditur, captatum venit.
Fortuna plus homini, quam consilium valet.
Fortuna ius in hominis mores non habet.
Fortuna magna, magna domino est servitus.
Fortunam citius reperias, quam retineas.
Fortuna nimium quem fovet, stultum facit.
Fortuna nulli plus quam consilium valet.
Fortuna nos vincit, nisi tota vincitur.
Fortuna obesse nulli contenta est semel.
Fortuna quo se, eodem et inclinat favor.
Fortuna vitrea est, tum, cum splendet, frangitur.
Fortuna unde aliquid fregit, cassum penitus est.
Fortuna usu dat multa, mancipio nihil.
Fraus est accipere, quod non possis reddere.
Frequens vindicta paucorum odium reprimit.

Σοφὸς φρενοῦται τοῖσι τῶν πέλας κακοῖς.
Ὀλιγοστόν ἐστι ταῦθ' ἅπερ ζῶμεν βίον.

Ῥέποι γ' ἂν εἰς τὸ μωρὸν εὐήθης τρόπος.
Ῥᾷόν περ αὔξει τἀξίωμ' ἢ ἄρχεται.
Ποιεῖ προσηνῆ καὶ τὸν ἄγνωστον τύχη.
Τοὔγκλημα χεῖρον, πρᾶξιν ἣν σιγᾷς, ποιεῖς.
Ψεῦδος κακόφρον διαβολὴ ψευδὴς ἔφυ.
Πολλοῖς πρότιμος δόξα τοῦ συνειδότος.
Σύμφησιν ἀδικεῖν, φυγοδικῶν ὅστις κυρεῖ.
Ὄλβου παλαιοῦ θρέμμα, πλουσίου χόλος.
Τὸ δυστυχοῦντος εὐτύχημ' ἐστὶν ἀκακία.
Θάλλουσα κακία δυστύχημ' ἐσθλῶν ἔφυ.
Τὰ ῥᾷστ' ἂν οἴσοις καὶ τὰ δυσχερῆ φέρων.
Φέρειν ἄφυκτα τῶν κακῶν, μὴ λοιδορεῖν.
Φέρων τὸ βλάπτον καὶ τὸ σύμφορον φέροις.
Τὴν πίστιν οὐκ ὀλέσειε πλὴν ὁ μὴ ἔχων.
Τὴν πίστιν ὀλέσας τί ὀλέσειεν ἂν πρόσω;
Τέῳ πέποιθε, πίστιν ὅστις ὤλεσεν;
Ὅθεν ἦλθ' ὁμόφρων πίστις, οὐκ ἀνέρχεται.
Ὡραῖον εἶδός ἐστιν ἄλαλος σύστασις.
Θέλγει τύχη σαίνουσ', ὅταν θηρητιᾷ.
Τύχης τὰ θνητῶν πράγματ', οὐκ εὐβουλίας.
Τύχη βροτείων κῦρος οὐκ ἔχει τρόπων.
Ὄλβος μέγας δούλευμα κυρίῳ μέγα.
Τύχην μάλ' εὑρεῖν ἢ κρατῆσαι ῥᾴδιον.
Ποιεῖ παραπλῆγ' ἡ τύχη πάλλουσ' ἄγαν.
Οὐδενὶ τύχη δύναιτο τῆς βουλῆς πλέον.
Νικᾷ τύχη σ', ἐάν γε μὴ νικᾷς ὅλην.
Ἅπαξ ἐνοχλοῦσ' οὔ τινι στέργει τύχη.
Χάρις πολιτῶν πρὸς τὰ τῆς τύχης ῥέπει.
Στίλβουσα θραυστόν ἐστιν, ὡς ὕελος, τύχη.
Ὅθεν τι θραύσει ἡ τύχη, θλασθὲν μένει.
Τύχη δίδωσι χρῆσιν, οὐ κτῆσίν τινος.
Νοσφισμός ἐστιν ὃ οὐκ ἂν ἀποδοίης λαβεῖν.
Παύρων κολούει μῖσος ἡ πυκνὴ δίκη.

Frugálitas miséria est rumoris boni.
Frustra rogatur, qui misereri non potest.
Furór fit laesa saépius patiéntia.
Futura pugnant, ne se superari sinant.

G.

Geminat peccatum, quem delicti non pudet.
Gemitus dolores indicat, non vindicat.
Grave crímen etiam léviter cum dictum est, nocet.
Grave iudicium est, quod praeiudicium non habet.
Grave praeiudicium est, quod iudicium non habet.
Gravis animi poena est, quem post facta poenitet.
Gravis animus dubiam non habet sententiam.
Gravior est inimicus, qui latet in pectore.
Gravióra quaedam sunt remedia periculis.
Gravissima est probi hominis iracundia.
Gravíssimum est impérium consuetúdinis.
Gravius malum omne est, quod sub adspectu latet.
Graviús nocet, quodcúmque inexpertum áccidit.

H.

Habent locum maledicti crebrae nuptiae.
Habét suum venénum blanda orátio.
Herédem ferre utilius est quam quaérere.
Herédis fletus súb persona rísus est.
Heu quam conscientia animi gravis est servitus.
Heu quám difficilis glóriae custódia est!
Heu quam est timendus, qui mori tutum putat.
Hominem etiam frugi flectit saepe occasio.
Hominem éxperiri múlta paupertás iubet.
Hominí consilium túnc deest, cum multa ínvenit.
Homo extra corpus est suum, cum irascitur.
Homo ne sit sine dolore, fortunam invenit.

(Vide Notas.)
Ἀπαῖς ἀκαμπὴς δυσπαραίτητος τρόπος.
Τἀνεξίκακον ὀργισθὲν οἰστροῦται ταχύ.
Τὸ μέλλον ἀθλεῖ μήτι νικᾶσθαι θέλον.

Διπλοῦν ἁμάρτημ', οὗ τὶς οὐκ αἰδῶ κυρεῖ.
Δηλοῖ στεναγμὸς, οὐκ ἀφαιρεῖ τὸν πόνον.
Τοὔγκλημα, καίπερ μετρίως λεχθὲν, κακοῖ.
Τὸ κρῖμα μηδὲν οὗ πρόκριμ' ἔχον βαρύ.
Βαρὺ πρόκριμα, κρῖμα μηδὲν οὐκ ἔχον.
Ψυχῆς βαρεῖα μεταμελουμένης τίσις.
Φρόνημα σεμνὸν οὐ διχογνῶμον πέλει.
Ἐχθρὸς κάκιστος, ὅστις ἐν νῷ κρύπτεται.
Τομώτερ' ἐστὶ κινδύνων ἄκη τινά.
Χρηστοῦ βαρεῖα μῆνις ἀνθρώπου κυρεῖ.
Πρόσταγμα δεινὸν τὸ συνηθείας ἔφυ.
Ἅπαν ἐν ὄψει λανθάνον κακὸν βαρύ.
Ἅπασα δεινὴ τοῖς ἀπείροις συμφορά. 20)

Διδοῦσ' ἀφορμὴν κακολόγοις πυκνοὶ γάμοι.
Τὸν ἴδιον ἔλαχον ἰὸν αἱμύλοι λόγοι.
Φέρειν διάδοχον ἢ γράφειν κρεῖττον πέλει.
Κλαίων διάδοχος ὑπὸ προσωπείῳ γελᾷ.

— — — — — — — — — — —

Ὡς κτῆμα δυστήρητον ἔστ' εὐδοξία! 21)
Ὡς δεινὸς, ὅστις οἴετ' ἀσφαλὲς θανεῖν!
Καὶ χρηστὸν ἄνδρα καιρὸς ἂν κάμπτοι ποτέ.
Ἔνδεια τολμᾷν πόλλ' ἀναγκάζει βροτούς.
Ἀνὴρ ἄβουλος, πόλλ' ὅταν βουλεύεται.
Ἔξω γ' ἑαυτοῦ γέγονε μηνίων ἀνήρ.
Τοῦ μὴ στερεῖσθαι τῶν πόνων εὗρες τύχην.

20) Ad verbum esset:
Ἀπροσδόκητος συμφορὰ μᾶλλον κακοῖ.

21) Fortasse melius:
Ὡς δυσφύλακτον κτῆμα τῆς εὐδοξίας!

Homo semper in os fert aliud, aliud cogitat.
Homo tóties moritur, quóties amittít suos.
Homo vitae commodatus, non donatus est.
Honesta lex est temporis necessitas.
Honeste parcas improbo, ut parcas probo.
Honéste servit, qui succumbit témpori.
*) — — — — — — — — — — —
Honestus rumor est alterum patrimonium.
Honós honestum décorat, inhonestúm notat.
Humanitatis optima est certatio.

I.

Iacet omnis virtus, fama nisi late patet.
Ibi semper est victoria, ubi concordia est.
Ibi pote valere populus, ubi leges valent.
Id agas, tuo te merito ne quis oderit.
Ignis suum calorem etiam in ferro tenet.
Ignis probat aurum, miseriae fortem probant.
Ignoscere hominum est, ubi pudet, cui ignoscitur.
Ignóscito saepe álteri, nunquám tibi.
Illó nocens se dámnat, quo peccát die.
Imperium habere vis magnum? Impera tibi.
Imprudens peccat, quem post facti poenitet.
Impúne pecces ín eum, qui peccát rarior.
In amóre semper méndax iracúndia est.
In amore forma plus valet quam auctoritas.
In amore semper causa damni quaeritur.
In cálamitoso rísus etiam iniúria est.
Incertus animus remedium est sapientiae.
Inertia iudicatur, cum fugitur labor.
Inertia est laboris excusatio.
Infelici innocentia est felicitas.
Inferior rescit, quidquid peccat superior.

*) Hic falsam Sartorii lectionem secuti dedimus sententiam, quae legitur inter versus trochaicos v. 803. Quamobrem, errore animadverso, illam heic delevimus, loco eius signum lacunae ponentes, ne in sequentibus versuum ordo turbaretur.

Ἄνθρωπος ἄλλο φθέγγετ', ἄλλο δ' ἐννοεῖ.
Ὅσους ἂν ἰδίων ἀποβάλοις, τοσάκις θανεῖ.
Βίᾳ σ' ἔχρησεν, οὐ δέδωκεν, ἡ τύχη.
Τί ἐστ' ἀνάγκη; θεσμὸς εὐσχήμων χρόνου.
Φείδου πονηρῶν, ὥστε φείδεσθαι καλῶν.
Καλόν γ' ὑπηρέτημα, δουλεύειν χρόνῳ.
— — — — — — — — — — —
Τοὔνδοξον ἐστὶ δευτέρα παγκτησία.
Τιμὴ δ' ἀτίμοις αἶσχος, ἐντίμοις κλέος.
— — — — — — — — — — —

Οὐκ ἔστιν ἀρετῆς ὄφελος, εἰ δόξ' ἀσθενεῖ.
Τὸ νῖκος ἐνταῦθ' ἔστιν, ἔνθ' ὁμόνοι' ἔνι.
— — — — — — — — — — —
Φρόντιζε μισεῖσθαι παρ' ἀξίαν δοκεῖν. 22)
Πῦρ κἂν σιδήρῳ θερμότητ' ἰδίαν κρατεῖ.
Χρυσοῦ γ' ἔλεγχος πῦρ, ἀτυχίαι δ' ἀλκίμου. 23)
Σύγγνωστός ἐστιν, ὅστις αἰσχύνην ἔχει.
Σύγγνωθι τοῖς ἄλλοισι μὲν, ἑαυτῷ δὲ μή.
Σαυτοῦ κατέγνως, ᾧ ἠδίκησας ἤματι.
Κράτος μέγιστον εἰ ποθεῖς, σαυτοῦ κράτει.
Ὧι μεταμέλει' ἔπεισιν, ἥμαρτ' ἀγνοῶν.
Καταπροΐξασθ' ὀλίγ' ἁμαρτανόντων ἔνι.
Ἐρῶντος ἀνδρὸς μῆνις ἀεὶ ψεύδεται.
Ἐν ἔρωτι κάλλος ἀξίας ὑπερτερεῖ.
Ἐν ἔρωτ' ἀφορμὴ ζημίας μαστεύεται.
Ἐν ἀθλίοισιν ὕβρις ἐστὶ χ' ὁ γέλως.
Νοῦς ἀστάθμητος ἐστὶ τῆς σοφίας ἄκος.
— — — — — — — — — — —
— — — — — — — — — — —
Τὸ δυστυχοῦντος εὐτύχημ' ἔστ' ἀκακία.
Σύνοιδ' ὁ χείρων οἷς ὁ κρείττων ἤλιτε.

---

22) Vel: *Μὴ δρᾷν τι μίσους ὥστε πάσχειν σ' ἄξια.*
23) Vel: *Ὡς χρυσίον πῦρ, πῆμ' ἐλέγχει καρτεροῦντ.*

Infirmi animi est non posse divitias pati.
Ingenuitas non recipit contumeliam.
Ingenuitatem laedis, cum indignum rogas.
Ingenuus animus non fert vocis verbera.
Ingrata sunt beneficia, quis comes metus.
Ingrátus unus ómnibus miserís nocet.
Inimici ad animum nullae conveniunt preces.
Inimico extincto exitium lachrymae non habent.
Inimícum quamvis húmilem docti est métuere.
Inimicum ulcisci vitam accipere est alteram.
In víndicando críminosa est céleritas.
Iniuriam aures, quam oculi, facilius ferunt.
Iniuriam facilius facias, quam feras.
Iniúriarum rémedium est oblívio.
Iniuriam ipse facias, ubi non vindices.
In miseri vitia nulla contumelia est.
In misero facile fit potens iniuria.
In núllum avarus bónus est, in se péssimus.
Inópiae desunt paúca, avaritiae ómnia.
Inopi beneficium bis dat, qui dat celeriter.
Insánus omnis fúrere credit caéteros.
In rébus dubiis plúrimi est audácia.
Instrúcta inopia est in divitiis cúpiditas.
Intellige, ecquae sint, ut et bene agas bona.
In turpi re peccare bis delinquere est.
In Venere semper certat dolor et gaudium.
In Venere semper dulcis est dementia.
Invidia loquitur id quod obest, non quod subest.
Invídiam ferre aut fórtis aut felíx potest.
Invídia tacite séd inimice iráscitur.
Invitat culpam, qui delictum praeterit.

---

25) Vel: ἀνάρμοστος λιταῖς. Vel etiam: Τῷ δυσμενῶν νῷπᾶσ' ἀνάρμοστοι λιταί.

26) Potes, si mavis, etiam hoc modo: Ἐχθρὸν φοβεῖσθαι καὶ ταπεινὸν πρὸς σοφοῦ.

27) Vel: ὕβρεως μέγα σθένος.

28) Vel: ἐστὶ καὶ χαρᾶς ἀγών.

Ψυχὴ μικρόφρων ὄλβον οὐ δύναται στέγειν.
Ἡ δ' εὐγένει' ἐστ' ἀνεπίδεκτον ὕβρεως.
Ἀναξίου δεόμενος ἀδικεῖς τοὐγενές.
Μάστιγα γλώσσης λῆμα γενναῖον γελᾷ.
Χάρις ἀχάριστος, ἢ συνέμπορος φόβος.
Ἅπαντας ἔβλαψ' ἀθλίους ἀχάριστος εἷς.
Ἔστ' ἀνδρὸς ἐχθροῦ νοῦς ἀπρόσβατος λιταῖς. 25)
Ἐχθροῦ θανόντος ἔξοδον δάκρυ οὐκ ἔχει.
Ἐχθρὸν φοβεῖσθαι, καὶ χαμαίζηλον, σοφοῦ. 26)
Τῖσαι τὸν ἐχθρόν ἐστι δεύτερος βίος.
Ἐν τῷ δικάσαι τὰ ταχὺ πᾶν ὑπαίτιον.
Ὕβρεως ἀκούειν ἐμπετέστερ' ἢ βλέπειν.
Ῥᾴδιον ὑβρίζειν, ἢ ὑβρίζεσθαι θέλεις.
Λήθη βαρειῶν ἐστὶν ὕβρεων ἄκος.
Ἀδικῶν τύχοις ἂν ἀδικίαν μὴ ἐκδικῶν.
Οὐκ εἴσ' ὑβρισταὶ σχετλίων ἀκληρίαι.
Ἐν ἀθλίοισι ῥᾷστ' ἂν ὕβρις ἰσχύοι. 27)
Φειδωλὸς οὔ τεῳ χρηστὸς ἔσθ' αὑτῷ κακός.
Παῦρ' ὑστερεῖ πένητι, πολλὰ κίμβικι.
Χάριν δεομένῳ δὶς δίδωσ' ὁ δοὺς ταχύ.
Μεμηνότ' ἀνδρὶ πᾶς μεμηνέναι δοκεῖ.
Ἐν τοῖσιν ἀπόροις ἐστὶ παράβολον πολύ.
Ἔνσκευος ἐνδεὴς ὀλβίου τὸ φιλάργυρον.
Ποῖ' ἐστὶ μάνθαν', ὥστε δρᾶν τὰ κρήγυα.
Ἐν τοῖσιν αἰσχροῖς πλημμελῶν δὶς πλημμελεῖ.
Ἐν ἔρωτι λύπης καὶ χαρᾶς ἔνεστ' ἀγών. 28)
Γλυκεῖα μανία κἂν ἔρωτι τὶς πέλει. 29)
Φθόνος τὸ βλαβερόν, οὐ τὸ σύμφορον λαλεῖ. 30)
Ἀνεκτὸν εὐψύχοισιν ἢ μάκαρι φθόνος.
Φθόνος λάθρα μέν, δυσμενῶς δ' ὀργίζεται.
Παριδὼν τὸ πλημμέλημ' ἁμαρτάνειν ποιεῖς.

---

29) Vel: Ἐν ἔρωτι μανία τὶς γλυκεῖ' ἀεὶ πέλει vel κυρεῖ.

30) Totus lepos est in verbis: obest, subest. Quod non reddimus sententiae tantum satisfacere contenti. Neque vero mea, sed sermonis Graeci culpa est, quae haec reddere non potest.

Invitum cum retineas, exire incites.
Iratum breviter vites, inimicum diu.
Iratus cum ad se rediit, sibi tum irascitur.
Iratus etiam facinus consilium putat.
Iratus nil non criminis loquitur loco.
Is minimo eget mortalis, qui minimum cupit.
Ita crede amico, ne sit inimico locus.
Ita amicum habeas, posse inimicum fieri ut putes.
Iter est, quacumque dat prior vestigium.
Iucunda macula est ex inimici sanguine.
Iucundum nihil est, nisi quod reficit varietas.
Iudex damnatur, cum nocens absolvitur.
Ius omne super omnem positum est iniuriam.
† Ita agas, ne quis tuo ipso te merito oderit.

L.

Laeso doloris remedium inimici dolor.
Lapsus semel, fit culpa, si iterum cecideris.
Lascivia et laus nunquam habent concordiam.
Late lucere ignis, ut nihil urat, potest.
Laus nova nisi oritur, etiam vetus amittitur.
Legem nocens veretur, fortunam innocens.
Legem solet obliviscier iracundia.
Levis est Fortuna; cito reposcit, quae dedit.
Lex videt iratum, iratus legem non videt.
Lex universi est quae iubet nasci et mori.
Libido cunctos etiam sub vultu domat.
Libido, non iudicium est, quod levitas sapit.
† Libido indicium est eius, quod levitas sapit.
Licentiam des linguae, cum verum petas.
† Lingua est maliloquax indicium mentis malae.
Locis remotis qui latet, lex est sibi.
Loco ignominiae est apud indignum dignitas.
Longinquum est omne, quod cupiditas flagitat.

Ἄκοντ' ἐρώτων ἐκκαλεῖς ἐξιέναι.
Ὀργὴν φυλάττου βραχέα, τὴν ἔχθραν δ' ἀεί.
Ὀργίλος ἀνανήφων αὐτὸς αὑτῷ μηνίει.
Χολουμένοισιν τόλμα καὶ βουλὴ δοκεῖ.
Ἀνὴρ χολωθεὶς πᾶν ἐς ἔγκλημ' ἐκλαλεῖ.
Παύρων δεόμενός ἐστιν, ὃς παύρων ἐρᾷ.
Πίστευσον, ὥς μὴ δυσμενῆ κτᾶσθαι, φίλῳ.
Ὡς καί ποθ' ἕξων ἐχθρὸν, οὕτως χρῶ φίλῳ.
— — — — — — — — — — —
Σπῖλος προσηνὴς δυσμενοῦς ἐξ αἵματος.
Γένοιτ' ἂν οὐδὲν ἡδὺ, πλὴν ἐκ μεταβολῆς.
Σαυτοῦ κατέγνως ἄδικον ἀπολύων, κριτά.
Ἅπαν δίκαιον ἀδικίας πάσης πέρα. 31)
— — — — — — — — — — —

Ἄλγησις ἐχθρῶν ἠδικημένοις ἄκος.
Ἅπαξ ὀλισθὼν, πάλι πεσὼν, ὑπαίτιος.
Οὐδὲν μέτεστι κοινὸν αἴνῳ καὶ τρυφῇ.
Οἷόν τε λάμπειν, ὥστε μὴ φλέγειν, τὸ πῦρ.
Ἔῤῥει παλαιὸς αἶνος, ἢν μὴ νέος ὄρῃ.
Ἄδικος νόμον δέδοικεν, ὁ δ' ἀθῷος τύχην.
Εἴωθεν ὀργὴ τοῦ νόμου λεληθέναι. 32)
Τὰ δοθέντ' ἀπαιτεῖ μεταμελουμένη τύχη.
— — — — — — — — — — —
Ὁ τοῦ γενέσθαι καὶ θανεῖν κοινὸς νόμος.
Πάντας δαμάζει καὶ τὸ νεῦμα τῆς τρυφῆς.
Ὁρμή ἐστιν, οὐ κρίσις, ἅττα κουφότης φρονεῖ.
Τρυφὴ χαρακτὴρ ὤν γ' ὁ νοῦς κοῦφος φρονεῖ.
Ἄδειαν ἐχέτω γλῶσσ' ἀληθείας ὕπερ.
Κακοῦ χαρακτὴρ γλῶσσα ναῦ κακόστομος.
Ἔρημα ναίων νόμος ἑαυτῷ τυγχάνει. 33)
Ἔστ' ἀντ' ὀνείδους τἀξίωμ' ἀναξίων.
Θυμῷ ποθοῦντι πᾶν ἀπωτάτω δοκεῖ.

---

31) Vel: ἄνω.
32) Vel: Εἴωθεν ὀργὴν λαμβάνειν λήθη νόμου,
33) Vel: ἔτυχεν ὢν αὐτῷ νόμος.

Lucrum sine damno alterius fieri non potest.
Luxúriae desunt múlta, avaritiae ómnia.

M.

Mage fidus heres nascitur, quam scribitur.
Mage valet, qui nescit, calamitas quid valet.
Magnam fortunam magnus etiam ànimus decet.
Magnanimo iniuriae remedium oblivio est.
Magnum crimen secum adfert indignatio.
Mala causa est, quae requirit misericordiam.
Malae naturae nunquam doctore indigent.
Mala ést medicina, ubi áliquid naturaé perit.
Mala est voluptas ad alienum consuescere.
Mala mors necessitatis contumelia est.
Malam rem cum velis, honestatem improbes.
Maledíctum interpretándo facias ácrius.
Malefácere qui vult, núnquam non causam ínvenit.
Male géritur, quicquid géritur Fórtunaé fide.
Male imperando summum imperium amittitur.
Male sécum agit aeger, médicum qui heredém facit.
Male vincit is, quem poenitet victoriae.
Male vivet, quisquis nesciet mori bene.
Male vivunt, qui se semper victuros putant.
Malevolus animus abditos dentes habet.
Malévolus semper suá natura véscitur.
Malígnos fieri máxime ingratí docent.
Malitia unius cito fit maledictum omnium.
Malitia ut peior veniat, se simulat bonam.
Malo ín consilio féminae vincúnt viros.
Malúm consilium cónsultori est péssimum.
Malum ést consilium, quód mutari nón potest.
Malo etiam parcas, si una est periturus bonus.
Malum alienum ne feceris tuum gaudium.
Malus animus in secreto peius cogitat.
Malus bonum ad se nunquam consilium refert.

Οὐκ ἔστι κέρδος ζημίας ἄλλων ἄτερ.
Ἐνδεῖ γ' ἀσώτῳ πολλὰ, πάντα κίμβικι.

Φύσει διάδοχος πιστός ἐστιν, οὐ γραφῇ.
Ὁ πήματος σθένος ἀγνοῶν πλέον σθένει.
Θυμὸς μεγίστῃ μέγας ἐφαρμόζει τύχῃ.
Τῷ μέγα φρονοῦντι λῆσις ἀδικίας ἄκος.
Ἔγκλημα δυσχέρανσις ἐπιφέρει μέγα.
Οἴκτου βοηθοῦ δεομένη δίκη κακή.
Ἦθος πονηρὸν οὐ ποθεῖ διδάσκαλον. 34)
Φύσεως ἀποτρίβον τι φάρμακον κακόν.
Τ' ἀλλοτρίων σύνηθες ἡδονὴ κακή.
Ὕβρις γ' ἀνάγκης ἔσθ' ὁ δυστυχὴς μόρος.
Τῶν καλῶν ἀθετεῖς πραγμάτων αἰσχρῶν ἐρῶν.
Χείρω λόγον βλάσφημον ἑρμηνεὺς ποιεῖ.
Κακοῦν θέλοντι πρόφασις οὐκ ἐλλείπεται.
Οὐκ ὀρθὸν, ὅ, τι δὴ πράττεται πίστει τύχης.
Τὸ κράτος ἴδιον ὄλλυσ' ὁ προστάσσων κακῶς.
Τὸν ἰατρὸν οὐκ εὖ διάδοχον ὁ νοσῶν γράφει.
Κακῶς ἐνίκησ', ἄλγος ὃν νίκης λάβοι.
Ὁ μὴ δυνάμενος εὖ θανεῖν κακῶς βιοῖ.
Ἀεὶ βιώσειν προσδοκῶν κακῶς βιοῖ.
Ὀδόντας ἦθος κακότροπον κρυφίους ἔχει.
Ἤθει πονηρῷ σῖτός ἐστ' ἰδία φύσις.
Ποιεῖ πονηροὺς ἦθος ἀχάριστον θαμά.
Πάντων ὄνειδος ἔσθ' ἑνὸς πονηρία.
Πλάττει τρόπον τὸ πονηρὸν, ἵνα χεῖρον τύχῃ.
Ἀνδρῶν γυναῖκες κρείττονες βουλῇ κακῇ.
Βουλῆς κακῆς τῷ δόντι πάγκακον τέλος.
Ἡ μὴ τραπῆναι δυναμένη βουλὴ κακή.
Ἢν κινδυνεύσῃ χρηστὸς, ἅμα φείδου κακοῦ.
Τὰ πήματ' ἄλλων μὴ χαρὰν ἰδίαν ποιοῦ.
Φύσις πονηρὰ χεῖρον νοεῖ ἐν ἀποκρύφοις.
Ἀγαθὴν πρὸς αὑτὸν ὁ κακὸς οὐ γνώμην στρέφει.

---

34) Vel: Κακαὶ φύσεις οὐκ ἐνδεεῖς διδασκάλου.

Málus bonum ubi se símulat, tunc est péssimus.
Malus ést vocandus, quí sui causa ést bonus.
Malus etsi obesse non pote, tamen cogitat.
Malus quicunque in poena est, praesidium est bonis.
Manifesta causa secum habet sententiam.
Mansueta tutiora sunt, sed serviunt.
Medicina calamitatis est aequanimitas.
Medicina sola miseriarum oblivio.
Meretrix est instrumentum contumeliae.
Metuendum semper est ei, quod tutum velis.
Metum respicere non solet, quicquid iuvat.
Metus improbos compescit, non clementia.
Metus cum venit, rarum habet somnus locum.
Minimum éripit Fortúna, cui minimúm dedit.
Minús decipitur, cuí negatur céleriter.
Minus est quam servus, dominus qui servos timet.
Minus saepe pecces, si scias quod nescias.
Misera ést voluptas, úbi pericli mémoria est.
Miser dici bonus vir, esse non potest.
Miseri est nescire sine periculo vivere.
Miseriam nescire est sine periculo vivere.
Misericors civis patriae est consolatio.
Miserrima est fortuna, quae inimicos latet.
Misérrima est fortúna, quae inimicó caret.
Miserrimum est arbitrio alterius vivere.
Miserum est tacere cogi, quod cupias loqui.
Miserum te iudico, quod nunquam fueris miser.
Mora cogitationis diligentia est.
Mora omnis odio est, sed facit sapientiam.
Mori est felicis, antequam mortem invocet.
Mori necesse est, sed non quoties volueris.
Mortem timere crudelius ést quam mori.
Mortem ubi contemnas, omnes viceris metus.

---

55) Vel: *Ἐσθλῶν ὑποκριτὴς ὁ κακός ἐστι πάγκακος.*
56) Vel: *Ἴασίς ἐστι.*
57) Vel: *Ἔχει τὸ τερπνὸν φροντίδ' οὐδεμίαν φόβου.*

Ἀγαθὸν κακὸς σκηπτόμενος ἐστὶ πάγκακος. [35]
Αὐτοῦ γ' ἕκατι χρηστὸς αὐθάσθαι κακός.
Κἂν μὴ δύνηθ' ὁ κακὸς, ὅμως βλάπτειν θέλει.
Κακὸς δίκην δοὺς ἔρυμα τοῖς χρηστοῖς πέλει.
Ἀπόφασιν ἅμα συνεπιφέρει δήλη δίκη.
Ἔστ' ἀσφαλῆ τὰ πιθασὰ, δουλεύει δ' ὅμως.
Ἐπιεικὲς ἦθος ἐστὶ δυστυχίας ἄκος.
Ἄκος πέφυκε [36] συμφορῶν λήθη μόνη.
Ἔστ' ἐργαλεῖον ὕβρεως μαγλὰς γυνή.
Ἃ τίμι' ἐστίν, ἀσφαλιστέον φόβῳ.
Ἅπαντι τερπνῷ φροντὶς οὐ δέους ἔνι. [37]
Δέος κολούει τοὺς κακοὺς, οὐ πραότης.
Φόβου παρόντος ὕπνος οὐκ ἔχει τόπον.
Διδοῦσα μικρὰ μίκρ' ἀφαιρεῖ ἡ Τύχη.
Ἀπατῶσιν ἧττον οἱ τύχιστ' ἀρνούμενοι.
Δούλους δεδοικώς ἐστι τῶν δούλων κάτω.
Ἧττον ἂν ἁμάρτοις, εἰ νοεῖς, τί ἀγνοεῖς.
Τάλαινα τέρψις ἐστὶν ἐν μνήμῃ κακῶν.
Ὁ χρηστὸς οὐκ εἴη, λέγοιτο δ' ἂν ἄθλιος.
Δύστηνος ὁ ζῆν ἀγνοῶν ἀκινδύνως.
Ἔστ' ἀσφαλῶς ζῆν πημάτων ἀπειρίᾳ.
Ἀστὸς φίλοικτος, πατρίδος παραψυχή.
Ἄζηλος ἐχθροῖς ἀγνοουμένη τύχη.
Ἄζηλός ἐστιν ἀθλιωτάτη τύχη.
Δύστηνόν ἐστι ζῆν ἐπ' ἄλλων αἱρέσει.
Λαλεῖν θέλοντά σ' οὐκ ἐᾶσθαι σχέτλιον.
Εἴης τάλας μοι, μὴ τάλας γεγονὼς ποτε.
Ἀκριβασμός ἐστι σκέψεως διατριβή.
Εἰ καὶ ἀηδὲς ἡ τριβὴ, ποιεῖ σοφούς.
Πρὸ τοῦ ποθεῖν τὸν θάνατον ὄλβιον θανεῖν.
Θανεῖν ἀνάγκη πᾶσιν, οὐ δ' ὅταν θέλῃς.
Τὸ θανεῖν φοβεῖσθαι χεῖρόν ἐστι τοῦ θανεῖν.
Θανάτου καταφρονεῖν ἐστι πᾶν δεινὸν πατεῖν. [38]

Vel: Τὸ ψυχειωστοῦν (num ψυχαγωγοῦν?) φροντίδ' οὐκ ἔχει φόβου.

Vel: φροντίδ' οὐ δέους ἔχει.

38) Vel: Θανάτου καταφρονῶν πάντα δεινὰ καταπατεῖ.

Muliébris lacryma cóndimentum málitiae est.
Muliér cum sola cógitat, male cógitat.
Muliér, quae multis núbit, multis nón placet.
Multa ignoscendo fit potens potentior.
Multís minatur, qui úni facit iniúriam.
Multis placere quae cupit, culpam cupit.
Multorum calamitate vir moritur bonus.
Multa ante tempus quam virum invenias bonum.
Multos timere debet, quem multi timent.
Muneribus, non lacrymis meretrix est misericors.
Mutat se bonitas irritata iniuria.

N.

Naturam abscondit, cum recte improbus facit.
Necésse est multos tímeat, quem multí timent.
Necessitas ab homine, quae vult, impetrat.
Necessitas dat legem, non ipsa accipit.
Necessitas egentem mendacem facit.
Necessitas quam pertinax regnum tenet!
Necessitas quod celat, frustra quaeritur.
Necessitas quod poscit, nisi das, eripit.
Necessitatem ferre, non flere addecet.
Necessitati quodlibet telum utile est.
Necessitati sapiens nihil unquam negat.
Necessitatis est remedium parcitas.
Nec mortem effugere quisquam, nec amorem potest.
Nec vita, nec fortuna hominibus perpes est.
Negándi causa aváro nunquam déficit.
Negata est magnis sceleribus semper fides.
Negát sibi ipse, quí, quod difficile ést, petit.
Nemó, qui coepit éx se, risum praébuit.
Nemo ímmature móritur, qui moritúr miser.
Nemo ita pauper vivit, quam pauper natus est.
Nemo timendo ad summum pervenit locum.

Ἥδυσμα κακίας τῆς γυναικὸς δάκρυον.
Νοοῦσα μουνὰξ ἡ γυνὴ κακῶς νοεῖ.
Οὐκ ἤρεσε πολλοῖσι πολύγαμος γυνή.
Πολὺ συγγινώσκων [39]) ἰσχυρὸς πλέον ἰσχύει.
Πολλοῖς ἀπειλεῖ, ὅστις ἠδίκησ' ἕνα.
Πολλοῖς ἀρέσκειν ᾧ θέλουσ' πλέον ὑπαίτιος. [40])
Χρηστὸς τεθνηκὼς ζημία πολλῶν ἔπι.
Προαιρέτερον ἂν πολλά, πρὶν χρηστὸν, κίχοις. [41])
— — — — — — — — — —
Δαροῖσι μαχλὰς ἰλεοῦτ', οὐ δακρύεις.
Ὑβρισμένον τὶ ἄκακον ἀλλάττει φύσιν.

— — — — — — — — — —
Πάντας φοβεῖσθαί, πᾶσιν ὃς φοβερὸς, χρεών.
— — — — — — — — — —
Οὐ νομοθετεῖσθαί γ' ἀλλ' ἀνάγκη νομοθετεῖ. [42])
Ἡ χρεῖ' ἐπείγει τὸν ἄπορον ψευδῆ λέγειν.
Ὡς τῆς ἀνάγκης ἐστὶν αὔθαδες κράτος.
Ὑπὸ τῆς ἀνάγκης τὸ κρυβὲν ἰχνεύεις μάτην.
— — — — — — — — — —
Φέρειν ἀνάγκης ἄχθος, οὐ κλαίειν πρέπει.
Θεσμοῖς ἀνάγκης χρησιμεύει πᾶν βέλος.
Χρεία ποθούσῃ μηδὲν ἀνανεύει σοφός.
Φειδοῦς τὸ λιτόν ἐστιν ἐνδείας ἄκος.
Ἔρως ἄφυκτός ἐστιν καὶ θάνατος βροτοῖς.
Τύχη βίος τε μόνιμος οὐκ ἔστι βροτῷ.
Ἀρνητιῶν φειδωλὸς εὗρεν αἰτίαν.
Ἀτοπήματ' ἀεὶ μεγάλ' ἀπιστεῖσθαι φιλεῖ.
Ἀρνεῖθ' ἑαυτῷ δυσπόριστ' αἰτούμενος.
Ἀρχθεὶς ἀφ' αὑτοῦ μῶμον οὐκ ὀφλισκάνει.
Ἄωρος οὐ τέθνηκ' ὁ τεθνηκὼς πάλαι.
Οὔτις τόσον ζήσειεν ὅσον ἐγεννήθη πένης.
Οὐδεὶς διὰ φόβου τῶν ἄκρων ἐφίκετο.

---

39) Vel: Ὁ πολλὰ συγγνοὺς etc.
40) Vel: ἀρέσκουσ' οὐκ ἂν αἰτίαν φύγοι.
41) Vel: Ταχύτερον εὕροις πολλὰ πλὴν ἀνδρὸς καλοῦ.
42) Vel: Νόμος ἔστ' ἀνάγκης, οὐκ ἀνάγκη τοῦ νόμου.

Nequitia poenae maxima ipsamet sui est.
Nescio quid cogitat, cum bonum imitatur malus.
Nil agere semper infelici est optimum.
Nil aliud scit necessitas, quam vincere.
Nihil éripit Fortúna, nisi quod ét dedit.
Nil est miserius, quam ubi pudet quod feceris.
Nil magis amat cupiditas, quam quod non licet.
Níl non acerbum prius, quam maturum fuit.
Nil non aut lenit aut domat diuturnitas.
Nil péccent oculi, si oculis animus ímperet.
Nil posse quemquam mortuum, hoc est vívere.
Nil proprium ducas, quod mutari possiet.
Nil turpe ducas pro salutis remedio.
Nil túrpius quam vívere insipiéns senex.
Nimium áltercando véritas amíttitur.
Nimíum est in morte boni, si nil inest mali.
Nisi pér te sapias, frústra sapientem audias.
Nisi quí scit facere, insídias nescit métuere.
Nisi vindíces delícta, improbitatem ádiuves.
Nocéns precatur, ínnocens iráscitur.
Nocentem qui defendit, sibi crimen parit.
Nocere casus non solet constantiae.
Nocere posse et nolle laus amplissima est.
Noli contemnere ea, quae summos sublevant.
Non cito ruina perit is, qui rimam timet.
Non corrigit, sed laedit, qui invitum laedit.
† Non est beatus, esse qui se non putat.
Non est bonitas esse meliorem pessimo.
Non est pusillum, si quid maximo est minus.
Non est cicatrix turpis, quam virtus parit.
Non ést tuum, Fortúna quod fecít tuum.
Non facile de innocente crimen fingitur.

---

43) Vel: Τὸ φαῦλον αὑτῷ κόλασις ἐστὶν ἐσχάτη.
44) Vel: Πλὴν τῶν ἀθέσμων θυμὸς οὐκ ἐρᾷ τινός.
45) Vel: μαλάττει.
46) Vel: Δεινοί γε φεύγειν, ὁ δ' ἀναίτιος κατεχ

Τὸ πονηρὸν αὐτῷ γ' ἐστὶν ἐσχάτη τίσις. 43)
Οὐκ οἶδα, τί νοεῖ τὸν τρόπον πλάττων κακῶς.
Τῷ δυστυχεῖ κράτιστον ἀπράγμων βίος.
Οὐκ οἶδ' ἀνάγκη γ' ἄλλο πλὴν νικᾷν μόνον.
Οὐδὲν ἀφελοίη, πλὴν ὅπερ ἔδωκεν, Τύχη.
Ὅτ' ἂν αἰσχύνῃ, τὸ πραχθὲν ἀθλιώτατον.
Οὐδενὸς ὁ θυμὸς, ὡς ἀθέσμων, οὐκ ἐρᾷ. 44)
Πᾶν ἐστὶν ὄμφαξ, πρὶν πεπαίνεσθαι χρόνῳ.
Ἅπαν δαμάζει 45) γ' ἢ τιθασσεύει χρόνος.
Τοῦ νοῦ κρατοῦντος ὄμματ' οὐχ ἁμαρτάνοι.
Μηδὲν σθένειν ἐστὶν θανόντα ζῆν τόδε.
Οὐκ ἴδιον ἡγοῦ τό γε πεφυκὸς μὴ μένειν.
Οὐδὲν βδελυκτὸν εἰς ἄκος σωτηρίας.
Τί αἴσχιον γέροντος, ὃς ζῆν ἄρχεται;
Ἐν ἀψιμαχίαις ἡ ἀκρίβει' ὀλισθάνει.
Χρηστὸς ἅλις ὁ μόρος, εἰ κακὸν μηδὲν φέρει.
Σοφῶν ἀκούοις, αὐτὸς οὐ φρονῶν, μάτην.
Οὐ δέδι' ἐνέδραν πλὴν ἐνεδρεύειν ἐθάς.
Τὸ πονηρὸν αὔξεις πλημμέλημα μὴ 'κδικῶν.
Δεῖταί γ' ὃς ἔνοχος, ὃς δ' ἀναίτιος, κοτεῖ. 46)
Ἐνόχῳ ἀμύνων τὴν δίκην ἑαυτοῦ ποιεῖ. 47)
Σταθερὰν φύσιν ταὐτόματά οὐ βλάψειεν ἄν.
Βλάπτειν δυνάμενον μὴ θέλειν, κῦδος μέγα.
Τὸ τιμίους 48) ἑταῖρον οὐκ ἀθετητέον.
Ὡς ῥῆγμ' ὕποπτον, οὐκ ἐρειπίοις θάνοι.
Ἄκοντ' ἀνορθοῦν ἀντ' ὀνήσεως βλάβη. 49)
Οὐκ εὐτυχὴς ἔσθ', ὅστις οὐχ αὑτῷ δοκεῖ.
Οὐκ ἀγαθὸν, εἶναι τοῦ κακοῦ κρεῖττω, καλῷ.
Ἐλάχιστον οὐκ ἔσθ', ὅπερ ἔλαττον ἀπλέτου.
Τῆς ἀνδρίας οὔλωσις οὐκ ἔχει ψύγον.
Οὐκ ἔστι δὴ σὸν, ὃ σὸν ἐποίησ' ἡ Τύχη.
Ἔγκλημ' ἀθῴοις προστρίβειν οὐκ εὐχερές.

---

47) Vel: Ἐνόχοις ἀμύνων τὴν κρίσιν ἐς αὐτὸν στρέφει.

48) Vel: Τοὺς ἄφρους.

49) Vel: Βλάβος, οὐκ ὄνησίς ἐστ' ἄκοντ' ὀρθοῦν θέλειν.

Non facile solus serves, quod multis placet.
Non novit virtus calamitati cedere.
Non pote non sapere, qui se stultum intelligit.
Non quam multis placeas, sed qualibus, stude.
Non semper aurem facilem habet felicitas.
Non vincitur, sed vincit, qui cedit suis.
Nulla hominum maior poena est, quam infelicitas.
Nulli facilius, quam malo invenies parem.
Nulli impones, quod ipse ferre non queas.
Nullo in loco male audit misericordia.
Nullum sine teste putaveris suo locum.
Nullum sine auctoramento est magnum malum.
Nullus sapientum proditori credidit.
† Nullus tantus quaestus, quam, quod habens, parcere.
Nunquam facilius culpa, quam in turba latet.
Nunquám periclum sine periclo vincitur.
Nunquam satis est, quod improbae spei datur.
Nunquam non miser est, qui quod timeat cogitat.
Nunquam secura est prava conscientia.
Nunquam, ubi diu fuit ignis, deficit vapor.

O.

Obséquium nuptae cito fit odium péllicis.
Occásio aegre offértur, facile amíttitur.
Occasio receptus difficiles habet.
Occidi pulchrum, ubi cum ignominia servias.
Odia alia sub vultu, alia sub osculo latent.
Officium benevoli animi finem non habet.
Omnés aequo animo párent, digni ubi ímperant.
Omne vitium semper habet patrocinium suum.
Omnis dies velut ultimus ordinandus est.
Omnis voluptas, quemcunque arrisit, nocet.
O pessimum periculum, quod opertum latet!

---

50) Vel: *Τἀρεστὰ πολλοῖς ἐστὶ δυσφύλακθ᾽ ἑνί.*
51) Vel: *Οὐκ ἔστιν ἀνδρὶ συμφορᾶς μείζων τίσις.*
52) Vel: *Λέληθ᾽ ἁμαρτών.*
53) Vel: *ἔμεινεν.*

Τὸ συχνοῖς ἀρέσκον δυσφύλακτόν ἐσθ᾽ ἀεί. 50)
Οὐκ οἶδ᾽ ὑπείκειν ἀνδρία ταῖς συμφοραῖς.
Ὃς ἄφρον᾽ αὐτὸν οἶδ᾽, ἀνάγκη καὶ φρονεῖν.
Οἷοις ἀρέσκοις, σὺ πόσοις, σπούδαζ᾽ ἀεί.
Τεὔδαιμον ἐνίοτ᾽ ὦτ᾽ ἔχει δυσήκοα.
Ἰδίοις ὑπείκειν νῖκος, οὐχ ἧτταν φέρει.
Οὐκ ἔστι κόλασις συμφορᾶς μείζων βροτοῖς. 51)
Οὐδενὶ ταχύτερον σύζυγ᾽ εὕροις ἢ κακῷ.
Τὸ σοὶ δυσαγκάλιστον ἐπίθες μηδενί.
Κακῶς ἀκούει τοὐλεῆμον μηδαμοῦ.
Ἀμαρτύρητον μηδέν᾽ ἡγεῖσθαι τύπον.
Οὐδὲν μέγ᾽ ἐστὶ, πλὴν ἀμίσθωτον, κακόν.
Προδόταισι πιστεύσειεν οὐδεὶς εὖ φρονῶν.
Οὐδὲν τοσοῦτο κέρδος, ὡς φειδὼ, πέλει.
Λάθοις ἁμαρτὼν 52) *ὡς ἐν ὄχλῳ μηδαμῇ.*
Ἀκινδύνως οὐκ ἔστι κινδύνου κρατεῖν.
Οὐ τοῖς παροῦσιν ἐλπὶς ἀρκεῖται κακή.
Πῶς σχέτλιος οὐν ἔσθ᾽ ὅ, τι φοβητέον νοῶν;
Οὐκ ἀτρεμεῖ ποθ᾽ ἡ συνείδησις κακή.
Ἢι πῦρ ἐγένετο 53), *θάλπος οὐκ ἂν ἐπιλίποι.*

Γαμετὴ ὑπείκουσ᾽ ἐστὶ μῖσος παλλακίδος. 54)
Σπανίως προσέρπει καιρὸς, ὄλλυται ταχύ. 55)
Ῥᾷστους ὁ καιρὸς ἀναποδισμοὺς οὐκ ἔχει.
Αἴσχιστα δουλεύοντα κάλλιστον θανεῖν.
Τὰ μὲν ὄψις ἔχθη, τὰ δὲ φίλημ᾽ ἔχον σκέπει. 56)
Ἀτερμάτιστον εὐμενοῦς ὑπουργία.
Ἐνασμενίζει πᾶς τις ἀξίων κράτει.
Ἀναπολόγητον πλημμέλημ᾽ οὐδὲν πέλει.
Πᾶν ἦμαρ εὐθέτησον, ὥσπερ ἔσχατον. 57)
Ὃν προσγελάσαι, πᾶσ᾽ ἔβλαψεν ἡδονή.
Κάκιστός ἐστιν, ὅστις ἔλαθε κίνδυνος.

---

54) Vel: *Παλλακίδος ἔχθος τὸ γαμετῆς πειθήνιον*
55) Vel: *ἔῤῥει ὠκέως.*
56) Vel: *ἀποκρύπτεται.*
57) Vel: *ὡσεὶ λοίσθιον.*

O tacitum tormentum animi conscientia!
O vita misero longa, felici brevis!

P.

Paratae lacrymae insidias, non fletum indicant.
Parens iratus in se est crudelissimus.
Parere scire par imperio gloria est.
Pars benefici est, quod petitur, si belle neges.
Pars benefici est, quod petitur, si cito neges.
Parvo fames constat, magno fastidium.
Patiendo multa veniunt, quae nequeas pati.
Patiens et fortis seipsum felicem facit.
Patiens in adversis nunquam est felicitas.
Patientia animi divitias occultas habet.
Patria tua est, ubicunque vixeris bene.
Paucorum est intelligere, quid cui det Deus.
Paucorum improbitas universis calamitas.
Peccare pauci nolunt, nulli nesciunt.
Peccatum amici, velut tuum, recte putes.
Peccatum extenuat, qui celeriter corrigit.
Pecuniae oportet imperes, non servias.
Pecunia una regimen rerum est omnium.
Peiora multa cogitat mutus dolor.
†{Beneficia in vulgus cum largiri institueris,
Perdenda sunt multa, ut semel ponas bene.}
Perdendi finem nemo, nisi egestas, facit.
Perdit, non donat, qui donat, nisi est memor.
Perenne coniugium animus, non corpus facit.
Pereundi scire tempus assidue est mori.
Perfacile felix, quod vota impetrant, facit.
Perfugere ad inferiorem, seipsum est tradere.
Pericla qui audet, ante vincit, quam accipit.
Pericla timidus etiam quae non sunt videt.

---

58) Vel: *Λόχος ἐσθ᾽ ἕτοιμος, οὐκ ὀδυρμὸς, δάκρυον.*
59) Vel: *Ποιοῦσ᾽ ἑαυτοὺς εὐτυχεῖς οἱ καρτεροί.*
60) Vel: *δωρεῖται.*

Ὡς λάθριον κόλασμα τὸ συνειδὸς πέλει.
Βίος ἀθλίῳ μήκιστος, ὀλβίῳ βραχύς.

Ἑτοίμ' ἐνέδρα 'στ', οὐκ ὀδυρμὸς, δάκρυα. [58]
Ὠμὸς καθ' αὑτοῦ γ' ἐστὶν ὀργισθεὶς πατήρ.
Πειθαρχίας, τὸ κῦδος ἴσουται κράτει.

— — — — — — — — — — —

Μέρος χάριτος αἰτοῦσιν ἀρνεῖσθαι ταχύ.
Ἄση πολυτελὴς, λιμὸς εὔωνον πέλει.
Ἐγκαρτεροῦντι πόλλ' ἄτλητ' ἐπέρχεται.
Ζηλωτὸν αὐτὸν ὁ μακρόθυμος ἀποτελεῖ. [59]
Τεύδαιμον ἐν ταῖς συμφοραῖς ἀφερέπονον.
Ψυχῆς καλύπτει καρτέρημ' ὄλβον πολύν.
Ἅπασα πατρὶς ἔστ', ἵν' ἂν πάθῃ τὶς εὖ.
Ὀλίγοι γ' ἴσασι, τί τίνι ποτὲ διδοῖ [60]) Θεός.
Τὸ πονηρὸν ὀλίγων συμφορὰ πάντων ἐόν.
Ὀλίγοις ἁμαρτεῖν αἰσχρὸν, οὐδεὶς δ' ἀγνοεῖ.
Τὸ πλημμέλημα τῶν φίλων νόμιζε σόν.
Μειοῖ τὸ πλημμέλημ' ὅ γ' εὐθύνων ταχύ.
Ἐπιτακτέ' ἐστὶ χρήμασ', οὐ δουλευτέα.
Ὁ πλοῦτος ὄντως κῦρος εἷς πάντων ἔχει. [61])
Ἄφωνον ἄλγος ἐννοεῖ χείρονα (l. χερείονα).

— — — — — — — — — — —

— — — — — — — — — — —

Οὐδείς γε δαπανῶν πλὴν ἀπορίας παύεται. [62])
Τὸ δοθὲν ὁ δοὺς ἀπώλεσ', ἢν ἀμνημονῇ.
Γάμον γε μόνιμον ἦθος, οὐ δέμας ποιεῖ.
Τὸ τέρμα τοῦ ζῆν εἰδέν' ἐστ' ἀεὶ θανεῖν.
Ῥᾷστ', οὗ δι' εὐχῆς ἔτυχεν, εὐδαίμων ποιεῖ.
Προδίδως σεαυτὸν προφυγὼν πρὸς ἥττονα.
Νικᾷ γ' ὁ τολμῶν [63]) κίνδυνον πρὸ τοῦ παθεῖν.
Τὰ δεῖν' ὁ δειλὸς καὶ τὰ μή ποτ' ὄντ' ὁρᾷ. [64])

---

61) Vel: Πάντων ὁ πλοῦτός ἐστι πραγμάτων κρινῶν.
62) Vel: Οὐδείς γε, πλὴν ἔνδεια, δαπανῶν παύεται.
63) Vel: Ἡ τόλμα νικᾷ etc.
64) Vel: καίπερ οὐκ ὄντα βλέπει.

Perpetuo vincit, qui utitur clementia.
Per quae sis tutus, illa semper cogites.
Plerique metu boni, non innocentia.
Plures tegit Fortuna, quam tutos facit.
Plus est quam poena iniuriae succumbere.
Plus est quam poena sine re miserum vivere.
Poena ad malum serpens, ut proterat, venit.
Poena allevatur tunc, ubi laxatur dolor.
Poenam moratur improbus, non praeterit.
Populi ést mancipium, quísquis patriae eſt útilis.
Post cálamitatem mémoria alia est cálamitas.
Poténs misericors pública est felícitas.
Poténti irasci, síbi periclum est quaérere.
Potest non esse honestum, quod non liberum est.
Praeséns est semper, qui ábsens etiam ulcíscitur.
Priús negatum póst fecisse est fállere.
Probi delicta iudex legens deterit.
Probo bona fama maxima est haereditas.
Probo beneficium qui dat, ex parte accipit.
Probús libertus síne natura est fílius.
Prodesse qui vult, nec potest, aeque est miser.
Prodest, quicunque obesse non vult, cum potest.
Pro dóminis peccare etiam virtutis loco est.
Pro medicina dolor est, dolorem qui necat.
Prope est, libens ut damnet, qui damnat cito.
Prope est, non aeque ut damnet, qui damnat nimis.
Properare in iudicando est crimen quaerere.
Prospicere in pace oportet, quid bellum iuvet.
Prudenti stultus etiam sermonis iocus est.
Pudór dimissus núnquam redit in grátiam.
Pudór doceri nón potest, nasci potest.
Pudorem alienum qui eripit, perdit suum.
Pudorem habere servitus quodammodo est.
Pudor quemcunque non flectit, frangat timor.

65) Vel: *Οἱ πρᾳότητι χρώμενοι νικῶσ᾽ ἀεί.*
66) Vel: *δυνάμενος, βλάπτων δὲ μή.*
67) Vel: *Τί πόλεμος ὠφελεῖ σ᾽, ἐν εἰρήνῃ σκόπει.*

Νικᾷ δ' αἰὼν ἡ φιλοικτίρμων φύσις. [65]
Αἴ ἂ 'ν γένοι' ἂν ἀσφαλής, ἀεὶ νόει.
Πολλοὶ φόβῳ χρηστοὶ μέν εἰσ', οὐκ ἀκακίᾳ.
Πλείους ἔκρυψεν ἢ γ' ἔσωσεν ἡ Τύχη.
Ὕβρει γ' ὑποπεσεῖν ἐστ' ἄνω τιμωρίας.
Ἀχρημάτως ζῆν ὑπερέβη πᾶσαν τίσιν.
Τίσις προσέρπει τοῦ τρίβειν χάριν κακῷ.
Ἄλγους χάλασμα καὶ χαλᾷ τιμωρίαν.
Τίσιν πονηρὸς ἀναβάλοιτ' ἄν, οὐ φύγοι.
Ὁ χρησιμεύων πατρίδι δοῦλός ἐστ' ὄχλου.
Μνήμη μὲν πάθους δυστύχημα δεύτερον.
Πρᾶος δυνάστης εὐτύχημα δήμιον.
Δυνατῷ χοληθεὶς κακὸν ἑαυτῷ προξενεῖ.
Μὴ καλὸν εἶναι δυνατόν, ὃ 'στ' ἀνελεύθερον.
Ἀεὶ πάρεστιν ὁ 'κδικῶν καὶ μὴ παρών.
Πρῶτον ἀπανήνασθ', εἶτα ποιεῖν, δόλος ἔφυ.
Μειοῖ τοῦ χρηστοῦ πλημμέλημ' ἀναγνοὺς κριτής.
Πλοῦτος μέγιστος εὖ ἀκούειν τῷ 'γαθῷ.
Χρηστῷ χάριν δοὺς μερίδα συμμεταλαμβάνει.
'Γαθὸς ἀπελεύθερος ἐστὶ παῖς φύσεως ἄτερ.
Θέλων ὀνῆσαι, μὴ δυνηθεὶς, ἄθλιος.
Ὀνίνησ' ὁ βλάπτειν δυνατὸς, οὐ βλάπτων ὅμως. [66]
Ἀρετή γ' ἁμαρτεῖν ἐστὶ δεσποτῶν ὕπερ.
Φάρμακον ἂν εἴη πόνος ἀναιρετὴς πόνου.
Ὁ ταχὺ καταγνοὺς παρὰ μικρὸν κατέγνως ἑκών.
Ἀδίκως ἔκρινε παρὰ μικρὸν ὁ κρίνας ταχύ.
Ἔγκλημα διζεῖν ἐστὶ τὸ δικάζειν ταχύ.
Ὄφελος τί πολέμου, δεῖ σ' ἐν εἰρήνῃ σκοπεῖν. [67]
Ἄφρων φρονοῦντι παῖγμα κἂν λόγοις δοκεῖ.
Αἰδοῦς φυγούσης οὐκ ἀνάκλησις [68] πέλει.
Αἰδὼς φύσει βροτοῖσίν ἐστιν, οὐ θέσει.
Αἰδῶ ἰδίαν ἀπώλεσ' ἀλλοτρίαν ἑλών.
Ὡς δοῦλός ἐστιν, ὅστις αἰδήμων ἔφυ. [69]
Αἰδὼς ὃν οὐκ ἔκαμψεν, ἔθραυσεν δέος.

---

68) Vel: ἀνάκτησις.
69) Vel: Εἶδος λατρείας ἐστὶν αἰσχύνην ἔχειν.

Pulchrum est praestare cuncta, nil exigere.
Pupillus hominis avidi est aetatis brevis.
Puras Deus, non plenas adspicit manus.

Q.

Quae vult videri bella nimis, nulli negat.
Quam felix vita, quae sine negotiis transiit!
Quam magnum est non laudari et esse laudabilem!
Quam malus est, culpam qui suam alterius facit!
Quam miser est, cui ingrata misericordia est!
Quam miser est, qui excusare sibi se non potest!
Quam miserum auxilium est, ubi nocet, quod sustinet!
Quam miserum est, bene quod feceris, factum queri!
Quam miserum est cogi opprimere, quem salvum velis!
Quam miserum est, cum se renovat consumptum malum!
Quam miserum est id, quod pauci habent, amittere!
Quam miserum est mortem cupere, nec posse emori!
Quam miserum officium est, quod successum non habet!
Quam miserum est, ubi consilium casu vincitur!
Quam miserum est, ubi te captant, qui defenderint!
Quam poenitenda incurrunt viventi diu!
Quam saepe veniam, qui negaverat, petit!
Quam timidus is est, paupertatem qui timet!
Quamvis acerbus, qui monet, nulli nocet.
Quamvis non rectum, quod iuvat, rectum putes.
Quemcunque quaerit calamitas, facile invenit.
Quem diligas, etiam queri de ipso malum est.
Quem fama semel oppressit, vix restituitur.
Qui aequo malis animo miscetur, est malus.
Qui bene dissimulat, citius inimico nocet.
Quicquid bono concedis, das partem tibi.
Quicquid conaris, quo pervenias, cogites.
Quicquid fit cum virtute, fit cum gloria.

---

70) Vel: ἐστὶ βραχυβιώτατος.

71) Vel: βλέπει. Vel ita: Καθαρὰς προκρίνει χεῖρας, οὐ πλήρεις θεός.

Ἅπαντα πράττειν καλὸν, ἐσπράττειν δὲ μή.
Κίμβιξ ἀφῆλιξ μακρὸν οὐ βιώσεται. [70])
Καθαρὰς τὸ θεῖον χεῖρας, οὐ πλήρεις σκοπεῖ. [71])

Καλὴ δοκεῖν θέλουσ' ἀναίνετ' οὐδενί.
Ζηλωτὸς ὁ βίος διὰ τέλους ἀπραγμόνων.
[72]) *Μέγ' οὐκ ἐπαινεῖσθ' ὄντ' ἐπαίνων ἄξιον.*
Ὡς φαῦλος, ὃς παῖσμ' ἴδιον εἰς ἄλλους στρέφει.
Ὡς πᾶς, ὃς ἐλέῳ δυσχεραίνεται, τάλας.
Ὡς πᾶς, ὃς αὐτὸν οὐκ ἀθωώσει, τάλας.
Ἔρεισμα βλαβερὸν, ὡς βοήθει' ἀθλία.
Ὡς σχέτλιον, ὃ πράξειας εὖ, πραχθὲν ψέγειν.
Θλίβειν ἄκοντα σχέτλιον, ὃν σώζειν θέλεις.
Ὡς ἀνανεοῦσθαι σχέτλιον ἀναλωθὲν κακόν.
Τὸ κτηθὲν [73]) *ὀλίγοις ἀποβαλεῖν ὡς σχέτλιον.*
Θανεῖν ποθοῦντι μὴ θανεῖν ὡς ἄθλιον.

— — — — — — — — — — —

Ὡς ἄθλιον ταὐτόματον ὅτε βουλῆς κρατεῖ.
Σχέτλιον, ὅτε σε θηρῶσι σου συνήγοροι.
Ὡς μετανόητα συγχωρεῖ τῷ μακροβίῳ.
Ὡς οἶκτον αἰτεῖ μή ποτ' οἰκτήσας πάρος. [74])
Ὡς δειλός ἐστιν ὁ πενίαν φοβούμενος.
Καὶ δυσαρὴς ὢν οὐκ ἔβλαψ' ὁ νουθετῶν.
Πᾶν ὀρθὸν ἡγοῦ, καίπερ οὐκ ὂν, ὠφελοῦν. [75])
Ὃν ἐξιχνεύει, ῥᾶστ' ἂν εὕροι συμφορά.
Ὃν ἂν φιλοίης, τῷδε μέμφεσθαι κακόν.
Δυσχερὲς ἀνορθοῦν πάντ' ἀτιμασθένθ' ἅπαξ.
Κακοῖς ὁμιλῶν οὐκ ἀκουσίως κακός.
Βλάπτοι τὸν ἐχθρὸν ῥᾶστ' ὁ προσποιούμενος.
Ἀγαθοῦ μεταδιδοὺς μερίδα συμμεταλαμβάνεις.
Ὅτου στοχάζει, τέρμα πράγματος σκόπει.
Ἔνδοξόν ἐστι πᾶν σὺν ἀρετῇ γενόμενον.

---

72) Vel: *Καλὸν οὐκ* etc.
73) Vel: *Τὸ κτητόν.*
74) Vel: *Ὡς θαμινὰ συγγνώμην καὶ μὴ διδοὺς ποθεῖ.*
75) Vel: *χρήσιμον.* Vel: *Ὀρθὸν νόμιζε, καίπερ οὐκ ὂν, χρήσιμον.*

Quicquid Fortuna exornat, cito contemnitur.
Quicquid futurum est summum, ab imo nascitur.
Quicquid nocere didicit, meminit, cum potest.
Qui, cum dolet, blanditur, post tempus sapit.
Quidam inimici graves amici sunt leves.
Qui debet, limen creditoris non amat.
Quid est beneficium dare? imitari Deum.
Qui docte servit, partem dominatus tenet.
Quid quisque possit, nisi tentato nescit.
Quid ipse sis, non quid habearis, interest.
Quid tibi pecunia opus est, si ea uti non potes?
Quieta vita iis, qui tollunt Meum Tuum.
Qui spectat, ut rogetur, officium levat.
Qui in vero dubitat, male agit, cum deliberat.
Qui invitus servit, fit miser, servit tamen.
Qui iusiurandum servat, quovis pervenit.
Qui metuit calamitatem, rarius accipit.
Qui timet insidias omnes, nullas incidit.
Qui pote celare vitium, vitium non facit.
Qui pote consilium fugere, sapere idem potest.
Qui pote nocere, timetur, cum etiam non adest.
Qui pote nocere, timetur, cum etiam non nocet.
Qui pote transferre amorem, pote deponere.
Qui pro innocente dicit, satis est eloquens.
Qui se ipse laudat, cito derisorem invenit.
Quis pauper est? Qui dives videtur sibi.
Qui sibi non vivit, merito aliis est mortuus.
Quis miserum sciret, verba si non haberet dolor?
Quis plurimum habet? is, qui omnium minimum cupit.
Qui timet amicum, amicus ut timeat, docet.
Qui timet amicum, vim non novit nominis.
Qui venit, ut noceat, semper meditatus venit.
Qui dubitat ulcisci, improbos plures facit.

---

76) Vel: *Εὐκαταφρόνητον πᾶν* etc.
77) Vel: *Σοφῶς λατρεύων δεσποτείας μερίδ' ἔχει.*
78) Vel: *οὐ δυναμένοις.*
79) Vel: *ὁ δεδιὼς κακά.*

Ἐξευτέλιστον [76]) πᾶν, ὃ κατέστεψ' ἡ Τύχη.
Ὑπὲρ ἄκρον ἔσται, πᾶν κάτωθε βλαστάνει.
Μέμνηθ', ὅταν δύνηθ', ὁ τοῦ βλάπτειν τρίβων.
Ἐνασμενίζων ἄλγεσ' ὕστερον φρονεῖ.
Ἐχθροὶ βαρεῖς τινές εἰσι καὶ κοῦφοι φίλοι.
Μισεῖ δανειστοῦ πᾶς ὀφειλέτης θύραν.
Εὐεργετεῖν τί ἐστι; μιμεῖσθαι θεόν.
Ὑπηρετῶν ἄριστα μετέχει τοῦ κράτους. [77])
Οὐδείς τί δύναταί γ' οἶδε πρὶν πεῖραν λαβών.
Τί τυγχάνοις ὤν, οὐ τί δόξοις, διαφέρει.
Τί χρημάτων δεῖ τοῖσι χρῆσθ' οὐκ εἰδόσι. [78])
Εὖ ἐστὶ τοῖς οὐκ εἰδόσιν τοὐμὸν τὸ σόν.
Τὸ καθῆκον ἔβλαψ' ἀντιβολεῖσθαι περιμένων.
Τῷ νήτρεκα δύσπιστος οὐκ εὖ σκέπτεται.
Τάλας, εἰ μὲν ὁ βίᾳ, δοῦλε, δουλεύεις δ' ὅμως.
Εὔορκος ἀνὴρ παντός ἐστ' ἐπήβολος.
Σπανίως κακοῖς περιέπεσ' ὁ κακὰ φοβούμενος. [79])
Πάντ' ἐνέδρᾳ δεδιὼς οὐ περιπέσοις ἐνί.
Κακίαν καλύπτειν ἴδρις οὐ κακίαν ποιεῖ. [80])
Βουλὴν ὁ φεύγειν ἴδρις οἶδε καὶ φρονεῖν.
Φοβερὸς ὁ βλάπτειν δυνάμενος καὶ μὴ παρών,
Φοβερὸς ὁ βλάπτειν δυνάμενος καὶ μὴ ποιῶν.
Μεταθεῖν ἔρωτα δυνατὸς ἀποθεῖναι δύνῃ.
Ἅλις εὐφραδής ἐστιν ὁ ὑπὲρ ἀθῴου λέγων.
Αἰνῶν ἑαυτὸν τάχα γελαστὴν περιέτυχε.
Πένης τίς ἐστί; πλούσιος ὃς αὐτῷ δοκεῖ.
Ἄλλοις τέθνηχ' ὁ μὴ βιοὺς αὐτῷ ποτέ.
Τίς τάλαν' ἂν οἶδεν, ἄλγος ἦν ἄφωνον ᾖν;
Τίς πλείονος κτᾶσθ'; ὅστις ἐλαχίστων ἐρᾷ.
Φίλον διδάσκει δεδιέν, ὃς δέδιε φίλον.
Ὁ φίλον δεδοικὼς κλῆσιν ἀγνοεῖ φίλου. [81])
Ὃς ἦλθε βλάψων, μεμελετηκὼς ἦν πάρος. [82])
Πλείους πονηροὺς τίσιν ὑπερθέμενος ποιεῖς.

---

80) Vel: Ἀμύθητα κρύπτειν ἴδρις οὐκ ἐργάζεται.
81) Vel: Φίλον τό γ' ὄνομ' οὐκ οἶδ' ὁ δεδιὼς φίλον. Vel: Ἀγνοεῖ φίλου τὴν κλῆσιν ὁ δεδιὼς φίλον.
82) Vel: πάλαι.

Qui culpae ignoscit uni, suadet pluribus.
Quo cavet is, cum animus aliud, verba aliud petunt?
Quod aétas vitium pósuit, aetas aúferet.
Quodcunque animus sibi imperavit, obtinet.
Quod est timendum, decipit, si negligas.
Quod facere turpe est, dicere honestum ne puta.
Quod fugere credas, saepe solet occurrere.
Quod nescias cui serves, stultum est parcere.
Quod nescias, damnare summa est temeritas.
Quod periit, quaeri pote, reprendi non pote.
Quod quisque amat, laudándo commendát sibi.
Quod semper est paratum, non semper juvat.
Quod senior loquitur, omnes consilium putant.
Quod timeas, citius, quam quod speres, evenit.
Quod vitiosum est, quo animo facias, nihil interest.
Quod vix contingit, vix voluptatem parit.
Quod vult cupiditas, cogitat, non quod decet.
Quod vúlt habet, qui vélle, quod satis ést, potest.

R.

Rapère est accipere, quod non possis reddere.
Rapere est, non petere, quicquid invito auferas.
Rarum ésse oportet, quód diu carúm velis.
Ratione, non vi vincenda adolescentia est.
Refert, quam quis bene vivat; quam diu, non refert.
Regnat, non loquitur, qui nil nisi quod vult facit.
Rei nulli prodest mora, nisi iracundiae.
Remédium est frustra cóntra fulmen quaérere.
Repelli se homo facilius fert, quam decipi.
Repente dives nemo factus est bonus.
Res inquieta est in se ipsam felicitas.
Respicere nil consuevit iracundia.

---

83) Vel: Ἣν χρόνος ἔθηκεν, καὶ χρόνος κακίαν ἀρεῖ.
84) Vel: Ἃ μὴ καλ᾽ ἔρδειν, αἰσχρὸν ἡγοῦ καὶ λέγειν.
85) Vel: Εἴωθ᾽ ἀπαντᾶν θαμὶν, ὅπερ ἂν ᾤου φυγεῖν. Vel: θάμ᾽, ὅπερ ἂν δόξαις φυγεῖν.
86) Vel: Ἐξευτελίζειν, ὃ ᾽γνοεῖς, προπέτει᾽ ἄκρη.

Πείθεις ἁμαρτεῖν πλείονας συγγνοὺς ἑνί.
Τὸ μὲν εἰ θέλει νοῦς, τὸ δὲ λόγος, τίς ἐγγυῇ;
Ἔθηκε κακίαν ὁ χρόνος, ὁ χρόνος δ' ἀρεῖ. 83)
Ὧν νοῦς ἂν ἐπιτάξει' ἑαυτῷ, τυγχάνει.
Τὸ φοβερὸν ἀπατᾷ ῥαδίως ἀμελούμενον.
Ὧν πρᾶξις αἰσχρὰ, μὴ δόκει τάδ' εὔστομα. 84)
Εἴωθ' ἀπαντᾷν ὅ, τι νομίζεις ἐκφυγεῖν. 85)
Φειδὼ περισσή γ' ἂν τίνι σώζεις ἀγνοεῖς.
Ὡς προπετὲς, ἅπερ οὐκ οἶδας, ἀθετεῖν ἄκριτα. 86)
Ζητητὰ τἀπολωλόθ', ἑλετὰ δ' οὐ πάλιν.
Αὑτῷ συνίστης, ἅπερ ἐπαινεῖν τίμια.
Ἀεὶ τά γ' εὐπόριστα χρήσιμ' οὐκ ἀεί. 87)
Βουλὴν νομίζει πᾶς γεραιτέρων λόγους.
Ὃ φοβῇ, τάχιον, ἢ οὗπερ ἐλπίζεις, μόλοι.
Τὰ φαῦλα πῶς φρονῶν ποιοῖς, οὐ διαφέρει.
Τὸ μόλις κυρῆσαν μόλις ἂν ἡδονὴν φέροι.
Οὐ τὸ πρέπον, ἀλλ' ὃ βούλεται ὁ θυμὸς νοεῖ.
Ὃ ποθεῖς, ἔχοις ἄν, ἤν τό γ' ἀρκέσον πόθῃς. 88)

Ὧν οὐκ ἀμείβειν οἶδας, ἁρπάζεις λαβών. 89)
Ἄκοντ' ἀφαιρεῖσθ' ἁρπαγή 'στ', αἴτημα δ' οὔ.
Δεῖ σπάνιον εἶναι τίμιον, ὃ χρόνιον θέλεις.
Πείθοντα παίδων, οὐ βίᾳ κρατεῖν πρέπει.
Ὡς εὖ, διαφέρει, οὐχ ὅσον βιοῖς χρόνον. 90)
Ὁ πλὴν ὅ, τι θέλει μὴ ποιῶν βασιλεὺς πέλει. 91)
Ὀνίνησι μηδὲν μᾶλλον ἢ μῆνιν τριβή.
Ἐναντίον ῥοῦ ἄκος ἐρευνᾷν δυσχερές. (Vide Notas.)
Ἀπότευγμα ῥᾷον ἢ περιγραφὴν φέροις.
Ταχύπλουτος ἀνὴρ οὐ γένοιτ' ἂν δεξιός.
Ὄλβος καθ' αὑτοῦ χρῆμ' ἀσύστατον φύσει.
Βαρεῖα μῆνις οὐδὲν εἴωθε σκοπεῖν.

---

87) Vel: Οὐκ ἔστιν ἐσαεὶ χρηστὰ τὰ εὐπόριστ' ἀεί. Vel: Οὐ χρήσιμ' ἐσαεὶ ἐστὶ τὰ εὐποριστ' ἀεί.
88) Vel: Ὃ βούλετ', ἔτυχ' ὁ βουλόμενος ὅ 'στ' ἄρκιον.
89) Vel: Οὐκ ὢν ἀμείβειν δυνατὸς etc.
90) Vel: Ὡς κοσμίως ζῇς, οὐχ ὅσον ζῇς, διαφέρει.
91) Vel: ἔφυ.

Res quanto est maior, tanto est insidiosior.
Revertere, unde veneris, nihil grave est.
Reus innocens Fortunam, non testem timet.
Rex esse nolim, ut esse crudelis velim.
Rivalitatem non amat victoria.
Rogari ingenuo servitus quodammodo est.
Roganti melius quam imperanti pareas.
Ruborem amico excutere amicum est perdere.

S.

Saepe oculi et aures vulgi sunt testes mali.
Saepe ignoscendo das iniuriae locum.
Salutis causa bene fit homini iniuria.
Sanctissimum est meminisse, cui te debeas.
Sapiens contra omnes arma fert, cum cogitat.
Sapiéns quod petitur, úbi tacet, brevitér negat.
Satis est beatus, qui potest, cum vult, mori.
Sat magna usura est pro beneficio memoria.
Secréto amicos ádmone, laudá palam.
Secunda in paupertate fortuna est fides.
Secundus est a matre nutricis dolor.
Se damnat iudex, innocentem qui opprimit.
Seditio civium hostium est occasio.
Semper beatam se putat benignitas.
Semper consilium tunc deest, cum opus maxime est.
Semper metuendo sapiens evitat malum.
Semper metuendum, quicquid irasci potest.
Semper plus metuit animus ignotum malum.
Semper redundat ipse in auctores timor.
Sensus, non aetas, invenit sapientiam.
Se posse plus iratus, quam possit, putat.
Sero est in periculis consilium quaerere.
Sibi ípsa improbitas cógit fieri iniúriam.
Sibi ípse dat supplícium, quem admissí pudet.

92) Vel: *Σωτηρίας προφάσει τὸν ἄνδρ' ἀδικεῖν θέμις.*
93) Vel: *Μνήμη παλαιᾶς* etc.
94) Vel: *Ἑαυτῇ μακαρία.*

Ὅσῳ ᾽στὶ μείζων πλοῦτος, ἐπιβουλεύεται.
Οὐκ ἔστ᾽ ἀνελθεῖν ἐνθάδ᾽, ὅθεν ἔβης, βαρύ.
Τύχην ἀθῷος δέδιεν, οὐ τοὺς μάρτυρας.
Οὐκ ἂν ἀνάσσοιμ᾽, ὥστ᾽ ἀνήλεως πέλειν.
Νίκη συνήθεις ἀντεραστὰς οὐ φιλεῖ.
Αἰτεῖν λατρείας εἶδός ἐστ᾽ ἐλευθέρῳ.
Πείθοι᾽ ἱκεσίᾳ μᾶλλον ἢ προστάγματι.
Φίλου στερίσκεθ᾽, ὃς δυσωπεῖ τὸν φίλον.

Τοὺς δημοτῶν τό, τ᾽ ὄμμα μάρτυρες κακοί.
Θαμὰ συγγινώσκων ἀδικίᾳ χώραν δίδως.
Ἐπὶ προφάσει σωτηρίας ἀδικεῖν θέμις. [92])
Ὅτῳ σ᾽ ὀφείλεις, ὅσιον οὐκ ἀμνημονεῖν.
Ἀντῆρε πᾶσιν ὅπλα σύννους ὁ σοφός.
Ἄρνησίς ἐστι σύντομος σιγὴ σοφοῦ.
Θανεῖν δύνασθ᾽, ὅταν θέλῃς, ὄλβος μέγας.
[93]) Εὖ μνήμον᾽ εἶναι χάριτος ἄρκιος τόκος.
Φίλους ἐπαινεῖν φανερά, νουθετεῖν λάθρα.
Τύχη πένητι πίστις ἐστὶ δευτέρα.
Τοῦ μητρὸς ἄλγους δεύτερον τὸν τῆς τροφοῦ.
Ἑαυτοῦ κατέγνω τὸν ἄκακον θλίβων κριτής.
Στάσις πολιτῶν ἐστ᾽ ἀφορμὴ δυσμενῶν.
[94]) Ἑαυτὴν μακαρίαν χρηστότης ἀεὶ δοκεῖ.
Ἀεί γε βουλὴ τοῦ δέοντος ὑστερεῖ.
Τὰ δεινὰ φεύγει σοφὸς ἀεὶ φοβούμενος.
Ἀεὶ τὸ πεφυκὸς μηνίειν φοβητέον.
Ὁ νοῦς δέδι᾽ ἀεὶ τὸ κακὸν ἀγνοούμενον. [95])
Εἰς τοὺς φοβοῦντας ὁ φόβος ἀναποδίζεται.
Νοῦς εὗρε σοφίαν, οὐ μακρὸς ζωῆς χρόνος.
[96]) Σωκεῖν ὁ κοτέων πλεῖον, ἢ σωκεῖ, δοκεῖ.
Ἐν τοῖσι δεινοῖς ὄψιμον συμβουλία.
Ὁ φαῦλος αὐτὸν αὐτὸς ἀδικεῖσθαι ποιεῖ.
Σαυτὸν κολάζεις, ὅταν ἁμαρτὼν αἰσχύνῃ.

---

95) Vel: Νοῦς δέδιε μᾶλλον ἀγνοούμενον κακόν.
96) Vel: Σωκεῖν χολωθεὶς etc.

Sibi primum auxilium eripere est leges tollere.
Si nil velis timere, metuas omnia.
Socius fit culpae, qui nocentem sublevat.
Solatium grande est cum universo una rapi.
Solet esse in dubiis pró consilio témeritas.
Solet hora, quod multi anni abstulerint, reddere.
Solet sequi laus, cum viam fecit labor.
Sordidius multo vivimus, quam nascimur.
Spes est salutis, ubi hominem obiurgat pudor.
Spes inopem, res avarum, mors miserum levat.
Spes praemii laboris est solatium.
Spina etiam grata est, ex qua spectatur rosa.
Stultitia est insectari, quem omnes diligunt.
Stultitiae partem interdum habet felicitas.
Stulti timent fortunam, sapientes ferunt.
Stultum est alium velle ulcisci poena sua.
Stultum est queri de adversis, ubi culpa est tua.
Stultum est timere, quod vitari non potest.
Stultum est vicinum velle ulcisci incendio.
Stultum facit fortuna, quem vult perdere.
Stultum imperare reliquis, qui nescit sibi.
† Stultus superbis invidet felicibus.
Suadere benevoli est primum, dein corrigere.
Submittit se quae se erigit felicitas.
Suis qui nescit parcere, inimicis favet.
Summissum imperium non tenet vires suas.
Suspecta semper ornamenta ementibus.
Suspicio sibi ipsa rivales parit.
Suum sequitur lumen semper innocentia.
† Se denegare patriae exilium est pati.

T.

Tacere nescit idem, qui nescit loqui.
Taciturnitas stulto homini pro sapientia est.
Tam deést avaro, quód habet, quam quod nón habet.
Tamdiu discendum est homini, quamdiu nesciat.
Timidus vocat se cautum, parcum sórdidus.

[96] Χηρῶν βοηθῶν ἑαυτόν ἐστ᾽ ἀνελεῖν νόμους.
Μηδὲν φοβεῖσθαι βουλόμενος ἅπαν φοβοῦ.
Κακῷ συνειπὼν μέτοχός ἐστ᾽ ἐγκλήματος.
Συναρπαγῆναι πᾶσι κουφισμὸς μέγας.
Ἐν τοῖς ἀδήλοις ἀντὶ βουλῆς τὸ προπετές.
Ἀπέδωκεν ὥρα, ὅ, τι τὰ πόλλ᾽ ἄφελ᾽ ἔτη.
Εἴωθ᾽ ἕπεσθαι κλέος ὁδηγοῦντος πόνου.
Ῥυπαρώτεροί τοι ζῶμεν ἢ γεννώμεθα.
Ὦ κόλασις αἰδὼς, οὐκ ἀπεγνώσθη πάνυ.
Ἐλπὶς πένητα, μοῖρ᾽ ἐκούφισ᾽ ἄθλιον.
Ἐλπὶς βραβείου τοὺς πόνους παρηγορεῖ.
Ἄκανθ᾽ ἀρέσκει, ῥόδον ἐν ᾗ θεώμεθα.
Μωρὸν διώκειν πᾶσι τὸν κεχαρισμένον.
Τοὐτυχές ἐνίοτε μερίδα μωρίας ἔχει.
Δέδιεν ὁ μωρὸς τὴν τύχην, ὁ σοφὸς φέρει.
Μωρὸν κολάζειν τὸν πέλας ἰδίᾳ τύχῃ.
Μέμφεσθ᾽ ἀτυχίαν μωρὸν, ἧς σύγ᾽ αἴτιος.
Τὸ πᾶσ᾽ ἄφυκτον δεδιέναι πρὸς ἄφρονος.
Μωρὸν κολάζειν γείτον᾽ ἐμπρησμῷ θέλειν.
Τύχη θέλουσα τιν᾽ ἀπολεῖν μωρὸν ποιεῖ.
Ὡς ἄτοπον ἄρχειν τῶν πέλας, αὑτοῦ δὲ μή.

— — — — — — — — — —

Εὔνου τὸ πείθειν πρῶτον, εἶτ᾽ ὀρθοῦν λόγοις.
Κατέβαλ᾽ ἑαυτὸν ὄλβος ἐξαίρων μέγα.
Ἰδίησι συγγνὼν ἄϊδρις ἐχθρῶν φείδεται.
Ἰδίαν ταπεινὸν ἰσχὺν οὐ τηρεῖ κράτος.
Σκευὴ δ᾽ ὕποπτόν ἐστι τοῖς ὠνουμένοις.
Ὕπνοι᾽ ἑαυτῇ τέτεκεν ἀντιπράκτορας.
Ὄπισθεν ἰδίου φωτὸς ἔρχετ᾽ ἀκακία.

— — — — — — — — — — —

Οὐκ οἶδε σιγᾶν, ὅστις οὐκ οἶδεν λαλεῖν.
Ἔστι τὸ σιγᾶν ἀντὶ σοφίας ἄφρονι.
Κίμβιξ τοσοῦτο δεῖτ᾽ ἔχων, ὅσον οὐκ ἔχων.
Τέως μαθεῖν χρεὼν σ᾽, ἕως ἄϊδρις εἶ.
Κίμβιξ ὁ λιτὸν δειλὸς εὐλαβῆ καλεῖ.

---

96) Vel: Στερεῖν.

Tormentum o dulce, aequo ubi reprimitur gaudium.
Turpis inopia est, quae nascitur de gloria.
Turpis est iactura, quae fit negligentia.
Tutissima res timere nihil praeter Deum.

V.

Vbi coepit pauper divitem imitari, perit.
Vbicunque pudor est, semper ibi sancta est fides.
Vbi fata peccant, hominum consilia excidunt.
Vbi innocens formidat, damnat iudicem.
Vbi maxime gaudebis, metues maxime.
Vbi omnis vita metus est, mors est optima.
Vbi peccat aetas maior, male discit minor.
Vbi timetur, nil quod timetur nascitur.
Velox consilium sequitur poenitentia.
Verbum omne refert in quam partem intelligas.
Verum est, quod pro salute fit mendacium.
Verum cur non audimus? quia non dicimus.
Veterem ferendo iniuriam, invites novam.
Veterem ferendo iniuriam vites novam.
Viri boni est nescire facere iniuriam.
Virum bonum natura, non ordo facit.
Virtute quod non possis, blanditia auferas.
Virtuti amorem nemo honeste denegat.
Virtuti melius quam Fortunae creditur.
Virtutis spolia cum videt, gaudet labor.
Virtutis vultus partem habet victoriae.
Vis omnibus esse notus, noris neminem.
Vitium fuit, nunc mos est assentatio.
Vix quisquam transit in bonum, nisi ex malo.
Vlcera animi sananda magis, quam corporis.
Vnus dies poenam affert, multi cogitant.
Voluntas quem pudicum, non corpus facit.
Voluptas e difficili data dulcissima est.
Voluptas tacita mage metus quam gaudium est.
Vtrumque casum aspicere debet, qui imperat.
Vultu an natura sis sapiens, multum interest.

Ὦ βάσανον ἡδὺν, ὅτε χαρὰν νικᾷ δίκη.
Ὕπαισχρος ἔνδει', ἥτις ἐκ δόξης ἔφυ.
Πᾶν ἐξ ἀμελείας ἐστ' ἀκίνδυνον βλάβος.
Μηδὲν φοβεῖσθαι πλὴν θεοῦ χρῆμ' ἀσφαλές.

Πένης ὄλωλε πλούσιον μιμούμενος.
Ἔνθ' ἔστιν αἰδὼς, ἐνθάδ' ἡ πίστις κυρεῖ.
Κακόβουλον ἀνδρῶν πλημμέλημ' εἱμαρμένης.
Ὅταν ἀθῷος δέδιε, κατακρίνει κριτοῦ.
Ὅπου πότ' ἐχάρης πολὺ, φοβηθήσῃ πολύ.
Ὅπου βίος πᾶς δέος, ἐκεῖ θάνατος καλός.
Ὅπου γέρων ἥμαρτ', ὁ νέος ἔμαθε κακῶς.
Ὅπου φόβος τὶς, φοβερὸν οὐδὲν γίνεται.
Βουλὴν ταχεῖαν μετάμελος μετέρχεται.
Πῶς ἐκδέχῃ τὸ ῥῆμα, διαφέρει πολύ.
Ψεῦδός γ' ἀληθές ἐσθ' ὑπὲρ σωτηρίας.
Ψεύδη λαλοῦντες ἀληθὲς οὐκ ἀκούομεν.
Φέρων παλαιὰν ὕβριν ἐκκαλεῖς νέαν.
Φέρων παλαιὰν ὕβριν ἔκκλινον νέαν.
Ἀγαθοῦ πρὸς ἀνδρὸς τἀδικεῖν οὐκ εἰδέναι.
Φύσις γὰρ ἄνδρα χρηστὸν, οὐ τάξις ποιεῖ.
Ὅπερ οὐ βίᾳ δύναιο, θωπείαις ἕλε.
Ἀρετῇ γ' ἐρᾷν οὐδεὶς καλῶς αναίνεται.
Ἀρετῇ γε μᾶλλον ἢ τύχῃ πιστευτέον.
Ὁ πόνος γέγηθε σκῦλα τῆς ἀρετῆς ὁρῶν.
Ἀρετῆς πρόσωπον ἔλαχε τῆς νίκης μέρος.
Ἅπασιν ἀγνὼς ὢν τύχοις γνοὺς μηδένα.
Ψεκτὸν πάλαι μὲν, νῦν δὲ θωπεί' ἐστ' ἔθος.
Οὐδεὶς μεταβέβηκ' ἐς ἀγαθὸν πλὴν ἐκ κακοῦ.
Ψυχῆς ἰᾶσθαι μᾶλλον ἕλκος ἢ δέμας.
Τὴν τίσιν ἓν ἦμαρ ἐπιφέρει, πολλὰ συνάγει.
Ὃν ἡ θέλησις, τὸ δέμας ἁγνὸν οὐ ποιεῖ.
Γλυκεῖα χαλεπῶς ἡδονὴ πεπορισμένη.
Λαθοῦσα τάρβος ἡδονὴ πλέον ἢ χαρά.
Σκοπεῖν τὸν ἄρχοντ' ἑκατέρην τύχην χρεών.
Εἶναι σοφὸν δοκεῖν τε διαφέρει πολύ.

VERSUS TROCHAICI.

'Aleator, quánto in arte est mélior, tanto est néquior.
Bénevoli coniúnctio animi máxima est cognátio.
Cónscientia ánimi nullas ínvenit linguaé preces.
Cui quid vindicandum est, omnis optima est occasio.
Contumeliam nec ingenuus fert, nec fortis facit.
Cuius mortem amici exspectant, vitam cives oderunt.
Difficile est dolori convenire cum sapientia.
Díxeris maledícta cuncta, ingrátum cum hominem díxeris.
Duplex fit bonitas, si simul accesserit celeritas.
Esse necesse est vitia minima maximorum maxima.
Est beneficium eo carere, quod invitus possideas.
Ést honesta túrpitudo pró bona causá mori.
Expetit poenas iratus ab alio, a se ipso exigit.
Éxul is, cui núsquam domus est, síne sepulcro est mórtuus.
Felix est, non qui videtur esse aliis, sed qui sibi.
Féminae tutélam gerere, désperare est ótium.
Fortior est, qui cupiditates suas, non qui hostes subiicit.
Frústra, cum ad senéctam est ventum, répetas adolescéntiam.
Fúlmen est, ubi cúm potestate hábitat iracúndia.
Hábet in advérsis auxilia, qui ín secundis cómmodat.
Heú dolor, quam míser est, qui in torménto vocem nón habet!
Heu quam miserum est discere servire, ubi dominari doctus es!
Heú quam miserum est áb eo laedi, dé quo non ausís queri!
Heu quam multa poenitenda incurrunt viventes diu.
Hómo, qui in homine cálamitoso est misericors, meminít sui.
Homo semper aliud fert in se; in alterum aliud cogitat.
'Improbe Neptúnum accusat, qui íterum naufragiúm facit.
'In malis sperare béne, nisi ínnocens, nemó solet.
Inter amicos iudicatur, quam inimicos, molestius.

ΤΡΟΧΑΙΚΟΙ.

Ὅσον ἐνὶ κύβοις τρίβων, τόσον ἔσθ' ὁ κυβευτὴς κακός.

— — — — — — — — — — —

Οὗτινος γλώσσης δεήσεις εὗρε τὸ συνειδὸς φίλου. (Vide Not.)
Παντὶ τὶ 'κδικεῖν θέλοντι πᾶσ' ἀφορμὴ πρόσφορος.
Δύναται οὔτ' ἀνδρεῖος ὕβριν, οὔτε γεννάδας φέρειν.
Ὃν θανεῖν φίλοι ποθοῦσι, πᾶσ' ἐμίσησεν πόλις.
Ἄλγος ἐστὶ καὶ φρόνησις δυσχερὴς ὁμιλία. [97]
Ἄχαριν ἀποκαλῶν τιν' ἄνδρα, πᾶν ὄνειδος ἐξέφης.
Ὠκύτητι συνδραμοῦσα χρηστότης διπλάζεται.
Τὰ ἐλάχιστα πλημμελημάτων μεγάλων μέγιστ' ἔφυ.

— — — — — — — — — — —

Αἶσχος ὡς εὔσχημόν ἐστι, τῶν καλῶν ὕπερ θανεῖν.
Ὁ κοτέων ἑαυτὸν κολάζει, βούλεται δὲ τὸν πέλας. [98]
Ὅστις ἐστὶ φυγὰς ἄοικος, οὗτός ἐστι ἄταφος νέκυς.

— — — — — — — — — — —

Οὐ γυναικῶν ἐπιμελεῖται, πλὴν δύσελπις τῆς σχολῆς.
Νῖκος ἔστ' οὐ τῶν πολεμίων, ἀλλὰ τῶν ἐπιθυμιῶν.
Ἐπιτυχῶν γήρως μάτην ποθεῖς ἀνηβάσκειν πάλιν.
Τῷ κράτει σύνοικος ὀργὴ σκηπτός ἐστιν ὀξύπληξ.
Σὺ χάριν εὐτυχοῦντι χρήσας δυστυχῶν ἀπολαμβάνεις.
Ἄλγος ἐν βασάνοις ἄφωνόν ἐστιν ἀθλιώτατον.
Δυστυχὲς μαθεῖν λατρεύειν τὸν μαθόντα κοιρανεῖν.
Ὑπ' ἀνυπευθύνου μάλ' ἀνδρός ἐστιν ὑβρίσθαι βαρύ.
Ὡς μακρὸν βιοῦντι μετανοητὰ πολλὰ συγκυρεῖ.
Ἔστι δὴ μνήμων ἑαυτοῦ ὁ ἐλεῶν τὸν δυστυχῆ.
Τὸ μὲν ἀνὴρ ἔχει παρ' ἑαυτῷ, τἄλλο δ' ἐς ἄλλον νοεῖ.
Δεύτερος ναυαγὸς οὐκ ἐν τῇ θαλάττῃ μέμφεται.
Ἐν κακοῖς θαῤῥεῖν ἂν εἴη, πλὴν ἀθώου, μηδενός.
Ἐν φίλοις δικάζετ' ἢ ἐχθροῖσι δυσχερέστερον.

---

97) Vel: Ἔστιν ἄλγει καὶ φρονήσει δυσχερὴς ὁμιλία. Vel: συμφωνία.

98) Vel: Ἄλλον ἐξαιτεῖς δίκην, ἑαυτὸν εἰσπράττεις κοτῶν.

Ipsae amicos res opimae pariunt, adversae probant.
'Iracundiám qui vincit, hóstem superat máximum.
'Irritare est cálamitatem, cúm te felicém vocas.
'Ita amicum habeas, pósse ut facile fieri hunc inimicúm putes.
Mage cavenda est amicorum invidia, quam insidiae hostium.
Maximo periculo custoditur, quod multis placet.
Minime amicus sum, fortunae particeps nisi sim tuae.
Miseriam nescire propriam, est sine periculo vivere.
Mors infanti felix, iuveni acerba, sera nimis seni.
Mórtuo munús qui mittit, níl dat illi, adimít sibi.
Nae virtutibus multis abundat, qui alienas amat.
Neminem nec accusaveris, nec laudaveris cito.
Néscias, quid óptes aut quid fúgias, ita ludit dies.
Nescit is nocere, qui nocere velle perdidit.
Ni gradus servetur, nulli tutus est summus locus.
Nil prodest bene didicisse, facere si cesses bene.
Nil rationis est, ubi res semel in affectum venit.
Nondum felix es, si nondum turba te deriserit.
Non aliter vives in solitudine, aliter in foro.
Núlla, quae multós amícos récipit, angusta ést domus.
Núlla tam bona ést fortuna, dé qua nil possís queri.
Núsquam melius mórimur homines, quam úbi libenter víximus.
'Obiurgari in cálamitate, grávius est quam cálamitas.
Odio oportet peccandi ut facias, non metu bonum.
Omnes vitam differentes mors incerta praevenit.
Optime positum est beneficium, ubi eius meminit, qui accipit.
Optimum est sequi maiores, recte si praecesserint.
Pecunia est ancilla, si scis uti, si nescis, domina est.
Plerique ubi aliis maledicunt, faciunt convicium sibi.
Principium est discordiae ex communi facere proprium.
Proximum tenet locum confessio innocentiae.
Quánto seriús peccatur, tánto incipitur túrpius.
Quem bono tenere non poteris, hunc teneas malo.

Ὄλβος αὖ φίλους ἔτεξε, συμφορὰ δ' ἐλέγχεται.
Θυμὸν ἔγκοτον δαμάζων πολέμιον νικᾷ μέγαν.
Εὐτυχῆ καλῶν σε μετὰ σοῦ τὴν τύχην ἐρεσχελεῖς.
Τὸν φίλον κτῆσαι ἂν, ἐχθρὸν ὡς γενησόμενόν ποτε.
Ζῆλον ὑφορῶ φίλου πρὸ τῆς ἐνέδρας ἐν δορί.
Πᾶσ' ἐπίστροφον μεγίστῳ κινδύνῳ φυλάσσεται.
Ὃς τύχης σῆς μὴ μετάσχοι, πῶς ἂν εἴη σοὶ φίλος; 99)
Ἴδια μὴ νοεῖν παθήματ' ἔστ' ἀκίνδυνος βίος.
— — — — — — — — —
Δῶρα δοὺς νεκρῷ δίδωσιν οὐδὲν, αὐτὸν δὲ στερεῖ.
— — — — — — — — —
— — — — — — — — —
Κῦβος οὐκ ἐᾷ σκοπεῖν, τί φευκτέον, τί θ' αἱρετόν.
— — — — — — — — —
— — — — — — — — —
— — — — — — — — —
— — — — — — — — —
— — — — — — — — —
— — — — — — — — —
— — — — — — — — —
Οὐ τέλειόν ἐστιν ὥστ' ἄμεμπτον εἶναι μηδέν.
Οὐδαμῇ κρεῖττον θανεῖν, ἢ ἢ ἐβίωμεν ἀσμένως.
— — — — — — — — —
— — — — — — — — —
— — — — — — — — —
— — — — — — — — —
— — — — — — — — —
— — — — — — — — —
— — — — — — — — —
— — — — — — — — —
— — — — — — — — —
— — — — — — — — —
— — — — — — — — —

99) Vel: Σῆς τύχης οὔτοι μετασχὼν πῶς ἂν εἴην σοὶ φίλος;

Quicquid est plus quam necesse, possidentes deprimit.
855 Quid refert, quantum habeas? multo illud plus est, quod non habes.
Regibus peius est multo, quam ipsis servientibus.
Res bona est non exstirpare sceleratos, sed scelera.
Ridiculum est odio nocentis perdere innocentiam.
Saepe dissimulare satius, quam vel ulcisci fuit.
860 Saepius locutum, nunquam me tacuisse poenitet.
Semper vocis et silentii temperamentum tene.
Sermo animi est imago; qualis vir, talis et oratio est.
Si multis tua vita placuerit, tibi placere non potest.
Sine dolore est vulnus, quod ferendum cum victoria.
865 Si pares invitus, servus es; minister, si volens.
Solitudinem quaerat, qui vult cum innocentibus vivere.
Tam crudelitas est omnibus, atque nulli ignoscere.
Tam deest quod habet avaro, quam misero quod non habet.
Thesaurum in sepulcro ponit, qui senem heredem facit.
870 Tolerabilior, qui mori iubet, quam qui male vivere.
Tolerabilior poena haud posse, quam nescire vivere.
Tuta saepe, nunquam secura mala conscientia est.
Vbi sis cum tuis, et absis patria, eam desideres.
Vita hominis brevis; ideo honesta mors est immortalitas.

---

875 † Aut animo facis aut amico, cuncta exsuperes tristia.
† Omnium vindicta irritat odium; paucorum premit.
† Audentes fortuna iuvat.
† Piger sibi ipse obstat.
† Ex saeva animadversione nulla regi gloria est.

Τὸ πέρα τοῦ δέοντος ὂν κατέβαλε τοὺς κεκτημένους.
Διαφέρει τί, πόσσ᾽ ἔχεις, εἰ πλέον ἔσθ᾽, ἅττ᾽ οὐκ ἔχεις.
— — — — — — — — —
— — — — — — — — —
Κατάγελως ἀδίκων δι᾽ ἔχθραν τὴν δικαιοσύνην πατεῖν.
Τὸ παριδεῖν περὶ πλεῖον ὠφέλησε τῆς τιμωρίας.
— — — — — — — — —
— — — — — — — — —
— — — — — — — — —
— — — — — — — — —
— — — — — — — — —
— — — — — — — — —
— — — — — — — — —
— — — — — — — — —
— — — — — — — — —
— — — — — — — — —
— — — — — — — — —
— — — — — — — — —
— — — — — — — — —
— — — — — — — — —
— — — — — — — — —

Hos Graecos versus effudimus potius, quam meditati sumus: id quod et angustiae temporis, quibus scripsimus, et amici, quibus nos rogati has paucas horas impendimus, testari possunt. Ut meliores sint versus, et maioris otii opus est, et melioris ingenii. Haec autem Publiana, quamvis inter nugas theatrales iactata, tamen, quid rectum, quid utile sit, iuxta Horatium, melius Chrysippo et Crantore dicunt. Itaque nunquam illos de manibus deponant, non pueri tantum, sed etiam doctiores.

SENTENTIAE

E CODICE FRISINGENSI ET ALIIS,

QUAE PUBLII SYRI SENTENTIIS PERPERAM INTRUSAE LEGUNTUR IN EDITIONIBUS DIONYSII GODOFREDI ET ADAMI SARTORII.

(G. denotat editionem D. Godofredi, F. Codicem Frisingensem.)

1. A duabus causis praestare princeps solet, si aut se vendicat aut alium. [G.]
2. Aberrare a fortuna tua non potes: obsidet te: quocunque descenderis, magno apparatu sequitur. *Seneca I. de Clem. C.* 8. [G.]
3. Acerrima virtus est, quam ultima necessitas excutit. *Seneca ibid. C.* 11. [G.]
4. Agat princeps curam non tantum salutis, sed et honestae cicatricis. *Senec. ibid. C.* 7. [G.]
5. Beneficium est semper reddere bonitatis verba. [G.]
6. Bonum est reddere bona verba etiam inimicis. [G.]
7. Bonus iudex est, qui novit dispensare quod dandum est et quatenus. [G.]
8. Clementia est lenitas superioris adversus inferiores. *Senec. de Clement. Lib. II. C.* 3. [G.]
9. Clementia est temperantia animi in potestate ulciscendi. *Idem ibid.* [G.]
10. Clementia in quamcunque domum venerit, felicem eam tranquillamque praestabit. *Senec. de Clem. I.* 5. [G.]
11. Consiliis iuniorum multi se docti explicant. [F.]
12. Consuetudo peccandi multitudinem facit peccantium *Senec. I. de Clem. C.* 22. [G.]
13. Difficilius est moderari, ubi dolori debetur ultio, quam ubi exemplo. [G.]

14. Eleemosyna non tam accipientibus, quam dantibus prodest. [G.]
15. Errat, si quis existimat, tutum diu esse regem. [G.]
16. Evadere possunt pusilla mala et verba dare: ingentibus obviam itur. [G.]
17. Excusationem quaerere vitium est: omnia ad Deum relinque. [G.]
18. Facilius privatis ignoscitur, pertinaciter se iudicantibus. [G.]
19. Fortuna, quam nemo invidet, gratum facit. [G.]
20. Gradus a magnis ad maiora fit. *Seneca de Clem. I, Cap.* 1. [G.]
21. Haec clementia principem decet, ut, quocunque venerit, mansuetiora omnia faciat. [G.]
22. Haud minus turpia sunt principi multa supplicia, quam medico multa funera. [G.]
23. Honestius est, cum iudicaveris, amare, quam, cum amaveris, iudicare. [G.]
24. Imago animi sermo est: qualis est vir, talis oratio. [G.]
25. Imbecillos oculos esse, qui ad alienam lippitudinem suffunduntur. [G.]
26. Infelici felicitas est innocentia, nequitia ipsa poena sui est. [G.]
27. In felicitate se erigere est felicitatem submittere. [G.]
28. Inhonesta res est suos vincere: satis est potuisse punire. [G.]
29. Lassa crudelitas non est vocanda clementia. [G.]
30. Magni animi est proprium, esse tranquillum, iniurias atque offensiones semper despicere. [G.]
31. Malis displicere laudari est. [G.]
32. Malo veris offendere, quam placere adulando. *Senec. II. de Clem. C.* 2. [G.]
33. Misera est aegritudo animi ob alienarum speciem miseriarum. [G.]
34. Misericordia est vicina miseriae, habet enim aliquid trahitque ex ea. [G.]
35. Misericordia non causam, sed fortunam spectat. [G.]

36. Monstro similis est avaritia unica. [G.]
37. Morbum esse scias, non hilaritatem semper arridere arridentibus, et ad omnium aestimationem etiam os diducere. [G.]
38. Muliebre est furere in ira. [G.]
39. Nam etsi nullos inimicos tibi facit iniuria, nonnullos tamen facit invidia. [G.]
40. Nihil negabis, quod petiturus eris. [F. et G.]
41. Nihil petas, quod negaturus es. [F. G.]
42. Nihil prodest didicisse benefacere, si cesses. [F. G.]
43. Nil interest, quo animo facias, quod fecisse vitiosum est. Nam facta cernuntur, animus non videtur. [G.]
44. Nil magnum est in rebus humanis, nisi animus magna despiciens. [G. et F.]
45. Nimia concedendo interdum fit stultitia. [F.]
46. Nobilis professio sapientia est, quae distributa suscipit incrementum; avarum dedignata possessorem, cito nisi publicatur, elabitur. [G.]
47. Non alia facies est quieti moderatique imperii, quam sereni coeli et nitentis. [G.]
48. Non aspicias, quam plenas quisque manus Deo, sed quam puras admoveat. Non enim aliter nisi optimus animus pulcherrimus Dei cultus est. [G.]
49. Non multum supra eum eminet, quis cui se irascendo exaequat. *Senec. de Clem. I.* 5. [G.]
50. Nullum ex omnibus clementia magis quam regem aut praelatum decet. [G.]
51. Nullum morosius est animal maiorique arte tractandum, quam homo, et nulli magis parcendum, quam homini. *Senec. de Clem. I.* 17. [G.]
52. Nunquam liquidum sincerumque ex turbido venit. [G.]
54. Obiurgationi semper blanditiae aliquid admisce. [G.]
55. Omitte excusationem. Nemo peccat invitus. [F.]
56. Omnia tamen panduntur, cum non dico, si cecideris, sed si titubaveris. [G.]
57 Omne peccatum actio est: omnis autem actio volun-

taria, tam honesta quam turpis. Omne ergo peccatum voluntarium est. [G.]

58. Omni rei moderatio est adhibenda, quae sanabilia ingenia distinguere a deploratis sciat. [G.]

59. Omnis affectus habet, ut in hoc, quod ipse insanit, caeteros furere putet. [F. G.]

60. Omnis doctor in vitae ratione peccans turpior est ob hoc, quod in officio, cuius magister esse vult, labitur. [F. G.]

61. Opinentur de te homines male, sed mali; omnibus enim displicere malis laudabile est. [F. G.]

62. Optimum est semper ignoscere, tanquam ipse quotidie pecces. [F. G.]

63. Oratorem te puta, si tibi quod oportet persuaseris. [F. G.]

64. Pacem cum hominibus habebis, bellum cum vitiis. [F. G.]

65. Parcendum est improbis civibus non aliter, quam membris languentibus. [G.]

66. Peccandi duo sunt genera: aliud ex proposito, aliud ex negligentia vel fragilitate. [F. G.]

67. Peccandi verecundiam facit ipsa clementia regentis. *Senec. de Clem. I.* 22. [G.]

68. Peiora sunt tecta odia, quam aperta: propterea te loquax inimicus minus quam taciturnus offendit. [F. G.]

69. Perdidisse mallem, quam accipere turpiter. [F.]

70. Pestifera vis valere ad nocendum. *Senec. de Clem. I.* 3. [G.]

71. Potentia in adversis nunquam felicitas. [F.]

72. Praestabis parentibus pietatem, cognatis dilectionem: praestabis amicis fidem, omnibus aequitatem. [F. G.]

73. Principum saevitia bellum est. [G.]

74. Prius, quam promittas, deliberes, ut, cum promiseris, facias. [F. G.]

75. Propter causam multa amico dabis: multa causa etiam contra amicum. Pro eo religiosior eris, quo melior. [F. G.]

76. Quae sunt maximae divitiae? non desiderare divitias [F. G.]

77. Quam iniquum est (nocuisse), quia oderis, laedere: quanto iniquius est odisse, quia laeseris. [F. G.]

78. Quam magnarum virium est negligere laedentem: qui enim vindicat, sentit. [F. G.]

79. Quamvis agas, ne quis merito tuo te oderit, quaerunt tamen semper, qui oderint. [F. G.]

80. Quicquid aequo plus futurum est, in partem humaniorem inclina vel praepondera. [G.]

81. Quidam quosdam occidunt inimicos, non quia habebant, sed quia meruerant. [G.]

82. Quid dulcius quam habere, cum quo omnia audeas, quem sic credas, ut te, cui sic loquaris, quasi tecum. Quanti tales amicos habere voluerunt, quum ipsi tales esse non possent. [F. G.]

83. Quid eo infelicius, cui iam malum esse necesse est. *Senec. de Clem. I.* 13. [G.]

84. Qui ob hoc iniuriam facit, quia potest, cito desinet, quia fecit. [F. G.]

85. Qui paupertatem timet, quam timendus est! [F. G.]

86. Qui propter pecuniae vel libidinis amorem moritur, ostendit se nunquam sui causa vixisse. [G.]

87. Qui succurrere perituro potest, cum non succurrit, occidit. [F. G.]

88. Quod tacitum esse vis, nemini dixeris, quia non poteris ab alio exigere silentium, si tibi ipse non praestas. [F. G.]

89. Quo se fortuna, et favor inducit hominum. [G.]

90. Recta ingenia debilitat sapientia, prava confirmat audacia. [F. G.]

91. Recte parentem et inferiorem laudas, quia pertinet ad gloriam tuam. [F. G.]

92. Rege incolumi mens omnibus una est: amisso rupere fidem. [G.]

93. Regibus certior est ex mansuetudine securitas. *Seneca de Clem. I.* 8. [G.]

94. Rem maximam promittit sapientia, ut te reducat tibi. [F. G.]
95. Res ipsa, ut praestare possimus, efficiet, si polliceri properamus honesta. [F. G.]
96. Res magna clementia est indulgendo magis corripere scelera, quam vindicando. [F. G.]
97. Respue crudelitatem et matrem crudelitatis iram. [F. G.]
98. Res vera est: qui a multis timetur, multos timet. [F. G.]
99. Revera memoria beneficii fragilis est, iniuriarum tenax. [F. G.]
100. Sapiens etsi contentus est se, tamen amicum vult habere, sed hoc ob nihil aliud, nisi ut exerceat amicitiam, ne tam magna virtus iaceat: non ad hoc, ut dicit Epicurus, ut habeat, qui sibi assideat, succurrat; sed ut habeat, cui assideat, quando libet. [G.]
101. Sapiens nihil facit, quod non debet, et nihil intermittit, quod debet. [G.]
102. Sapiens semper quiescendi dat locum iniuriae. [F.]
103. Scito, quid est invidia: dolor animi ex alienis commodis. Scito et illud, quia nulli invidet vir bonitate praeditus. [F. G.]
104. Semper dissensio ab alio incipiat, a te reconciliatio. [F. G.]
105. Servis imperare moderate laus est. *Senec. de Clem. I.* 8. [G.]
106. Severitas assidua amittit auctoritatem. [G.]
107. Severitatem abditam clementia in procinctu habet. [G.]
108. Si bene te institueris, pudeat fieri deteriorem. [F. G.]
109. Sicut formosa pictura est, cuius nulla pars errat, sic formosus homo, in quo nulla pars peccatis foeda est. [F. G.]
110. Si in clientelam felicis hominis potentiaeque veneris, aut veritas aut amicitia perdenda est. [F. G.]
111. Si non invideas, maior eris, nam qui invidet, minor est. [F. G.]
112. Si quis irascitur et ab alio poenas petit, a se exigit:

si enim nos adversus peccantes severissime ingerimus, et ipsi eadem committimus. [F. G.]

113. Si vis beatus esse, cogita hoc primum, contemni. [F. G.]

114. Si vis amari, ama. [G.]

115. Succurre paupertati amicorum, imo potius occurre. [G.]

116. Sunt multi, qui plurimum verbis, non re, contendunt: sed ipsa, quae spernunt, clam furantur. [F. G.]

117. Sunt quorum corpus innoxium est, sed in mille facinorum furias mens cita decurrit. [F. G.]

118. Talem diligentiam adhibe in amicis comparandis, ne incipias amare, quem deinceps possis odisse. [F. G.]

119. Tamdiu a periculo aberit populus, quamdiu sciet ferre frenos. [G.]

120. Tene semper vocis et silentii temperamentum, et in hoc incumbas, ut libentius audias, quam loquaris. [G.]

121. Tristitiam, si potes, cave ne admiseris. [F. G.]

122. Turpia ne dixeris: paulatim enim pudor per verba discutitur. [F. G.]

123. Transibit sermo in affectum, si honesta loquamur. [F. G.]

124. Turpius nihil est, quam cum eo bellum gerere, cum quo familiariter vixeris. [F. G.]

125. Tu primum exhibe te bonum, et sic quaeras alterum similem tui. [F. G.]

126. Tyrannus a rege distat factis, non nomine. *Senec. de Clem. I.* 13. [G.]

127. Ubi discrimen inter bonos malosque sublatum est, confusio sequitur et vitiorum eruptio. [G.]

128. Ubi usitata remedia non procedunt, tenta contraria. [G.]

129. Venia est poenae debitae remissio. [G.]

130. Verba rebus, non personis, accipienda sunt. [F. G.]

131. Vide, si malus adhuc es, parce similibus: verum si esse desiisti, quare aliis locum emendationis abscindas? [G.]

132. Vir est bonus, qui in tantum perduxit animum suum, ut non modo nolit peccare, sed etiam non possit. [F. G.]

133. Vires tuas amici beneficiis, inimici iniuriis sentiant. [F. G.]

134. Viriliter feras, quae necesse est, doloribus enim patientia vincitur. [F. G.]

135. Virtutem, cuius progressum videris, non exitum eius desperes. [F. G.]

136. Vis habere honorem, dabo tibi magnum imperium: impera tibi. [F. G.]

137. Volunt homines ita praeceptum esse, ut vivunt, non ita vivere, ut praeceptum. [F. G.]

138. Ut aliquid auri extrahamus, terras pervertimus: ut summum bonum occupemus, scrutari pectus piget. [F. G.]

139. Utendum est divitiis et non abutendum; ut nec a superioribus contemnaris, nec ab inferioribus timearis. [G.]

140. Ut fulmina paucorum periculo cadunt, omnium metu, sic animadversiones magnarum potestatum terrent latius, quam nocent. [G.]

141. Utilis eductio et disciplina mores facit: unde bona consuetudo excutere debet, quod mala induxit. [F. G.]

142. Utinam ea lex homini esset, ut cum telo suo frangeretur, nec saepius liceret nocere, quam semel. *Seneca de Clem. I.* 19. [G.]

PUBLII

VERSUS CONTRA LUXURIAM.

(Descripti ex Petronii Satyrico Cap. LV.)

PUBLII SYRI.

Luxuriae rictu Martis marcent moenia.
Tuo palato clausus pavo pascitur,
Plumato amictus aureo Babylonico;
Gallina tibi Numidica, tibi gallus spado,
Ciconia etiam grata, peregrina, hospita,
Pietaticultrix, gracilipes, crotalistria,
Avis, exsul hiemis, titulus tepidi temporis,
Nequitiae nidum in cacabo fecit meo.
Quo margarita cara tribacca et Indica?
An ut matrona ornata phaleris pelagiis
Tollat pedes indomita in strato extraneo?
Smaragdum ad quam rem viridem, pretiosum vitrum?
Quo Carchedonios optas ignes lapideos,
Nisi ut scintillent? Probitas est carbunculus.
Aequum est induere nuptam ventum textilem?
Palam prostare nudam in nebula linea?

D. LABERII MIMI
PROLOGUS
ET
FRAGMENTA MORALIA.

D. LABERII PROLOGUS.

(E. Macrobii Saturn. Lib. II. Cap. VII.)

Laberium asperae libertatis equitem Romanum Caesar quingentis millibus invitavit, ut prodiret in scenam et ipse ageret mimos, quos scriptitabat. Sed potestas, non solum si invitet, sed et si supplicet, cogit: unde se et Laberius a Caesare coactum in prologo testatur is versibus:

Necéssitas, cuius cúrsus transversi ímpetum
Voluérunt multi effugére, pauci potúerunt,
Quo mé detrusit paéne extremis sénsibus?
Quem núlla ambitio, núlla unquam largítio,
Nullús timor, vis núlla, nulla auctóritas
Movére potuit ín iuventa dé statu;
Ecce ín senecta ut facíle labefecít loco
Viri éxcellentis, ménte clemente édita,
Submíssa placide, blandíloquens orátio.
Etenim ípsi Dí negáre cui nihil potúerunt,
Hominém me denegáre quis possét pati?
Ego, bís tricenis ánnis actis siné nota,
Equés Romanus éx lare egressús meo
Domúm revertar Mímus? nimirum hóc die
Unó plus vixi, mihí quam vivendúm fuit.
Fortúna immoderata ín bono aeque atque ín malo!
Si tibi érat libitum lítterarum laúdibus
Florís cacumen nóstrae famae frángere,
Cur, quúm vigebam mémbris praeviridántibus,
Satisfácere populo et táli cum poterám viro,
Non fléxibilem me cóncurvasti, ut cárperes?
Nunc mé quo deiicís? quid ad scenam áffero?
Decórem formae, an dígnitatem córporis?
Animí virtutem, an vócis iocundaé sonum?

Ut hedéra serpens víres arboreás necat,
Ita mé vetustas ámplexu annorúm enecat.
Sepúlcris similis, nihíl nisi nomen retíneo.

In ipsa quoque actione subinde se, qua poterat, ulciscebatur inducto habitu Syri, qui, velut flagris caesus, praeripienti se similis exclamabat:

Porró, Quirites, líbertatem pérdidimus.

et paulo post adiecit:

Necésse est multos tímeat, quem multí timent.

quo dicto universitas populi ad solum Caesarem oculos et ora convertit notantes impotentiam eius hac dicacitate lapidatam. Ob haec in Publium vertit favorem. Is Publius natione Syrus, cum puer ad patronum domini esset adductus, promeruit eum non minus salibus et ingenio, quam forma; nam forte cum ille servum suum hydropicum iacentem in area vidisset, increpuissetque, quid in sole faceret; respondit: Aquam calefacit: *ioculari deinde super coena exorta quaestione, quodnam esset molestum otium, aliud alio opinante, ille* Podagrici pedes *dixit. Ob haec et alia manumissus et maiore cura eruditus, cum mimos componeret, ingentique applausu in Italiae oppidis agere coepisset, productus Romae per Caesaris ludos omnes, qui tunc scripta et operas suas in scenam locaverant, provocavit, ut singuli secum cum posita invicem materia pro tempore contenderent: nec ullo recusante superavit omnes; in quis et Laberium: unde Caesar arridens hoc modo pronuntiavit:*

Favente tibi me, victus es, Laberi, a Syro:

statimque Publio palmam et Laberio annulum aureum cum quingentis sestertiis dedit. Tunc Publius ad Laberium recedentem ait:

Quicum contendisti scriptor, hunc spectator subleva.

Sed et Laberius sequenti statim commissione mimo novo interiecit hos versus:

Non póssunt primi ómnes esse in témpore.
Summum ád gradum cum cláritatis véneris,
Consistes aegre; et quám descendas, décides.
Cecidi égo, cadet qui séquitur, laus est públicae.

IDEM PROLOGUS
GRAECE REDDITUS
PER IOSEPHUM SCALIGERUM, IUL. CAES. FILIUM.

(Ex eius poematibus Graecis versis ex Lat. Ital. et Gall. editis a Petro Scriverio Lugd. Bat. apud Plantin. anno 1615. pag. 91.)

Ὁρμήμ' ἀνάγκης, ἧς δρόμου πλαγίου φορὰν
Πολλοῖς μὲν εὐκτὸν ἐκφυγεῖν, παύροις δ' ἔνι,
Πῇ μ' ἐξέωσεν ἐκ φρενῶν ἄκρων σχεδόν;
Ὃν οὔτε τιμῆς, οὔτε χρημάτων ἔρως,
Οὐ τάρβος, οὐ βία τις, οὔ τις ἀξία
Ἥβης σθένει σφριγῶντ' ἀνέστησ' ἐξ ἕδρας,
Ἴδ' ὡς γέροντα νῦν ἀνώχλισ' εὐπετῶς
Ὁρμῶν ἀπ' ἀνδρὸς ἐξόχου πράων φρενῶν
Μῦθος προσηνής, μετρίως ὑποσταγείς.
Ὧν γὰρ δύνανται μηδὲν ἀρνεῖσθαι θεοί,
Ἄνθρωπον ὄντα πῶς ἔμ' ἀρνεῖσθαι θέμις;
Ἐγὼ βιοὺς ἄμωμος ἑξήκοντ' ἔτη,
Ῥωμαῖος ἱππεὺς ἐξεληλυθὼς δόμων,
Ἀποστρέφω δὴ μῖμος. ἡμέραν μίαν
Ἔζησα ταύτην πλεῖον, ἢ ζῆσαί μ' ἐχρῆν.
Δαίμων ἄμετρος ἐν κακῷ τε κ' ἀγαθῷ,
Εἴ σοι δέδοκτο γραμμάτων ἐγκωμίοις
Ἄνθους κόρυμβον κλᾶν ἐμῆς εὐδοξίας,
Τί μ' οὐχ, ὅτ' ἤκμασ' εὐθαλῆ τ' ἔσχον μέλη,
Τοιῷδέ τ' ἀνδρὶ τοῖς τ' ὄχλοις ἤρεσκον ἄν,
Ἔκαμψας ὑγρὸν, ὥστε μ' εὐχερῶς δρέπειν;
Πῇ μ' αὖ καθῆκας; τί δ' ἐπὶ σκηνὴν φέρεις
Κάλλους ἴϋγγ' ἢ εὐπρέπειαν σώματος;
Νοῦ δριμύτητ' ἢ λαμπρότητ' εὐφωνίας;
Περιπλακεὶς ὡς δένδρα κισσὸς, ὁ χρόνος
Πολλαῖς ἐτῶν πλοκαῖσιν ἄγχει μ'· οὐδεὲν
Τάφοις ὁμοίως πλὴν ἐπιγραφῆς φέρω.

Der Prolog des D. Laberius
übersetzt von C. M. Wieland.

Die Noth, ein Strom, dem viele durch Entgegenschwimmen
Zu überwinden schon versuchten, wenige
Vermochten, wohin hat sie beynahe noch
In meinen letzten Augenblicken mich gebracht?
Mich, den nicht Ehrgeiz, noch Gewinnsucht, keine
Gewalt, kein Ansehn, keine Furcht, in meiner Jugend
Aus meinem Stande heben konnte, seht,
Wie leicht der grosse Mann durch gnädige,
Zu sanften Bitten herzgewinnend sich
Herunterlassende Beredungen
Im Alter mich aus meiner Stelle rückte!
Doch ihm, dem selbst die Götter nichts versagen konnten,
Wie hätt' ich blosser Mensch ihm etwas abzuschlagen
Geduldet werden können? So geschah es dann,
Dass nun, nach zweymal dreyssig ohne Tadel
Verlebten Jahren, ich, der meinen Heerd
Als römischer Ritter eben izt verliess,
Nach Haus als Mimus wiederkehren werde.
Um diesen einzgen Tag hab' ich demnach
Zu lang gelebt. — O du im Bösen wie im Guten
Unmässige Fortuna, wenn es ja
Dein Wille war, des Ruhmes Blume, den
Die Musen mir erwarben, abzuknicken,
Warum nicht lieber damals, da ich noch
In frischen Jahren grünte, noch die Kräfte hatte
Dem Volk und einem solchen Mann genug zu thun?
O warum beugtest du nicht lieber damals mich,
Da ich noch biegsam war, um meine Zweige
Zu schneiden? Jetzt, wozu so tief herab mich drücken?

Was bring' ich auf den Schauplatz? etwa Schönheit, Anstand,
Muthvolle Kraft des Geistes? Reiz der Stimme?
Ach, wie dem Baum der Epheu durch Umarmen
Das Leben raubt, so hat das Alter langsam mich
Umschlingend ausgesogen; und gleich einem Grabe
Behielt ich von mir selbst nichts als den Namen.

EIUSDEM LABERII
FRAGMENTA QUAEDAM.

Alexandra.

1. Quid est iusiurandum? emplastrum aeris alieni. [*Gell. Lib. XVI. Cap. VII.*]

Aulularia.

2. Homo ebriacus somno sanari solet. [*Non. p.* 108. *Mercer.*]

Cacomnemone.

3. Sequere in latrinam, ut aliquid gustes ex Cynica haeresi. [*Idem p.* 209.]

Carcere.

4. Homo frugi, quod tibi relictum est miserimonium retines. [*Idem p.* 214.]

Chaere.

5. Ebriolati mentem hilaram arripiunt. [*Idem p.* 108.]

Fullonibus.

6. Virum tu hunc gruem Balearium
An hominem putas esse? [*Idem p.* 208.]

Nuptiis.

7. Aequum animum indignanti iniquat contumelia. [*Idem p.* 126.]

Paupertate.

8. Nihil refert, mollem e lanicia Attica
An pecore ex hircorum vestim geras. [*Idem p.* 212.]

Restione.

Aulus Gellius Lib. X. Cap. XVII.

9. *Democritum philosophum in monumentis historiae Graecae scriptum est, virum praeter alios venerandum, auctoritateque antiqua praeditum, luminibus oculorum sua sponte se privasse, quia existimaret, cogitationes commentationesque animi sui in contemplandis naturae rationibus vegetiores et exactiores fore, si eas videndi illecebris et oculorum impedimentis liberasset. Id factum eius modumque, quo caecitatem facile sollertia subtilissima conscivit, Laberius poeta in mimo, quem scripsit Restionem, versibus quidem satis munde atque graphice factis descripsit, sed causam voluntariae caecitatis finxit aliam, vertitque in eam rem, quam tum agebat, non inconcinniter. Est enim persona, quae haec apud Laberium dicit, divitis avari et parci, sumtum plurimum asotiamque adolescentis viri* (leg. *filii*) *deplorantis. Versus Laberiani sunt:*

Democritus Abderites physicus philosophus
Clypeum constituit contra exortum Hyperionis,
Oculos effodere ut posset splendore aereo.
Ita radiis solis aciem effodit luminis,
Malis bene esse ne videret civibus.
Sic ego fulgentis splendorem pecuniae
Volo elucificare exitum aetati meae,
Ne in re bona esse videam nequam filium.

CN. MATTII VERSUS.

Iam iam albicascit Phoebus et recentatur
Commune lumen omnibus voluptasque:
Quapropter edulcare convenit vitam,
Curasque acerbas sensibus gubernare,
Sinuque amicam recipere frigidam caldo,
Columbatimque conserere labris labra.
Iam tonsiles tapetes ebrii fuco,
Quos concha purpura imbuens venenavit.

SENTENTIAE QUAEDAM
M. TERENTIO VARRONI FALSO ATTRIBUTAE.

(Editae primum a Caspare Barthio in Adversar. XV. 19. ex antiquo Codice Ms. non indicato, repetitae a J. A. Fabricio in Bibliotheca Latina Lib. I. Cap. VII. Tom. I. pag. 132. et seq. ed. Ernesti.)

M. Varro dixit:

1. Recte referas gratias invite dante.
2. Vix datum ne beneficium putes, sed praedam.
3. Semel dedit, qui rogatus; bis, qui non.
4. Extorquere est plus quam semel rogare.
5. Turpissimum est in mendaciis confidere.
6. Pulcerrimum foenore datam gratiam reddere.
7. Vis experiri amicum? Calamitosus fias.
8. Non refert, quis, sed quid dicam.
9. Nemo suum putet, quod extra ipsum est.
10. Excellentissimum est docendi genus exemplorum subditio.
11. Studia tantum intermittantur, ne obmittantur. Gaudent varietate Musae, non otio.
12. Nil magnificum docebit, qui a se nihil didicit.
13. Non essemus pauperes, si ignorare nos pateremur, quid esset paupertas.
14. Optimus est ad summas divitias progressus ignoscere (se) paupertati.
15. Non est miser, nisi qui (sic) se esse putat.
16. Nusquam perveniet, qui quot videt sequitur calles.
17. Imperitiae signum est, quod difficillimum est, exigere cito fieri.
18. Nulla iactura gravior est scienti, quam temporum.
19. Viatores non vadunt, ut eant: sic vita non sui causa fit, sed ut in ea praeclarum aliquod fiat.
20. Contemnendi sunt ineruditorum contemtus.
21. Si vis ad summum progredi, ab infimo ordire.
22. Multi laudem amittunt, quam ipsi de se dicunt.

SENTENTIAE

PARTIM E CODICE MANUSCRIPTO EDITAE PARTIM
E POETIS VETERIBUS POETARUMQUE FRAGMENTIS
COLLECTAE

PER

GEORGIUM FABRICIUM CHEMNICENSEM

CUM EIUSDEM SCHOLIIS.

SENTENTIAE VARIORUM

COLLECTAE

A

GEORGIO FABRICIO CHEMNICENSI

CUM EIUSDEM SCHOLIIS.

1. Apprime in vita est utile, ut ne quid nimis.
Sens. *Mediocritas in omni re laudabilis est atque utilis.* Hoc dictum, quod alii Thaleti, alii Pittaco, alii Chiloni, alii Sodamo, alii Sisypho adscribunt, refert Terentius in Andria. Eiusdem meminit in Cleobulo Ausonius, facta Terentii mentione.

2. Amici animum quaerunt, parasiti divitias.
Lucil. Sat. 27. Sens. *Qui amat vere, amici voluntatem spectat, qui temporis causa observat, tantum in fortunas intentus est.*

3. Amicus certus in re incerta cernitur.
Ennius apud Ciceronem de amicitia. Sens. *In rebus adversis cognoscitur fides amicorum.*

4. Amor perennis coniugis castae manet.
Seneca in Octavia. Sens. *Pudicae uxoris sempiternus amor est neque ulla violatur iniuria.*

5. Aurum multa multis saepe suasit perperam.
Plautus in Captiv. Sens. *Multi ob divitias maxima susceperunt facinora.* Eriphyle maritum ob aurum prodidit; Pygmalion avunculum et affinem interfecit. Tibull. *Auro saepe solent multa subesse mala.*

6. Aurum in fortuna invenitur, natura ingenium bonum.
Plaut. in Poenul. Sens. *Divitiae fortunae sunt; bonitas naturae ab excellenti mente proficiscitur.*

7. Anima est amica amanti; si ea abest, nullus est.
Plautus. Amica amanti anima, qua absente se putat perditum et nullam vitam expetendam ducit, quasi in alieno degeret corpore.

8. Alium silere quod voles, primus sile.
Sen. in Hippol. *Quae tecta tacitaque esse cupis, tu primus ne enuncia.*

9. Ars prima regni est, posse te invidiam pati.
Idem in Herc. furente. *Qui in aulis agere vult, invidorum morsus ne curet.*

10. Aliena laudat, qui genus iactat suum.

Ibidem. *Qui maiorum laudes praedicat, quibus ipse nihil adiecit, aliena praedicat, non sua. Ea nostra sunt, quae virtute propria fecimus.*

11. Ad suum quemque aequum est quaestum esse callidum.

Plaut. in Asin. et Trucul. *Suum quisque quaestum prudenter exerceat.*

12. An dives, omnes quaerimus: nemo, an bonus.

Seneca ad Lucilium ex Euripide. Sens. Habet sententia reprehensionem morum communium. In vita autem vulgi magis spectantur opes quam mores.

13. Aequum atque iniquum regis imperium feras.

Senec. in Med. Publicae quietis causa tolerantia etiam sub iniquis magistratibus praestanda.

14. Aetate fruere, mobili cursu fugit.

Idem in Hippol. Sumptum de illo Ovidii: *Utendum est aetate, cito pede labitur aetas.* Vel Tibulli: *At tu, dum primi floret tibi temporis aetas, Utere, non tardo labitur illa pede.* Nulla iactura facilior, nulla carior est, quam temporis.

15. Amor timere neminem verus potest.

Idem in Medea. *Amoris sinceri proprium bonum est, a metu vacet.*

16. Aequo animo qui malis miscetur, est malus.

E manuscripto. *Qui patienter fert malorum consuetudinem, et ipse bonus reputari non potest.*

17. Amorem intercapedine ipse lenit dies.

Turpilius in Pedio. *Omnis affectus diurnitate minuitur, ut amor, ut dolor.*

18. Amor suorum multa dominantem vetat.

Senec. in Theb. [sive Phoeniss.] *Qui subditos amat, suo imperio violenter nunquam utitur.*

19. Animus aequus optimum est aerumnae condimentum.

Plaut. in Persa. *Nihil magis levat omnem aegritudinem aut angorem quam patientia.*

20. Bene facta, male locata, male facta arbitror.

Ennius apud Cicer. 2. de offic. *Beneficium perit, quod apud indignum ponitur.*

21. Bonus animus in mala re dimidium est mali.

Plaut. in Pseudol. *Patientia in adversis partem mali tollit.*

22. Bonum in malis est, quod mala ignoras tua.

Senec. in Thyest. *Pars felicitatis est mali impendentis ignorantia.*

23. **Bona, imperante animo, fiet pecunia.**
E manuscripto. *Si animus gubernet modum divitiarum non possunt esse malae.* (Vide Publ. Syr. v. 92.)

24. **Bona quem non sustinent, cadunt, ut opprimant.**
Ex eodem. *Qui uti nescit bonis, ei non praesidio sunt sed ruinam eius adiuvant.*

25. **Bono probari malo, quam multis malis.**
Auson. e Pittaci sententia. *Uni bono placere satius quam malis innumeris.*

26. **Bene moritur, quisquis moritur, dum lucrum facit.**
Euripides apud Senecam ad Lucilium. *Avari hominis vox est, qui etiam vitam lucro postponit.*

27. **Bono ingenio me esse ornatum, quam multo auro mavolo.**
Plaut. in Poenul. *Ingenium est aliis omnibus ornamentis praestantius.*

28. **Bis perit amator, abs re atque animo simul.**
Idem in Trucul. Duplex amoris incommodum: alterum fortunarum, alterum integritatis animi. Ad haec saepe accedit tertium corporis, morbi incurabiles, et mors praematura.

29. **Benigne et pro beneficio largitor et non ampliter.**
Accius in Diomede. *Qui largiri vult, sit liberalis certo modo, ne profusione damnum ipse incurrat.* Iamb. octonarius.

30. **Cuique proprius attributus error est.**
Catullus in epigrammate. Simile illud Propertii: *Unicuique dedit vitium natura creato.* Item Horatii: *Vitiis nemo sine nascitur.* Haec dicta faciunt ad minuendam arrogantiam.

31. **Calcat iacentem vulgus, invisum opprimit.**
Senec. in Octav. *Multitudo infelices odit, adversantes perdit.*

32. **Caeca est temeritas, quae petit casum ducem.**
Idem in Agamemn. *Omnis temeritas improvida; sed maxime ea, quae successu aliquo nititur.*

33. **Capienda rebus in malis praeceps via est.**
Idem. *Malum saepe vincitur temeritate et pertinacia.*

34. **Cum coepit, urget premere felices Deus.**
Ibidem in Herc. Oetaeo. *Fortunati, cum ruere incipiunt, continenter ruunt.*

35. **Coelestis ira quos premit, miseros facit.**
Ibid. *Vere miser est, qui Deum iratum habet.*

36. **Communia amicorum inter se sunt omnia.**
Terent. in Adelph. *In vera amicitia nihil esse privatum solet, sed omnia communibus serviunt utilitatibus.*

37. Conqueri fortunam adversam, non lamentari decet.

Pacuvius in Niptris apud Cicer. in 2. Tusculan. Trochaicus. *Dolere debemus, flere muliebriter non debemus.* Dolor esse nos homines ostendit, doloris moderatio etiam viros. Lamentatio et ab homine et a viro aliena est.

38. Cum quid datur spectabis, et dantem adspice.

Senec. in Thyest. *Non quaevis munera, nec ab omnibus munera sunt accipienda.*

39. Consilia produnt magna nolentem quoque.

Ibid. *Quod quis animo magnum cogitat, id e vultu interdum elucet etiam inviti.*

40. Curae leves loquuntur, ingentes stupent.

Idem in Hippol. *Usitata qui dicit, loqui potest: qui scelus meditatur, exhorrescit in ipso sermonis initio.*

41. Conterunt plebeia celsum saepe dicta verticem.

E manuscr. quodam, in quo multorum collectae erant sententiae. Trochaicus. *Saepe detrahit de laude praeclarissimi viri humilis et inerudita oratio.*

42. Consilio melius vinces, quam iracundia.

E manuscripto. *Ratio facit ad victoriam: ira omnium actionum impedimentum est.*

43. Cui convenit cum paupertate, dives est.

Ex eodem. *Nulla re eget, qui bene consulit praesentia.*

44. Castiga amicum clanculum, lauda palam.

Ex eodem. *Castigatio acerba, ideo clam fieri debet: laus grata, ideo publice adhibenda est.* Ex Solonis dicto sumpta sententia: quam ita reddit Ausonius: *Clam coarguas propinquum, quem palam laudaveris.*

45. Cum hominibus pacem, bella cum vitiis habe.

Ex eodem. *Vitia oderis, non hominem: amicos ames, vitia reprehendas.* Ita Martialis ait, se parcere personis, dicere de vitiis.

46. Certa si decreta sors est, quid cavere proderit?

Solon apud Ausonium. *Si omnia fiunt necessitate aut fato, omnis cautio est supervacanea.*

47. Cuncta incerta si feruntur, quid timere convenit?

Ibid. *Si nihil certi est in rebus humanis, frustra timore angimur.* Legitur autem, ut nos citavimus, in manuscripto.

48. Dico tunc beatam vitam, fata cum peracta sunt.

Sententia Solonis, quam repetit Ausonius, transfert Ovidius, celebrant Graeci Tragici: *Dici beatus nemo debet, nisi cursum vitae extremum peregerit.*

49. Dissensio ab alio, a te sit conciliatio.

E manuscripto valde philosophica sententia. *Initium irae ab aliis, a te coniunctio amicitiae incipiat.*

50. Detegere vultus multa turbatus solet.

Seneca in Thyest. *Vultus est conscientiae index, vultus turbatus conscientiae malae: quia* (ut bonus poëta canit) *consentit cum mente color.*

51. Det ille veniam facile, cui venia est opus.

Idem in Agamemn. *Qui vitiis non caret, aliorum delictis sit ignoscentior.*

52. Desperat medicus, si curare desinit.

Sulpicius ad Hieronymum e Poeta vetere. *Cum medicus negat medicinam, signum est desperatae valetudinis.*

53. Deteriores omnes sumus licentia.

Ter. in Heaut. *Quo plus licet nobis, tanto magis libet.*

54. Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

Seneca e Cleanthe lib. 18. ad Lucil. *Fatis nemo potest resistere, obsequentibus indulgent, repugnantibus vim inferunt.*

55. Decipitur nemo, qui amicis recte res narrat suas.

Plaut. in Poen. Trochaicus. *Non facile errat, qui amicorum utitur consiliis fidelibus.*

56. Difficile custoditur quod multi petunt.

E poeta antiquo. D. Hieronymus et Isidorus. Dicitur de forma muliebri, quam celare difficile; custodire in moribus improbis impossibile: necessitas enim infida castitatis custos est.

57. Dubiam salutem qui dat afflictis, negat.

Seneca in Oedip. *Qui non statim iuvat si potest, non multum miseros iuvat.*

58. Dediscit animus sero, quod didicit diu.

Idem in Troad. *Quod insitum sensibus et confirmatum doctrina est, difficulter deponitur.*

59. Demens dolorem ridet infelicium.

Auson. ex Pittaco. *Qui aliorum dolore gaudet, suum malum, quod ante pedes est, non intelligit aut providet.*

60. Demens superbis invidet felicibus.

Idem ex eodem. *Superbi non sunt digni invidia: nunquam enim est* (ut idem Ausonius in Capua) *stabilem sortita superbia sedem.*

61. Datur meritis maiorum nulla gloria.

E manuscripto. Pauci laudem debitam virtuti tribuunt suis maioribus, quia propriae excellentiae nimis sunt studiosi. Alexander Clitum interimit, quod patris eius virtutem nimium extolleret.

62. Dum in dubio est animus, paulo momento huc illuc impellitur.

Terent. in And. *Haesitatio omnis incerta et militanea. Qui disputat, dubitat; ad ruinam inclinat.* Octonarius Iambicus. [*Paulus* adiect. apud Terentium haud infrequens. Sic Adelph. 5, 4, 22. *paulo sumtu.* O.]

63. **Eripere vitam nemo non homini potest.**

Seneca in Thyest. *Nulla potentia tam imbecillis, quae non robusta satis sit ad maturandam homini necem.*

64. **Ego esse miserum credo, cui placet nemo.**

Martialis. Invidiae est, detrahere aliis; et omnis infidus est miser et malus.

65. **Ea libertas est, qui pectus purum et firmum gestitat.**

Ennius in Phoenice apud Agellium. *Vere liber est, qui sibi bene conscius atque constans est.* In oratione est respectus sententiae, non verborum. Is liber est, qui, abstractum pro concreto.

66. **Est miserorum, ut malevolentes sint atque invideant bonis.**

Plaut. in Captiv. *Suspiciosa et invida est paupertas, vecors atque imperita.*

67. **Eum scire oportet sibi paratam pestem, qui exitium parat.**

Ex antiquo poeta Cicero 2. Tusculana. Verba sunt Eurypyli vulnerati in Tragoedia. Dictum ipsum Rhadamanto adscribitur ab Arist. ad Nicomachum. *Qui alteri malum parat, id ipsum tandem expectet necesse est.*

68. **Est profecto Deus, qui quae nos gerimus auditque et videt.**

Plautus in Capt. Trochaicus. *Deum nemo potest fallere, qui et nostros sermones audit et actiones intuetur.* Translata de Homero sententia.

69. **Ego illum periisse duco, cui periit pudor.**

Idem in Bacch. *Quem amplius non pudet, de illo nulla virtutis spes est.*

70. **Eum laborem sumas, laudem qui tibi ac fructum ferat.**

Lucilius in Sat. *Utilis labor est, qui auctori laudem fert, aliis utilitatem.* Iamb. oct.

71. **Faciendum id nobis, quod parentes imperant.**

Idem in Sticho. *Imperium parentum sancte habendum.*

72. **Factum quod est, infectum fieri non potest.**

Proverbialis sententia de Terentio. *Facta infecta fieri nequeunt.*

73. **Fortiter malum qui patitur, idem post potitur bonum.**

Plaut. in Asinar. Trochaicus. *Tolerans in adversis qui est, e rebus secundis voluptatem capit.*

74. **Feliciter sapit, qui alieno periculo sapit.**
Idem in Mercat. Inde translatum est: *Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.*

75. **Frustra tenetur ille, qui cupit mori.**
Seneca in Herc. Oetaeo. *Frustra desperatis impertitur vitae aut salutis consilium.*

76. **Fortuna amorem peior inflammat magis.**
Ibidem. *Magis illos amamus, quos infortunatos cognoscimus.*

77. **Fortuna imperii magni non capit duos.**
Minutius Felix de Poëta antiquo. Imperium simul duo non possunt tenere, ut fratres Romani et Thebani apud veteres testantur.

78. **Felix videtur, qui mala ignorat sua.**
E manuscripto. *Infelicitatis cumulus est mali imminentis praescientia.* Similis sententia est supra: Bonum in malis est, e Thyest. Senecae 22.

79. **Felix criminibus nullus unquam erit diu.**
Ex eodem. *Qui sibi gratiam calumniis comparat, ea non futura est diuturna.*

80. **Fortuna opes auferre, non animum, potest.**
Seneca in Medea. *Viro forti nulla calamitas nocet, nec eum statu mentis dimovet.* Agesilaus Lacedaemonius dicebat: se ita paratum, ut animum ipse nunquam mutaret, etiamsi fortuna mutaretur.

81. **Fortuna humana fingit arctatque, ut lubet.**
Plaut. in Capt. *Fortuna dominatur in rebus humanis, et uti ea ostendit esse sese, ita magni atque humiles sumus.* Ita Homerus, Pindarus, Archilochus, Apollodorus, eosque secutus Terentius.

82. **Fortunae invidia est, si quis immerito miser.**
E manuscripto. *Fortunae imputatur, si quis innocens affligitur.*

83. **Fortuna nunquam sistit in eodem statu.**
Ausonius in Epig. *Mutabilitas rerum humanarum multis casibus cotidie cernitur.*

84. **Fortuna belli semper ancipiti in loco est.**
Seneca Theb. *Nihil magis anceps atque incertum quam eventus bellorum.*

85. **Fortuna fortes metuit, ignavos premit.**
Idem in Med. *Fortuna iuvat audentes, formidolosis adversa est.*

86. **Fortuna multis dat nimis, satis nulli.**
Martialis. Senarius scazon. Multi nimis habuere opum,

ut Crassus et Lucullus: quorum tamen cupiditas nullis copiis expleta fuit.

87. **Florem decoris singuli carpunt dies.**

Seneca in Oet. *Pulchritudo singulis decrescit diebus.* Nec forma aeternum, ut ait Tibullus. Translatum ex Ovidio, qui de forma ait:

Quantumque accedit ad annos,
Fit minor, et spatio carpitur ipsa suo.

88. **Ferrum tuetur principem, melius fides.**

Ibid. *Principes tuti sunt potentia, sed benevolentia suorum multo tutiores.*

89. **Fortem facit vicina libertas senem.**

Ibid. Hoc est illud (ut scribit Cicero), *quod Pisistrato tyranno a Solone responsum est, cum illi quaerenti: Qua tandem spe fretus sibi tam audacter resisteret? respondisse dicitur: Senectute.*

90. **Facilitate nihil homini est melius, neque clementia.**

Terent. in Adelph. Trochaicus. *Nullae virtutes in vita hominum illustriores, quam commoditas morum et beneficentia.*

91. **Ferme fugiendo in media fata incurritur.**

E manuscripto. Legitur eadem sententia, licet diversis verbis, apud Homerum et Hesiodum, et comprobat interitus Alexandri Epirotae, de quo apud Iustinum lib. XII, item Atyis, filii Croesi, de quo apud Valerium lib. I, idem Cambysis, filii Cyri, de quo apud Herodotum lib. III.

92. **Fidem secunda poscunt, adversa exigunt.**

Seneca in Agam. *In rebus laetis fides requiri, in asperis etiam exigi solet.*

93. **Fac fidele sis fideli, cave fidem fluxam geras.**

Plaut. in Capt. *Amici amorem amore pensa, eumque neque muta neque abiice.* Trochaicus octonarius.

94. **Generosa in ortus semina exurgunt suos.**

Idem in Trucul. Horat. *Est in iuvencis, est in equis patrum virtus.* De Hectoris filio Astyanacte hostis Ulysses loquitur, apud Senecam.

95. **Gradus est futuri finis alterius mali.**

Quod de suis aerumnis dicit apud Euripidem Hecuba, apud Senecam Megara, ad universum hominum genus recte accommodatur. *Finis enim unius mali in hac vita transitus est ad aliud malum.*

96. **Homini non referre, simile id est homicidio.**

Citatur a divo Ambrosio. Ingratus non differt ab homicida. Lex fuit Persarum contra ingratos, lex item Massiliensium. Homini non referre, id est, *bene merito gratiam non habere aut agere*; deest enim in oratione aliquid.

97. Haud est virile terga fortunae dare.
Seneca in Oedip. *Fortunae cedere non viri est offici* Et Nautes ad Aeneam inquit: Tu contra audentior i quam tua te fortuna sinet!

98. Haud est nocens, quicunque non sponte est n cens.
Idem in Herc. Oetaeo. *Nullum peccatum est nisi vol tarium.*

99. Hoc facile credunt, quod nimis miseri volunt.
Idem in Herc. furente. *Ea quae cupimus, quaeque p sunt, facile credimus; contra, tarde, quae credita l dunt, credimus:* inquit Ovidius.

100. Humi iacentem scelera non intrant casam.
Idem in Thyest. *Privata vita magnorum facinorum n promptam habet occasionem.*

101. Habere regnum casus est, virtus dare.
Ibidem. *Ad imperium multi casu perveniunt, sed regnu alteri ultro concedere, perfectae virtutis est.*

102. Homo locum ornet, non ornat hominem locu
Adducitur e poëta veteri a Charisio. *Dignitas homin vera est in virtute aut meritis, non in opibus aut hon ribus: item in animo aut ingenio viri, non in sede atqu loco:* qua ratione in infima sede locatus Epaminondas s defendit.

103. Homine imperito nunquam quicquam iniustius.
Terent. in Adelph. Eadem legitur sententia apud Oppia num et repetitur ab Horatio. *In omni re plus ad iniu riam et contentionem parati sunt, qui minus sunt experti, et proprium imperitiae est, iniusta pertinaciter defendere*

104. Homo diu vivendo multa, quae non vult, videt.
Caecil. in Plotio. Multis in vita rebus offenduntur, qui ad aetatem grandem perveniunt.

105. Honesta fama melior pecunia est.
E manuscripto. *Melius esse bonum, quam divitem, honestum, quam pecuniosum.*

106. Homo sum, humani a me nihil alienum puto.
Terent. in Heaut. *Quicquid homini evenire potest, id alienum a se nullus existimet.*

107. Ignoscas aliis multa, sed nihil tibi.
E manuscripto. *Cum aliorum erroribus indulgeas aliquid, in te ipse sis iudex severior.*

108. Insita nobis nostri caritas est corporis.
Ex eodem. Trochaicus. *Nemo non sui corporis natura custos est.*

109. Imperia dura tolle, quid virtus erit?
Seneca in Herc. furente. *Virtus non spectatur nisi peri-*

cultis. Socrates pedem Athenis non extulit, triginta Lacedaemoniorum tyrannis imperantibus.

110. **Iniqua nunquam imperia retinentur diu.**

Idem in Thebaide, in Medea. In Troade repetit hanc sententiam verbis interdum nonnihil mutatis. Res videlicet docet, nullum dominatum iniustum diuturnum aut stabilem fuisse.

111. **Imperia pretio quolibet constant bene.**

Tyrannorum vox: apud Senecam, Polynicis in Thebaide; apud Euripidem, Eteoclis in Phoenissis. *Dum imperium habeas, ne quaeras, quo iure habeas. Si violandum est ius, regnandi gratia violandum est:* ut Iulius Caesar solitus dicere fuit.

112. **In servitutem cadere de regno grave est.**

Seneca in Theb. *E domino servum fieri acerbissimum.* Unde illa querela Andromaches:

Stirpis Achilleae fastus iuvenemque superbum
Servitio enixe tulimus.

113. **Id facere laus est, quod decet, non quod libet.**

Idem in Octav. *Potentia nulla abutendum ad libidinem.*

114. **Is demum miser est, cuius nobilitas miseriam nobilitat.**

Accius in Telepho. *Miseria in homine fortunato solet esse illustrior et maior.* Contra idem poëta in Eurysace: *Ea oblectat spes aerumnosum hospitem, dum id quod miser est, clam esse censet alteros.*

115. **Incertus animus scire cum cupiat, timet.**

Seneca in Oedip. *Omnem dubitationem timor sequitur, praesertim cum rem aliquam scire sit necesse.*

116. **In vota miseros ultimus cogit pudor.**

Idem in Agam. *In rebus dubiis oritur reverentia divûm. Cum nulla auxilii spes est, ad Deum ipsum confugium est tutissimum.*

117. **Iuvenilis ardor impetu primo furit.**

Idem in Octav. *Animi iuvenum ardentes, efferi, impatientes, praesertim in amore.*

118. **Ita vita est hominum, quasi cum ludas tesseris.**

Terent. in Adelphis. *Vita humana tesserarum ludo similis, nam si iactu non cadit, quod optas, quod forte cecidit, ingenio aut arte corrigas.*

119. **Iudex futurus sanguine humano abstine.**

Seneca in Herc. furente. *Ab omni iudice absint cupiditas et crudelitas.*

120. **Ingenia melius recta se in laudem ferunt.**

Idem in Hipp. *Bona ingenia gloria excitantur nec ullus animus generosus laudis non est appetens.*

121. **Is amicus est, qui in re dubia re adiuvat.**

Plaut. in Epid. *In rebus adversis exploratur amicorum fides et constantia.*

122. In re mala, animo si bono utare, adiuvat.

Idem in Captiv. *Animus aequus optimum est aerumnae condimentum, ut supra dictum est.*

123. Infirmi animi est, non posse divitias pati.

E manuscripto. *Divitiis uti non posse, et ignavi et imprudentis est.* (Etiam ap. Publ. Syr. v. 307.)

124. Ingrato homine terra peius nil creat.

Ausonius ex Menandro. *Ingratus, quia omnia pietatis iura violat et in deterrenda liberalitate aliis facit iniuriam, pessimus et nocentissimus mortalium.*

125. Incogitantes sors, non consilium regit.

Idem in ludo Sapientum de Periandro. *Incogitantia casum ducem habet, non rationem.*

126. Iuvenile vitium est regere non posse impetum.

Seneca in Troad. *Iuvenes minus coërcere possunt animorum motus, tum natura, quia sanguis in iis calidior, tum imperitia, minus enim sunt experti.*

127. Illicita amantur, excidit quicquid licet.

Idem in Herc. fur. *Nitimur in vetitum, et quicquid servatur, cupimus magis. Quicquid non decet, expetimus: quod concessum est, id fastidimus.*

128. Immane regnum est posse sine regno pati.

Idem in Thyest. *Rex summus est, qui regno orbatus animi aequitatem adhibet.*

129. Iniusta ab iustis impetrare non decet.

Plut. in Amphitr. *Boni viri malam rem a se impetrari non patiuntur.*

130. Ita plerique ingenio sumus omnes: nostri nosmet poenitet.

Terent. in Phorm. *Vitium humanae infirmitatis est, sua contemnere, aliena admirari.*

131. Indomitus furor cito periculi obliviscitur.

Ex antiquo Tragico. Orosius lib. 4. Trochaicus. *Periculum furor non prospicit, iracundia non curat.*

132. Ignavus omni cessat omnis tempore.

Ex manuscripto. *Ignavis semper feriae* iuxta proverbium.

133. Lacrimare plebi, regi honeste non licet.

Ex Ennio citat divus Hieronymus. *A plebe fortitudo non requiritur, quae exposcitur a rege.*

134. Loqui ignorabit, qui tacere nesciet.

Ausonius ex Pittaco. *Qui nescit silere in tempore, nec loqui in tempore noverit.*

135. Leve est, miserias ferre, perferre grave.

Seneca in Thyest. *Facile est mala tolerare aliquamdiu, sed in perferendo constantia est difficilior.*

136. **Leges bonae ex malis creantur moribus.**

Macrobius citat, non expresso auctoris nomine, sed proverbii vice, lib. III. Satur. *Leges feruntur contra improbitatem; ideoque improbitas bonarum legum causa est.*

137. **Latere semper patere, quod latuit diu.**

Seneca in Oedip. *Nihil curiose nimis est inquirendum.* Causa subiicitur: saepe eruentis veritas patuit malo. Utiliter mala saepe latent.

138. **Lepidi mores turpem ornatum facile factis comprobant.**

Plaut. in Poenul. Trochaicus. *Quod corporis formae aut ornamentis deest, id morum honestate et factorum pulchritudine compensatur.*

139. **Levis est dolor, qui capere consilium potest.**

Sen. in Med. *Cum consilio aut consolationi locus est, dolor mitigari aut exhauriri potest.*

140. **Laetitia iuvenem, frons decet tristis senem.**

Idem in Hipp. *Aetatis uniuscuiusque sui mores et proprium decorum est.*

141. **Laus vera et humili saepe contingit viro.**

Idem in Thyest. *Laudi non obstat natalium obscuritas, si cui inest animus virtutis studiosus et appetens.*

142. **Levius solet timere, qui propius timet.**

Idem in Troad. *Timor levatur cognatorum aut amicorum praesentia.*

143. **Miseros magis fortuna conciliat suis.**

Idem in Theb. *Magis amantur, qui sunt miseri.* Similis sententia in Her. Oetaeo.

144. **Mori volenti deesse nunquam mors potest.**

Idem in Hipp. *Qui mori destinat, causam mortis nusquam non invenit.*

145. **Mortalis nemo est, quem non attingat dolor.**

Ex Euripide, Cic. 3. Tusc. *Nemo tam felix unquam inter homines exstitit, qui non aliquando doluerit.*

146. **Matris ferre iniurias pietas iubet.**

Terent. in Hecyr. Trochaicus senarius. Ex dicto Cleobuli, *Parentes patientia esse vincendos.*

147. **Multa ex quo fuerint commoda, eius incommoda aequum est ferre.**

Ibidem. Sententia Menandri, admonens, incommoda commodorum comparatione esse interdum tolerabilia. *Fortuna prospera utendum est, adversa aequitate vincenda.*

148. **Malo si quid benefacias, id beneficium interit.**

Plaut. in Poen. *Beneficium in improbum collatum perit.*

149. Mali sunt homines, qui bonis dicunt male.
Idem in Bacchid. *Bonis maledicere improbitatis est indicium.*

150. Meminisse dulce est, quod fuit durum pati.
Seneca in Herc. fur. *Suavis est recordatio malorum praeteritorum.*

151. Malam bonae praeferre fortunam licet.
Idem in Thyest. *Rebus laetis nimium animi ferociunt, tristibus sunt humiliores; mala igitur fortuna bonae videtur anteferenda.*

152. Male imperatur, cum vulgus regit duces.
Idem in Octav. *Cum vulgo nimis licet, infirmum est imperium principis.*

153. Mens impudicam facere, non casus solet.
Idem in Hipp. *Quae mentem pudicam habet, nulla violatur iniuria;* ut Lucretia et Timoclea.

154. Maiora populus semper a summo exigit.
Idem in Oct. *Vulgi natura est, ut summam omnium virtutum quaerat in principe excellentiam.*

155. Mortem aliquid ultra est? Vita, si cupias mori.
Idem in Agam. *Si mori cupias, vita oneri est.*

156. Male meriri de immerente inscitia est.
Plaut. in Curc. *Malefacere ei, qui male nihil meruit, improbum est et barbarum.*

157. Mulier nequicquam exornata est bene, si morata est male.
Idem in Mostell. *Ornamentum mulierum non est in vestitu, sed in bonis moribus.*

158. Malus clandestinus est amor, damnum est merum.
Idem in Curcul. *Amor furtivus et malo et damno est.*

159. Muliebre furere est, ira regem non decet.
Seneca in libro de clementia ex antiquo poeta. *Regem habere impetus moderatos decet, nam nimis excandescere et vindictae cupidum esse ingenii muliebris et meticulosi est.*

160. Malae uxoris poena nulla acerbior.
E poëta antiquo Charisius. *Nullum supplicium in molestia gravius, quam morositas aut vitia uxoris.* Translata de Sophocle ſententia.

161. Meretrix tantisper blanditur, dum illud quod rapiat videt.
Plaut. in Menaechm. Trochaicus. *Meretrix non mores,*

sed pecuniam amat, et tamdiu blandc est, dum habet, quod extorqueat.

162. Magnum timoris remedium clementia est.

Sen. in Octav. *Ne habeat princeps quod timeat: sed ut carus suis sit, id sola clementia efficitur.* Haec Caesarem deum fecit, haec Traianum coelo inseruit. *Sola diis aequat clementia*, ut Claudianus canit. Sola vacuitatem metus efficit, ut hic dicitur.

163. Malus est minister regii imperii pudor.

Idem in Hipp. *Reges qua volunt eant. Sententia ostendit, quid fiat, non quid fieri deceat.*

164. Magnifica verba mors prope admota eiicit.

Idem in Troad. *Timor mortis et horror poenarum audaciam multorum frangit.*

165. Multa amittuntur tarditie et socordia.

Accius in Diomede. *Inopia consilii et actionum aiitas impedimenta sunt rerum gerendarum.* Citatur a Nonio.

166. Multi suam rem bene gessere et publicam patria procul.

Idem apud Ciceronem. *Non obstat quicquam virtuti, sive in patria agas, seu degas apud exteros.*

167. Multi iniqui atque infideles regno, pauci sunt boni.

Idem apud eundem. Trochaicus hic est, ut et superior. *Iustitia et fides rarae in imperiis virtutes sunt; iniquitas et perfidia regnant in aulis principum.*

168. Magnificus nemo putatur nisi pariter volens.

Pacuvius in Duloreste. *Virtus non appellanda est, quae non est voluntaria: idque imprimis in dando tribuendoque locum habet.* Legitur apud Nonium et apud Sallustium in Iugurtha, auctore non nominato.

169. Mors misera non est, aditus ad mortem miser.

Fab. Quinctilian. lib. 8. ex ignoto poëta. *Mori ipsum non est miserum, fit enim ad punctum temporis: dolores et cruciatus, qui mortem antecedunt, hominem miserum efficiunt.* Quamquam hoc negat in prima Tusculana Cicero. Laertius tribuit hoc dictum Diogeni Sinopensi.

170. Magnus sibi ipsi non facit finem dolor.

Seneca in Troad. *Magnitudo doloris alio dolore non tollitur. Patientia igitur optimum est aegri animi remedium.*

171. Miserrimum est timere, cum speres nihil.

Ibid. *Timor, nisi spe aliqua sublevetur, maxima est miseria.*

172. Minimum decet libêre, cui multum licet.

Ibid. *Quo quis plus potest, eo minus ad iniuriam potentia sua utatur.*

173. Miseris colendos maxime ſuperos reor.
Idem in Agam. *In miseria non est fugiendum a Deo, cuius clementia, erga miseros maxime prona est.*

174. Mature fias senex, diu esse si velis senex.
Proverbiale hoc Romanis fuit, auctore Cicerone de Senect. monens, in adolescentia sobrietate et temperantia aliisque virtutibus comparanda esse ad senectutem praesidia. Versus est Trochaicus.

175. More hoc fit, quisque suam uxorem mori ut velit.
Pomponius in Arista. Sententia reprehendens mores hominum mutabiles: quia bona praesentia pauci agnoscunt, plerique fastidiunt.

176. Modeste melius facere sumptum, quam ampliter.
Plaut. in Sticho. *Munditiez victus melior quam luxuria.*

177. Morata recte veniat, dotata est satis.
Idem in Aulul. *Nuptam commendat vitae honestas, non magnitudo dotis.*

178. Mala aetas nulla delinimenta invenit.
Afranius in Vopisco. *Senectus* (quam aetatem veteres malam dixere) *odio potius et taedio est quam voluptati.*

179. Nihil est in vita proprium mortali datum.
Lucilius 27. Satyrarum apud Nonium. *In vita hominum nihil stabile est et sempiternum.*

180. Non facile sine deorum opera propria humana sunt bona.
Accius in armorum iudicio apud Nonium. Iambicus octonarius. *Absque beneficio Dei nihil diuturnum est hominibus.*

181. Non genus virum ornat, generi fortis vir sed est loco.
Idem in Diomede. Trochaicus. *Genus per se nemini ornamento est: vir praestans decus generi conciliat.* Locum pro *dignitate* in hoc versu interpretatur Nonius.

182. Nunquam ulla humilitas ingenium infirmat bonum.
Idem in Persidis apud Ruffinum. *Nec vere bonus corrumpi nec vere malus corrigi potest.* Sententia sumpta ex Hecuba Euripidis.

183. Ne quid expectes amicos, quod tute agere possies.
Ennius apud Agellium. Trochaicus. *Quod per nos efficere possumus, frustra amicis committitur.*

184. Nave agere oportet, quod agas, non ductarier.
Plaut. in Frivolario, ut citat Festus. *Omnia negotia ce-*

leritas expedit, mora retardat. Nave autem strenue significat, sine mora, absque taedio.

185. Non erunt honores unquam fortuiti muneris.

Solon apud Auson. *Honores quibus dantur, ii non aestimant se frustra accepisse, igitur illis animos addunt.*

186. Nefas nocere vel malo fratri puta.

Senec. in Thyest. *Iusti viri est, nulli nocere, etiam male de se merito. Quod si nocendum nulli, multo minus fratri.*

187. Non quare et unde, quid habeas, homines rogant.

Euripides apud Seneq. ad Lucilium. *Homines divitias tantummodo spectant; quam honeste quamve iuste pepereris, non interrogant.*

188. Nemo alteri concedit imperium volens.

Ex ignoto poëta apud Sallustium in oratione ad C. Caesarem, de republ. ordinanda. *Nemo sponte deponit imperium, ut concedat alteri.*

189. Nihil est miserius, quam animus hominis conscius.

Plaut. in Most. *Conscientia peccati maximum est malum.*

190. Non intrat unquam regium limen fides.

Senec. in Agam. *Rari sunt amici veri in aulis principum.*

191. Nihil homini amico est opportuno amicius.

Plaut. in Epid. *Homo amicus et convictor commodus multis sublevant molestiis.*

192. Necesse est facere sumptum, qui quaerit lucrum.

Idem in Asin. *In lucri cupiditate necessarius sumptus faciendus est.*

193. Nimia omnia nimium exhibent negotium hominibus.

Idem in Poen. *Quicquid excedit modum, parit incommodum.*

194. Non aetate, verum ingenio adipiscitur sapientia.

Idem in Trin. Trochaicus. *Non annis neque diuturnitate temporis, sed naturae bonitate acquiritur sapientia.*

195. Nihili est homo, suum qui officium facere est immemor.

Idem in Pseud. *Qui officii sui munus non exequitur accurate et diligenter, homo improbissimus est.*

196. Nihil est, quin male narrando possit depravarier.

Terent. in Phorm. *Malitiosa interpretatio etiam optime dicta pervertit.*

197. Non fit sine periclo facinus magnum et memorabile.

Idem in Heaut. *Quo maius periculum est in suscipiendo aut perficiendo, eo factum redditur illustrius.*

198. Nunquam vir aequus dives evasit cito.

Refertur ex Menandro. *Boni viri non facile magnas colligunt divitias.*

199. Nec regna socium ferre, nec taedae sciunt.

Senec. in Agam. *In imperiis societas, ut et in matrimonio, esse nequit.*

200. Nemo potentes aggredi tutus potest.

Idem in Med. *Potentioribus cum periculo resistit, quisquis resistit.* Eadem apud Homerum et Hesiodum sententia.

201. Necessitas plus posse, quam pietas, solet.

Idem Troad. *Multa extorquet vis, quae pietas celaverat.*

202. Non vindicandum scelere, si possis scelus.

E manuscripto. *Mala malis punienda non sunt, etiamsi vindicandi potestatem habeas.* Ut parricidium matricidio punit Orestes, caedem incestu Thyestes.

203. Nummo tuam ne parvi pendas gratiam.

E Pacuvio Fulgentius. *Nemo ita sit vilis, ut magis amet pecuniam, quam favorem aut amicitias.*

204. Negata magnis sceleribus semper fides.

Seneca in Hippol. *Atrocia scelera raro creduntur: putantur enim fieri non posse.*

205. Non expedit concutere felicem statum.

Idem in Oed. *Quietum movere statum, res est perniciosissima.*

206. Nemo nocens sibi ipse poenas irrogat.

Idem in Herc. Oetaeo. *In propriis delictis nimis indulgentes et corrupti sumus iudices.*

207. Nunquam potest non esse virtuti locus.

Idem in Med. *Virtus nusquam excluditur, nunquam intempestiva est.*

208. Nihil in propinquos temere constitui decet.

Idem in Octav. *Quo magis amamus nostros, eo illis gravius irascimur. Temeritas igitur in animadvertendo fugienda est.*

209. Non quam diu, sed quam bene vivas, cogita.

E manuscripto. *Stulte solliciti sunt de diuturnitate vitae, qui de morum honestate sunt securi.* Varro in Modio scripsit, non eos optime vixisse, qui diutissime vixerint, sed qui modestissime.

210. Nunquam, quam multis placeas, sed quibus, stude.

Ex eodem. *Non multitudini placendum est, sed bonis.*

211. Non licet hominem esse saepe ita, ut vult, si res non sinit.

Terent. in Heaut. Trochaicus. *Propositum animi interdum mutandum necessitatis gratia. Rigor enim nimius negotia plus impedit, quam expedit.*

212. Non est ad astra mollis e terris via.

Senec. in Herc. fur. *Immortalitas constat maximis laboribus.* [Hinc proverbium: *Per aspera ad astra.* O.]

213. Non abnuendum, si dat imperium Deus.

Idem in Thyest. *Non est recusandum imperium, quod concedit Deus: sed eo iuste et sapienter utendum et ad dantis gloriam.*

214. Non humanitas, imo saevitia est, laedere innocentem.

Citatur e Varrone a Grammaticis. Trochaicus acatalectus. *Iniuria afficere innoxium potius belluinum quam humanum est.*

215. Nullum malum, quod non natura humana patiendo ferat.

Ex Euripide Cicero. Eandem sententiam transtulit Virgilius. *Superanda omnis fortuna ferendo est*, quod fuit dictum Virgilii proprium, quo et Horatius et Ovidius utuntur.

216. Non causa belli quaeritur, sed exitus.

Sen. in Herc. fur. *Eius optima putatur causa, qui bello consecutus est victoriam.*

217. Nullum est iam dictum, quod non dictum sit prius.

In Eunucho Terent. Contra arrogantiam eorum, qui rerum inventores se iactitant earum, quas alii, ut dicitur, calceis iampridem triverunt.

218. Nihil est tam difficile, quin quaerendo investigari possiet.

Idem. *Diligentia maximum ingenii etiam mediocris subsidium: omnia enim invenit, omnia efficit.*

219. Nil bene prodest didicisse, si cesses benefacere.

E manuscripto. *Doctrinae nisi vita respondeat et scientiae adiuncta sit beneficentia, in studiis opera est frustra consumpta.*

220. Nullam rem citiorem apud homines esse quam famam, reor.

Festus citat e Plauto, quod in Comoediis, quae nunc exstant, non legitur. *Maxima et celerrima iactura est aestimationis et famae.*

221. Ne praeter sapias, quam placet parentibus.

Plautus in Persa. *Liberi sua consilia parentum consiliis ne praeferant: hi enim et usu et benevolentia solent illos antecellere.*

222. O morte dira tristius lethi genus.

Senec. in Troad. *Facies lethi gravior letho*, ait apud eundem Oedipus. *Genus mortis ipsa interdum morte calamitosius.*

223. Optanda mors est sine metu mortis mori.

Ibidem. *Facilis mors est, vitam sine mortis sensu ponere.*

224. O triste fractis orbitas annis malum!

Idem in Hipp. *Homini confecto aetate nihil solitudine acerbius: amissis enim liberis levamen senectutis nullum habent.*

225. Occidere est vetare cupientem mori.

Idem in Theb. Translatum de illo Horatii: *Invitum qui servat, idem facit occidenti.* Qui enim retinet periturum, aliquo ipsum modo interficit.

226. O nulla longi temporis felicitas!

Sen. in Agam. *Exclamatio in statum commutabilem rerum humanarum.*

227. O fors fortuna, ut nunquam perpetuo es bona!

Terent. in Hecyr. Altera exclamatio priori similis.

228. Omnibus nobis, ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus.

Ibidem. Trochaicus. *Cum fortuna hominum animi mutantur, in secundis elati, in adversis abiecti sumus.* Sententia Homerica, quam imitati sunt Apollodorus, Archilochus, Pindarus.

229. Otio qui nescit uti, plus habet negotii.

Ennius apud Agellium. Trochaicus. *Otium qui male collocat, plus molestiae sibi ex ignavia asciscit.*

230. Obsequium amicos, veritas odium parit.

Terent. in And. *In mores hominum, qui offenduntur veritate tam verborum quam actionum: alliciuntur vero simulatione et studio falso.*

231. Omnes sibi melius malunt esse, quam alteri.

Ibidem. Notatur hoc dicto commune naturae vitium: *sui enim quisque studiosior, quam alieni.*

232. Omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet.

Idem in Eun. *Omnia prius tentanda sunt, quam ad vim perveniatur.* Legitur eadem sententia apud Apollonium, Aristotelem, Libanium.

233. Omnis dies velut ultimus putandus est.

E manuscripto. *Mors homini potest momento omni accidere. Unde dies quivis summus est habendus.*

234. Omne vitium habet patrocinium suum.

Ex eodem. *Nihil tam pravum, quod non aliquem defensorem invenit.* (Vide Publ. Syr. v. 529.)

235. Pluris docentis vita, quam sententia.

Ex eodem. *Plus movent mores hominis quam oratio.*

236. Pulcrum eminere est inter illustres viros.

Senec. in Octav. *Inter claros viros numerari et inter eos excellere, summa laus est. Horatius: Principibus placuisse viris non ultima laus est.*

237. Patiare potius ipse, quam facias scelus.

Idem in Theb. *Melius est iniuriam ferre, quam inferre,* ex Socratis etiam sententia.

238. Peiora iuvenes facile praecepta audiunt.

Idem in Thyest. *Imperita aetas facilius paret malis consiliis.* Cuius stultitiae exemplum in Rhoboamo Salomonis filio proponunt sacrae Ebraeorum literae.

239. Pretio parata vincitur pretio fides.

Idem in Agam. *Qui propter munera fidus est, iisdem muneribus ad perfidiam adduci facillime potest.*

240. Pars sanitatis velle sanari fuit.

Idem in Hipp. *Qui sanari cupit, ex parte sanitatem aliqua consecutus est.*

241. Prona est timori semper in peius fides.

Idem in Herc. fur. *Semper timemus peiora, etenim timor impendentis mali est.*

242. Pacem reduci velle victori expedit.

Ibidem. *Quia victoria omnis insolens et non diuturna, ideo etiam victor a pace non sit alienus.*

243. Prohibere nulla ratio periturum potest.

Idem in Hipp. *Desperatis aut contumacibus frustra adhibetur consilium: hi enim emendari, illi servari nequeunt.*

244. Pecunia ingens generis humani bonum.

Ex Euripide, Seneca ad Lucil. *ὦ χρυσὲ, δεξίωμα κάλλιστον βροτοῖς.* Omnes res bonae aut sunt pulchrae per se, ut amicitia, virtus, felicitas: aut sunt utiles propter fruendi notitiam, ut divitiae.

245. Primum auscultare disce, si nescis loqui.

Pomponius in Asia. *Si ad dicendum imperitus aut imparatus es, aliorum prius sermonibus aurem attentam adhibe.*

246. Probis probari potius, quam multis decet.

Accius ἐν τῇ ἐπὶ ναυσὶ μάχῃ. *Bonorum iudicio potius quam vulgi standum est.* Tribuitur similis sententia Pittaco Mytilenaeo.

247. **Parenti oportet potius quam amori obsequi.**
Terent. in Hecyra. *Pietas omnibus cupiditatibus est anteponenda.*

248. **Plus mereri debet, in quo virtus est.**
Varro in Eudaemonibus apud Nonium. Trochaicus imperfectus. *Maiora praemia virtute praeditis et bene meritis sunt tribuenda.*

249. **Patere quod datur, quando optata non danunt dii.**
Caecilius in Plotio. Trochaicus. *Danunt* ant ue pro dant. Docet hac sententia *αὐτάρκειαν.*

250. **Plurimum, qui sis, non quis habearis, interest.**
E manuscripto. Trochaicus. *Plus refert bonum aut eruditum esse, quam solam habere bonitatis aut eruditionis opinionem.*

251. **Pauci ex multis amici sunt, qui certi sient.**
Plaut. in Pseud. *Amicorum, qui praesidio in adversis sint, mira est penuria.* Pindarus: *παῦροι δ' ἐν πόνῳ πιστοί:* quod et Horatius transtulit.

252. **Plures amicos re secunda compares.**
Pittacus apud Auson. *Rebus laetis nunquam amici desunt.*

253. **Paucos amicos rebus adversis probes.**
Ibidem. *Rebus male cedentibus, paucorum amicorum fidem experieris.*

254. **Par pari iugato coniux, dissidet quod impar est.**
Solon apud Ausonium. Ita apud Ovidium Deianira: *Si qua voles apte nubere, nube pari.* Item: *Premitur magno coniuge nupta minor.*

255. **Pareto legi, quisque legem sanxeris.**
Pittacus apud eundem. *Quisquis legem fert, eandem sua protervitate ne violet.*

256. **Praeferre patriam liberis regem decet.**
Seneca in Troad. *Pluris facienda patriae salus, quam nostra aut nostrorum.*

257. **Pulcrius multo parari quam creari nobilem.**
Solonis apud Auson. *Celebrior nobilitas virtutis quam generis.*

258. **Pro peccato magno paulum supplicii satis est patri.**
Terent. in And. *Lenitas animi paterni mitiget peccata filiorum, quae non sunt enormia.*

259. **Prudentibus insitum est vitare fortuita.**
Citatur a Sidonio Apollinare. *Vir prudens nihil casui tribuit, sed ratione gubernat omnia.*

260. **Pati necesse est multa mortalem mala.**
Naevius. *Homines miseri sunt, et quia sunt homines, et quia mortales.* Unde Niobam, quae multum fleverit, in lapidem, et in diversas bestias commutatam, finxit antiquitas. Ita divus Hieronymus, qui hanc sententiam adducit.

261. Privata studia publicum evertunt bonum.
E manuscripto. *Quod suo quisque commodo studet, id publicae calamitatis causa est.*

262. Perit voluptas, virtus immortalis est.
Ex eodem. *Voluptates sunt temporariae, et infamiam post se relinquunt: virtus ad laudem est perpetua.*

263. Pulchrum ornatum turpes mores peius coeno collinunt.
Plaut. in Poen. Trochaicus. *Nihil lutosius, quam in corpore formoso mores vitiosi.*

264. Pecuniae imperare, non servire convenit. (Publ. Syr. v. 549.)
E manuscripto. *Pecunia uti si scias, ancilla est; si nescias, saeva domina.*

265. Pecuniam in loco negligere maximum interdum est lucrum.
Terent. in Adelph. *Lucratur saepe pecuniam, qui eam in loco scit contemnere.* Sententia Menandri et Phocylidis.

266. Peccat voluntas, etsi nullum crimen est.
E manuscripto. *Qui intra se scelus tacitum cogitat,* ut ait Iuvenalis, *facti crimen habet.*

267. Post multa virtus opera laxari solet.
Senec. in Herc. fur. *Agendo cuncta paulatim minuuntur, etiam fortitudo.*

268. Priusquam fiat, factis prohibendum est scelus.
Ennius. *Initiis malorum naturae et summa vigilantia est occurrendum.*

269. Potest quid esse honestum, quod non liberum?
E manuscripto. *Nulla sine actionum honestate libertas est.*

270. Petere abstine, concedi quod nefas tibi!
Accius in Diomede. *Non sunt petenda ea, quae honesta negari possunt.*

271. Qui per virtutem peritat, non pol interit.
Plaut. in Capt. *Honestam mortem sequitur immortalis fama.*

272. Qui alterum incusat probri, ipsum se intueri oportet.

Idem in Truc. Trochaicus acatalectus. *Sua facta consideret, qui alterius cum probro reprehendit.*

273. Qui ipsus se contemnit, in eo est indoles industriae.

Idem in Trin. Trochaicus. *Modeste de se sentiens, suos mores commendat, et maiores cotidie virtute progressus facit.*

274. Quam multa iusta iniusta fiunt moribus.

Terent. in Heaut. *Consuetudines multos errores secum trahunt, et vitia ipsa tuentur.*

275. Quot homines, tot sententiae: suus cuique mos.

Idem in Phorm. *Quot hominum genera, tanta sententiarum varietas: sua autem quisque opinione maxime delectatur.*

276. Quem saepe transit casus, aliquando invenit.

Sen. in Herc. fur. *Etiamsi fortibus multa cedant feliciter, tamen tristi et calamitoso exitu non raro vitam ponunt.*

277. Quae invita peccat, debet et culpae fidem.

Idem in Agam. *Quae peccat non sua sponte, eadem coacta excusari debet.*

278. Quicquid dolorem pascit, id nimium puta.

Idem in Herc. Oetaeo. *Nimium est, quodcunque incrementum doloris est.*

279. Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor.

Idem in Theb. *Multa licent legibus, a quibus tamen abhorret animus pudicus.*

280. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

Hoc dictum ita placuit Severo Imp., ut id mandaret per praeconem dici publice, et idem parietibus ac statius inscriberet. Citat ad Sulpicium in Epistolis Paulinus.

281. Quicquid licet, minus desiderabitur.

Hieronymus ad Algasiam e Graeco Senario. *Ut copia parit satietatem, ita licentiam minuit praesentia.*

282. Qui ipsus sibi sapiens prodesse non quit, nequicquam sapit.

Ennius apud Ciceronem. Octonarius. *Inanis est sapientia, quae ipsi auctori non est utilis.*

283. Quemcunque miserum videris, hominem scias.

Ibidem. *Propria hominibus est miseria.*

284. Quod saepe fieri non potest, fiat diu.

Sen. in Oed. *Diuturnitatis custos quies est. Ne festines, dummodo dures; quod non efficit celeritas, id consumat tempus.*

285. Quod non potest, vult posse qui nimium potest.

Sen. in Hipp. *In potentibus infinita cupiditas est. Reges omnia posse volunt.*

286. Quam varia lethi genera mortalem trahunt!

Ibidem. *Infinitis generibus mortis humana vita subiecta est.*

287. Quo plura possis, plura sapienter feras.

Idem in Tro. *Quo potentior, eo sis aequior.*

288. Qui non vetat peccare, cum possit, iubet.

Ibidem. *Qui non coërcet malitiam, cum potest, alios ad peccandum lenitudine invitat.*

289. Quod ratio nequiit, saepe sanavit mora.

Ibid. in Agam. *Dolor, qui ratione non tollitur, saepe tempore exhauritur.*

290. Quem poenitet peccasse, poenae est innocens.

Ibid. *Poenitentia facti levat poenae gravitatem.*

291. Quem quisque metuit, odit ac perire vult.

Idem. *Metus parit odium: odium excitat vindictae cupiditatem. Princeps ad benevolentiam est clementia.*

292. Queritur peremptum nemo, quem incolumem timet.

Idem in Oed. *Malus custos diuturnitatis metus est. Contra benevolentia ad perpetuitatem fidelis est.*

293. Quam quisque norit artem, in hac se exerceat.

Ex Aristophanis Vespis Cicero. *In iis studiis versandum, ad quae edocti et quorum usum consecuti sumus.*

294. Quod esse tacitum vis, id nulli dixeris!

Ex eodem. *Communica cum nullo, quod non vis in vulgus emanare.*

295. Quod bonis benefit beneficium, gratia ea gravida est bonis.

Plaut. in Capt. Trochaicus. *Viro bono memoriam beneficiorum nemo diutius retinet, et prolixius compensat.*

296. Qui nescit uti, perdere est dignus bona.

Sen. in Hipp. *Nulli prodest bonum aliquod, qui eius usum ignorat.*

297. Quemcunque dederit exitum casus, feras.

Ibid. *Quicquid malorum est, aequanimitate est vincendum.*

298. Quae posse fieri non putes, metuas tamen.

Idem in Oed. *Talis est vita hominum, ut omnibus casibus sit exposita, itaque tam insolitum nihil est, quod non possit homini accidere.*

299. Quam saepe forte temere eveniunt, quae non optare audeas.

Terent. in Phorm. *Saepe casus rem aliquam expedit, quae nec consiliis nec votis potuit expediri.*

300. Qui nil potest sperare, desperet nihil.

Sen. in Med. *Ipsa desperatio confidentiae causa est.*

301. Quod in divinis rebus sumas sumptus, sapienti lucro est.

Plaut. in Milite. Iambicus octonarius. *In rebus ad Deum et sacra pertinentibus soli sapientes liberales sunt: intelligunt enim, nullam usuram esse uberiorem.*

302. Quem quisque odit, hunc periisse expetit.

Ennius apud Cicer. lib. II. Offic. Aptius est ad incolumitatem tuendam diligi quam timeri. Hanc sententiam transtulit in 2. Eleg. Ovidius: *Quem metuit, quisque perisse cupit;* et Seneca in Agam. ut supra dictum est.

303. Quod factum est futile amici, nos feramus fortiter.

Ennius in Phoenice. *Amicorum errores ferendi, non exagitandi sunt.*

304. Quod periti sumus in vita aut usu, callemus magis.

Accius in Diomede. *Rectius intelligimus, quod communibus rebus aut experientia sumus edocti.* Trochaicus.

305. Rex velit honesta, nemo non eadem volet.

Seneca in Thy. *Quales principum voluntates, talia vulgi sunt studia. Regis ad exemplum totus componitur orbis.*

306. Regibus est ex mansuetudine certior securitas.

E manuscripto. *Regnum stabilit non potestas, sed clementia: et reges tuti sunt non armorum terrore, sed civium amore.*

307. Refert bonorum, exemplis puniri improbos.

Ex eodem. *Ad bonorum commodum spectat improborum supplicium.*

308. Rerum bonarum consuetudo est optima.

Ex eodem. *Nihil melius quam ad res bonas assuefieri.* (Contrarium, sed alio sensu, dixit Publius Syrus v. 98. O.)

309. Regnare nescit, odia qui nimium timet.

Sen. in Oed. *Non est aptus imperio, qui non sustinet tolerare odia subditorum.*

310. Regnare non vult, esse qui invisus timet.

Idem in Theb. *Qui regnum expetit, invidiam fortiter contemnat. Nam* (ut idem poëta) *simul ista mundi conditor posuit Deus, Regnum atque odium.*

311. Regenda est magis fervida adolescentia.

Idem in Octav. *Nulli aetati disciplina quam adolescentiae magis necessaria.*

312. Suus cuique mos, suus cuique ritus est.

Ex antiquo poëta Symmachus. *Unusquisque aliquid et ingenio et moribus proprium habet.*

313. Saepe in magistrum scelera redierunt sua.

Seneca in Thyest. *In caput auctoris non raro culpa redundat.* et in Herc. fur. *Auctorem scelus repetit, suoque premitur exemplo nocens.*

314. Serum est cavendi tempus in mediis malis.

Ibidem. *Prudentia et cautione ante malum opus est.*

315. Stulta est fides, celare, quod prodas statim.

Idem in Troad. *Quod fatendum est cum cruciatu aut periculo, id celare stolidi hominis est.*

316. Sequitur superbos ultor a tergo Deus.

Idem in Herc. fur. *Nemesis, h. e. vindicta Dei, ultrix superbiae est: et sacer poëta ait: Frangit Deus omne superbum.*

317. Si quis ab alio iratus poenas expetit, a se exigit.

E manuscripto. *Iratus, qui se ulciscitur, in se statuit iudicium.*

318. Sero recusat ferre, qui subiit, iugum.

Sen. in Hipp. *Qui servituti collum subiecit semel, eius onera et molestias ferat, necesse est.*

319. Solent suprema facere securos mala.

Idem in Oed. *Ipsa desperatio in malis extremis est securitas. Unde illa: Quem metui moritura?*

320. Servitia ferre durum et invisum et grave.

Idem in Troad. *Nihil magis metuunt, oderunt, fugiunt homines quam servitutem.* Unde recentior auctor ait: *Quem Iupiter odit, hunc servum facit.*

321. Sceleris coacti culpa in auctorem redit.

Ibid. *Qui aliis peccandi auctor est, ipse sibi struit perniciem.*

322. Sine me vocari pessimum, ut dives vocer.

Euripides apud Senecam. Propter hanc sententiam omnis Atheniensis populus surrexit ad eiiciendum e theatro Euripidem. *Multi non curant aestimationem suam, modo divitias habeant.*

323. Sat habet favitorum semper, qui recte facit.

Plaut. in Amph. *Vir bonus patrocinio nullius eget.*

324. Spectare vitae iubeo cunctos terminum.

De Solone Auson. *Nemo sibi polliceatur felicitatem, donec vita defunctus sit.*

325. Spondere plurimis fuit et damno et malo.

De Thalete idem. *Qui pro altero spondet, ei noxa praesto est.* Idem testantur Solomon et Theognis. (Ἐγγύα, πάρα δ' ἄτη, dixit Pittacus. O.)

326. Si incolae bene sunt morati, pulcre munitum oppidum.

Plaut. in Pers. Trochaicus. *Non moenibus firmantur urbes, sed civium moribus. Expellenda autem sunt perfidia, peculatus, avaritia, invidia, ambitio, obtrectatio, periurium, indiligentia, iniuria, scelus. Haec enim si assint, non centuplex murus rebus servandis sat est:* ut idem inquit.

327. Solet in periculo fieri periculum.

Lucil. sat. 29. Dulcis vocabuli ambiguitas. *Pericula faciunt experientiam.* Prima in verbo, fieri, antiquo more producitur.

328. Scitum est, periculum ex aliis facere, tibi quod ex usu siet.

Terent. in Heaut. Iambicus octonarius. *Ex alienis malis comparata prudentia est pulcherrima.*

329. Sapiens bonum fert modice, fortiter malum.

E Varrone περὶ τύχης. *Sapiens modum adhibet gaudio in rebus prosperis, moderationem dolori in adversis.*

330. Sapiens suis fortunam fingit moribus.

Antiqui sed ignoti poëtae: quem imitatus in Trin. Plaut. Appius in Carminibus dixit: *Fabrum esse quemque suae fortunae:* ut est apud Sallustium. *Fortuna talis est, quales hominum animi, qui eam ferunt.*

331. Sapiens virtuti honorem praemium, haud praedam petit.

E poëta vetusto Cicer. III. de oratore. *Sapiens non venatur honorem, ut praedam existimet, sed recte facta honorem comitantem ut praemium amplectitur.*

332. Saepe est etiam sub palliolo sordido sapientia.

Caecilius apud Cicer. in 3. Tusc. Trochaicus. *Verae virtuti et sapientiae non obstat paupertas,* ut Fabricio et Curio, imperatoribus Romanis, Epicteto et Diogeni, philosophis Graecis.

333. Satis est, quem cuique tribuit fortuna ordinem.

Accius in Persidis. *Eo loco ac statu unusquisque contentus sit, qui illi a fortuna est attributus.*

334. Semper remedium oblivio doloris est.

In Evodio Ticinense legi. *Qui oblivisci doloris potest, dolori medicinam invenit.*

335. Sapientia gubernator navim torquet, non valentia.

Titinius in Setina apud Nonium ex 23. lib. Iliad. *Μήτι, δ' αὖτε κυβερνήτης ἐνὶ οἴνοπι πόντῳ Νῆα θοὴν ἰθύνει ἐρεχθομένην ἀνέμοισι.*
Gubernator consilio regit navem, non viribus. Plures res ingenio perficiuntur, quam robore.

336. Se iudice ipso nemo nocens absolvitur.

E poëta antiquo Macrobius I. Libr. in Somn. Scip. *Homo sibi male conscius, ut iudicis effugiat poenam, suam de se non potest vitare sententiam.*

337. Stultus est, qui cupida capiens cupienter cupit.

Ennius in Phoenice apud Nonium. Trochaicus habens Ennianum παρόμοιον. *Nimia cupiditas stulti et immoderati animi indicium.*

338. Semper adest cupido, semper abest aliquid rei.

E poëta antiquo apud Helenium (Acronem Scholiast. Horatii) non nominato. *Avarus semper abundat et semper eget.* Horat. 3. Carm. Scilicet improbae crescunt divitiae tamen curtae.

339. Saepe ignavum fecit fortem spes et expectatio.

Accius in Decio. Animus imbecilli additur, cum spes boni alicuius expectatur et ostenditur.

340. Tutum quis habuit, nemo securum scelus.

Senec. in Hipp. *Multi sceleris poenam evaserunt, conscientiam sceleris nemo unquam vitare potuit.*

341. Tacere multis discitur vitae malis.

Senec. in Thy. *Calamitas multis silentium indixit.*

342. Timere reges dubia pro certis solent.

Idem in Oed. *Reges dubia timent, ne certa experiantur. Hostes suspectos tollunt: tollere simulatores non possunt.*

343. Torquere corpus extra naturam est suum.

E manuscripto. *Contra naturam agit, qui in membra sua non utitur lege, sed tyrannide.*

344. Tu quod cavere possis, stultum admittere est.

Terent. in Eunuch. *Stultitiae argumentum est, non declinare, si possis, incommodum.*

345. Tua quod nil refert, percontari desinas.

Idem in Hec. *Curiositas, indicium levitatis, iure reprehenditur.*

346. Tam pauper esse nemo potest, quam natus est.

Minucius Felix in Octavio. *Si ortum consideramus nostrum, magis nudi et pauperes nascimur, quam tota vita esse possumus.*

347. Tacere est optimum et pro viribus sapere.

Varro in Eumenidibus. *Sermo multiplex et sapientia immoderata sunt interdum causae malorum.*

348. Veros fatetur, qui pavet vanos metus.

Senec. in Oed. *Qui metuit sine causa, vero metu fatetur se non carere.*

349. Ubi animus errat, optimum est casum sequi.

Idem in Agam. *Ubi ratio non est, casui res committenda est.*

350. Vincendo didici, magna momento obrui.

Idem in Troad. *Experientia loquitur, maxima quaeque ruinae esse obnoxia.*

351. Ut est acerbum, pro benefactis cum mali messem metas!

Plaut. in Epid. *Grave est, pro beneficiis maleficio affici.*

352. Ut saepe summa ingenia in occulto latent!

Idem in Capt. *Non raro fit, ut summi viri obscuri vivant iniquitate temporum.*

353. Violenta nemo imperia continuit diu.

Senec. in Troad. *Nihil violentum diuturnum: moderata durant.*

354. Victor timere quid potest? quod non timet.

Idem in Agam. *Securitas ipsos saepe victores perdidit.*

355. Virtus vocatur prosperum ac felix scelus.

Idem in Herc. fur. *Si quid peccant potentes aut fortunati, hoc non ipsorum sceleri imputatur, sed nomine virtutis defenditur.*

356. Virtutis est domare, quae cuncti pavent.

Ibid. *Quae vulgus horret, non extimescit vir fortis.*

357. Vitam regit fortuna, non sapientia.

Theophrastus in Callisthene apud Ciceron. IV. Tusc. Simile illi: Fortuna homini plus quam consilium valet: ita enim in manuscripto Mimus ille legitur. *Optima et sapientissima consilia saepe frustratur eventus.*

358. Virtute ambire oportet, non favitoribus.

Plaut. in Amph. *Virtute potius ad honores, quam prehensatione et gratia contendendum est.*

359. Uxor contenta est, quae bona est, uno viro.

Idem in Merçat. *Uxor honesta, si mariti studiosa est: impudica citius uno oculo, ut ille ait, quam uno viro fuerit contenta.* Quae univirae apud Romanos fuerunt, corona pudicitiae donabantur.

360. **Ut sunt humana, nil est perpetuum datum.**

Idem in Cistell. *Talis est humanarum rerum conditio, ut nihil firmi habeat.*

361. **Vivas ut possis, quando non quis ut velis.**

Caecilius in Plotio, ut citat Donatus. *Praesentem rerum statum aequi consule, si optato frui nequis.*

362. **Utrumque vitium est, nulli credere et omnibus.**

E manuscripto. *Suspicio et credulitas, utraque vitiosa est.*

363. **Ubique tanti quisque, quantum habuit, fuit.**

Sen. ad Lucil. ex Euripide. Refert Horatius ad Maecenatem: *Tanti es, quantum habeas.*

364. **Victor feroces impetus primos habet.**

Sen. in Troad. *Omnis victoria insolens.*

365. **Vacare culpa maximum est solatium.**

E Ciceronis ad Marium epistola, uno verbo mutato, transscriptum. *Nulla consolatio conscientia recta est validior et melior.*

366. **Ut quisque est meritus, pretium pro factis ferat.**

Naevius in Danaë. *Pro factis bonis aut malis suum cuique constituatur aut praemium aut supplicium.*

367. **Vile nil decet sonare in maximorum laudibus.**

E quodam manuscripto, in quod erant congestae variae variorum sententiae. Trochaicus. Simile illi Horatiano: *Virtus indigno non committenda poetae. Magnorum virorum laudes non deterendae culpa ingenii,* ut idem poëta loquitur.

368. **Usquequaque sapere oportet: id erit telum acerrimum.**

Livius in Equo Troiano. Trochaicus. *In omnibus rebus praesidium maximum est sapientia.*

369. **Ubi non sis, qui fueris, vivere non est cur velis.**

Ex Hecuba Euripidis Cicero. *Vita non est expetenda, amissis pristinae et florentis fortunae ornamentis.* Verba sunt Polyxenae.

370. **Viri boni est pati, non facere iniuriam.**

E manusc. *Ferenda potius, quam inferenda iniuria est.* Supra eadem sententia e Theb. Senecae 237.

371. Vicina saepe sunt virtutibus vitia.

E poëta antiquo Sallust. Idem ait Horatius: *Fallit enim vitium specie virtutis:* idque etiam exemplis declarat: *plerumque modestus occupat obscuri speciem, taciturnus acerbi.*

372. Virtus solida magis nascitur, quam fingitur.

Versus e poëta non nominato. *Doctrina efficit, ut politiora, non ut meliora fiant ingenia.* Ita exponit Val. Maximus. Contra hanc sententiam disputant Peripatetici.

373. Virtus hominibus persuadendo, non minis ac vi traditur.

E poëta antiquo Cicero. Iamb. octonar. *Virtus amat doctorem, non carnificem.*

374. Vigilandum est semper, multae insidiae sunt bonis.

Cicero pro Plancio e poëta antiquo. *Magna cautione in vita humana opus est; et nemo maiore in periculo quam boni versantur.*

IOACHIMI CAMERARII
SENTENTIAE.

DE IOACHIMO CAMERARIO
ET ILLIUS SCRIPTIS.

Ioachimus Camerarius, cuius sententias versibus senariis expressas Publianis ibi coniunctas exhibeo, non tantum Papebergae, urbis patriae suae, sed et totius Germaniae decus et ornamentum fuit. Graecis Latinisque literis doctissimus, auctores permultos non sine magna studiosorum utilitate edidit, innumeraque opuscula scripsit. A principibus ob doctrinam saepius accersitus, studium divitiis semper antetulit, et usque ad ultimum vitae diem prioris aevi simplicitatem sedulo retinuit. Studia numquam remittens, quae vel inter vias, vel de nocte animo concepisset, deinde calamo adnotabat: Herodotum, Demosthenem, Xenophontem, Euclidem, Homerum, Theocritum, Sophoclem, Lucianum, Theodoretum, Nicephorum et Gregorium Nyssenum Latine loqui docuit: catalogum episcoporum in praecipuis ecclesiis, graecas epistolas selectiores Tubingae anno 1540. excusas, elegias, epigrammata graeca veterum poetarum (librum gnomologicum et hippocomicum) magnumque Phavorini lexicon edidit: Plautum Ciceronisque opera quaedam doctissime commentatus est, Philippique Melanchthonis et Eobani Hessi, quibuscum amicitia iunctus fuit, vitas scripsit, multaque alia, quorum catalogum Niceronius accurate confecit.

Natus anno 1500. die 12. Aprilis, anno 1574. die 17. eiusdem mensis e vivis excessit; paucisque ante mortem diebus hos tanquam cygneos versus manu iam debilissima exaravit:

Morte nihil tempestiva esse optatius aiunt:
Sed tempestivam quis putat esse suam?
Qui putat, ille sapit: namque ut fatalia vitae
Sic et quisque suae tempora mortis habet.

Corporis species ei fuit egregia, viresque equestri semper studuit exercitio conservare. Gravis sine tristitia, liberis etiam erat monosyllabus. A mendacio tantum aberat, ut ne iocosum quidem mendacium ferre posset.

Linguam Gallicam et Italicam iam senex attigit, et Hebraicam etiam degustavit. In Graeca peritissimus, in Latina vero cessit nemini, quod ex istis sententiis, filiorum suorum cura anno 1583. Francofurti primum evulgatis, lector facillime compertum habebit.

IOACHIMI CAMERARII SENTENTIAE VERSIBUS SENARIIS.

Ad altiora ab arduis fiunt gradus.
Ad corrigendum prava regula est opus.
Ad dignitatis culmen est praeceps via.
Admitte consilium bonum, quicunque det.
Adversa non optanda, sed ferenda sunt.
Ad unam originem omnium recidit genus.
Ad vitia proclives magis cuncti sumus.
Aetas senum descendit, et subito cadit.
Aliquando vincit pertinax bonitas malos.
Amant bonum homines principem, malum timent.
Animi pusilli est, ipse qui placet sibi.
Animum labor generosum alendo roborat.
Assuesce verum audire simul et dicere.

Beneficii turpissima est oblivio.
Beneficium est prodesse nolenti quoque.
Beneficium non exigit datum bonus.
Beneficium praestatur animo, non statu.
Beneficus id, quod alteri dedit, ipse habet.
Bene tardius nolentis instar est volens.
Bono est viro unus instar omnium dies.

Calumniator inter homines est lupus.
Cavenda nimia semper est contentio;
Lacessere superiorem enim dementia est;
Anceps parem res; humiliorem sordida.
Communis est fortuna, miserum ne premas.
Consueta fiunt saepe naturalia.

Crescit facilius dignitas, quam nascitur.
Culpans vitia primum bonus culpat sua.
Curatio nulla est salutaris gravis.

Damnat libenter ille, qui damnat cito.
Dari bonum quod potuit, auferri potest.
Deformis et mala res ineptus risus est.
Desiderare perditum dementia est.
Det alteri veniam, dari qui vult sibi.
Deterrimum est amissus in vitiis pudor.
De turpibus bene rebus haud poteris loqui.
Diversa sunt haec, otium atque ignavia.
Duo, mens valetudoque bona, homini sunt bona.

Egregia multa facta in obscuro iacent.
Est consulendi magna pars in tempore.
Est contumax plerumque in afflictis dolor.
Est temperandus, non adaugendus labor.
Est indecorum in seria re ludere.
Excludere malum est quam regere consultius.
Ex divite facit saepe pauperem inertia.

Fatuum volens ridere se ipsum rideat.
Felicitatem ingentem animus ingens decet.
Fere timendis incutitur ipsis timor.
Fidele consilium dare timor haud solet.
Firmum nihil est adeo, ut interitu vacet.
Frustra timetur, quod necesse est perpeti.

Gladius ferit corpus, animos oratio.

Humana sunt caduca breviaque omnia.

Immodica gignit ira saepe insaniam.
Impensa nulla est carior quam temporis.
Industrio ignavum otium poena est viro.
Ingentis irae est exitus certus furor.
Iniuriae doctrina sunt patientiae.
Iniuria ipsa poena maxima est sibi.
Iniuria vir innocens non laeditur.
In purpura atque auro implicatur servitus.

In quo cupiditas regnat, ille servus est.
In quo ultimum est, rerum omnium est longum nihil.
In rebus hominum morte certius est nihil.
Interdum honesti nomine vitium subit.
In terra imago viva rex bonus est Dei.
Inventa non sunt cuncta: adhuc studio est opus.
Ira in furorem, in exitium adigit furor.
Iram brevem dixere quidam insaniam.
Iudex malos damnando non odit bonus.
Ius gentium, quod debeas, reddi iubet.

Magni viri est iniurias contemnere.
Mala pro bonis dementia est assumere.
Materia saepe bona est, sed artifex malus.
Maximus opum non indigere fructus est.
Medicina, cum facit dolorem, proficit.
Memore est animo gratoque honestius nihil.
Mendacium est tenue, dilucet undique.
Mens corporis maiore mole eliditur.
Morem exprimit populus suorum principum.
Mors sequitur omnes, vita sicuti fugit.
Mortalibus parata est mors omnibus.
Mortalium deflere mortem amentia est.

Natura quod desiderat, parabile est.
Natura si repugnat, irritus est labor.
Nescire aliqua quam scire saepe melius est.
Nil ad Deum peius hominesque superbia est.
Nil carius quam precibus emptum acquiritur.
Nil melius est virtute, et haec pretium est sui.
Nimium quod est, utique vitiosum et malum est.
Nisi pauca serves, interibunt plurima.
Nocet aliquando vindicare iniuriam.
Non actio laudem meretur, sed modus.
Non efficit doctos librorum copia.
Non eripit fortuna, quod non contulit.
Non esse partum aegre est minus quam perditum.
Non est ab infami timenda infamia.

Non est malum mori, mori sed turpiter.
Non habet avarus, non habebit prodigus.
Non pauca habens, sed plura cupiens, pauper est.
Non quid feras, sed quomodo quidquam, interest.
Non quod opus est, sed quod necesse est, hoc emas.
Non vivere est, sed vivere bene, homini bonum.
Non ut diu refert, sed ut vivas bene.
Non vult negans peccare sese corrigi.
Notitia peccati est salutis initium.
Nulla est futuri certa praescientia.
Numquam est satis, spei improbae quicquid datur.
Numquam lucrum expers turpe damni est et mali.

Obediens recte monenti proximus.
Occaecat animos affluens felicitas.
Omittere studia idem est et intermittere.
Omne est acerbum quod facit funus parens.
Oratio expedita veritatis est.
Oratio fere atque vita congruunt.
Ornata forma mente praeclara eminet.

Pandit fores secura conscientia.
Patitur mali, qui non sibi applicat, nihil.
Patrium est cuique, ubi bene vivitur, solum.
Peccantium peccare poena maxima est.
Pecunia in quosdam, in latrinam ut aes, cadit.
Peiora sunt fere, placent quae pluribus.
Placido atque miti principi constat fides.
Potest latere nocens, sine metu esse haud potest.
Praesens adempti vile fit cupidine.
Praesentibus sapientia est frui bonis.
Pravae est cupidinis sitis inexplebilis.
Pretium ciborum facit et auget raritas.
Princeps bonus diligetur, oderunt malum.
Probat ignis aurum, calamitas fortes viros.
Prodest fore id putare, quod fieri potest.
Pro exemplo ubi vitium est, status rerum est malus.

Prope est, modum superans iniqua ut poena sit.
Protulit alia tempus, et alia dehinc proferet.

Quaedam decet didicisse, non iam discere.
Quae dicis aliis, dic tibi, ipse ut audias.
Quae sors tulerit, ea fortiter ferre est viri.
Quae sunt necessaria, superflua ne putes.
Quem quisque agit, cum morte dividit diem.
Quidam ante vivere desinunt, quam inceperant.
Quid ebrietas est? sponte contractus furor.
Qui diviti dat pauper, ille dans petit.
Quod non dedit fortuna, rapere non potest.
Quod postulat natura, ad id quoque sufficit.
Quod quisque carum habet, id sibi eripi dolet.
Quod saepe consilium nequit dare, dat dies.
Quod vivitur, multum est, ubi est vitae satis.
Quo non opus, carum, asse si merceris, est.
Quo plura habet cupidus, eo plura appetit.
Quotidianum homini ab homine periculum est.
Quotidie ad mortem propius acceditur.

Rari ostio patente possunt vivere.
Rebus ruina impendet omnibus arduis.
Recte facere speciosius quam dicere est.
Rectum est loqui et tacere tempore ac loco.
Regum eximius ornatus est clementia.
Remedia non prosunt, nisi accedat mora.
Rerum bonarum sollicita expectatio est.
Rerum malarum infestus admodum metus.
Res sordida est tritae ingredi vitae viam.
Res universas inchoans finem aspice.

Sapientia est regina, vitae servit ars.
Sat dives est, quem pauperem esse non piget.
Satis est parum naturae, aviditati nihil.
Sceleris in ipso scelere supplicium est sui.
Scelus voluntas, non patratio perficit.

Seipsum regens est semper animus optimus.
Semper pusillum est, maximo quod est minus.
Senile votum annos petit paucos sibi.
Sententiam re incognita feras cave.
Sentire hominis adversa, perpeti est viri.
Sentire turpe est aliud et aliud loqui.
Sic omnia facito, atque si spectet aliquis.
Signum in adolescente est verecundia bonum.
Simplex honesti, multiplex vitii est via.
Singuli aliquid de viribus demunt dies.
Spes falsa dignitatis insolentia est.
Stulti execrantur miserias et appetunt.
Stultitia pacatum et quietum habet nihil.
Stultum est alicui accipere, quod nequit dare.
Suadere solitudo multa solet mala.
Sua quisque maxima esse iudicat mala.
Sublime quidquid est, id est praeceps quoque.
Succedat ut tandem, experire saepius.
Supplicium in ipsa scelera maximum cadit.

Tam discere est diu rectum, quam nescias.
Tam nemo pauper vivit atque natus est.
Teipsum verere non minus, quam ceteros.
Terrena quem capiunt, animus angustus est.
Tranquillitate optabilius homini est nihil.
Tunc iudices alios, eris quando innocens.
Turpe est senescentem incipere iam vivere.

Ubique praesto est, omnia et videt Deus.
Ubique res est fructuosa nosse se.

Velle atque nolle aliquando idem sapientia est.
Velle fieri, est pars magna bonitatis, bonum.
Vere est miser, culpa est sua quisquis miser.
Versare cum iis, qui facere meliorem queunt.
Viatico eruditio senectam instruit.
Virtus pati non est, dolore quod vacat.
Victum pares, sed artibus nunquam malis.

Virtutis arma ubique sunt fortissima.
Vitae bonae iustaeque finis est bonus.
Vita inchoare spem brevis longam vetat.
Vitanda sunt odium, invidia, contentio.
Vitia et mala in stulto simul sunt omnia.
Vitii est nihil contagione nocentius.
Vitium est utrumque et nulli et omni credere.
Vivi sepultura otium est ignaviae.
Vulgo ille displicet, cui virtus placet.

Est ista summa, Deum pie inprimis cole,
Servaque mandata illius pro viribus,
Permitte et ipsi cuncta: in hoc sunt omnia.

SEPTENARIAE SENTENTIAE.

Cautus est audace ubique melior et magis utilis.
Cum bonis bonus futurus est malusque cum malis.
Cuncta studio diligentiaque perfici solent.
Discitur nunquam nimis, quod discitur nunquam satis.
Expetas bonum, metuas malum, feras quod sors feret.
Haec quies est paxque permittere Deo sua omnia.
Inter impares amicitia esse firma non solet.
Iuvenum aberrat, in furorem luxuria ruit senum.
Languor impedire nullus officium et debet fidem.
Liberat fortuna quosdam fune, neminem metu.
Maximam partem veneni flagitium bibit sui.
Maximum est vacare culpa in miseria solatium.
Maximum in malis solamen conscientia est bona.
Mitigat graves dolores temporis longinquitas.
Multa novisse speciosa vanitas est ingenii.
Omnis est fucata regum praepotens felicitas.
Prosperis cor rebus errat, in malis sapimus magis.
Qualis est fortuna, talis esse animus hominum solet.
Quod tibi fieri non vis, id et alteri ne feceris.
Rebus in dubiis laborantem adiuvans amicus est.
Rebus in miseris amicitiae eminet fidelitas.
Vir bonus licere solum censet illud, quod decet.
Vivere insanabili in morbo diutius est mori.
Vulgus inprimis malum est, cum praesides habet malos.

MONOSTICHA
DE MORIBUS.

Utilibus monitis prudens accommodet aurem.
Non laeta extollant animum, non tristia frangant.
Dispar vivendi ratio est, mors omnibus una.
Grande aliquid caveas timido committere cordi.
Nunquam sanantur deformis vulnera famae.
Naufragium rerum est mulier malefida marito.
Tu, si animo regeris, rex es; si corpore, servus.
Proximus esto bonis, si non potes optimus esse.
Nullus tam parcus, quin prodigus ex alieno.
Audit quod non vult; qui pergit dicere quod vult.
Non placet ille mihi, quisquis placuit sibi multum.
Iuri servitium defer, si liber haberis.
Vel bona contemni docet usus, vel mala ferri.
Ex igne ut fumus, sic fama ex crimine surgit.
Improbus officium scit poscere, reddere nescit.
Irridens miserum dubium sciat omne futurum.
Mortis imago iuvat somnus, mors ipsa timetur.
Quanto maior eris, tanto moderatior esto.
Alta cadunt odiis, parva extolluntur amore.
Criminis indultu secura audacia crescit.
Quemlibet ignavum facit indignatio fortem.
Divitiae trepidant, paupertas libera res est.
Haud homo culpandus, quando est in crimine casus.
Fac quae te par sit, non alter quod mereatur.
Dissimilis cunctis est vultus, vita, voluntas.
Ipsum se cruciat desaevitque invidus in se.
Semper pauperies quaestum praedivitis auget.
Magno conficitur discrimine res memoranda.

Terra omnis patria est, qua nascimur et tumulamur.
Aspera perpessu fiunt iucunda relatu.
Acrius appetimus nova, quam iam parta tenemus.
Labitur ex animo benefactum, iniuria durat.
Tolle mali testes, levius mala nostra feremus.
Sperne lucrum: versat mentes vesana libido.
Fraude carete, graves; ignari, cedite doctis.
Lusuri nummos, animos quoque ponere debent.
Irasci victos minime placet, optime frater.
Ludite securi, quibus aes est semper in arca.
Si quis habens nummos venies, exibis inanis.
Lusori cupido semper gravis exitus instat.
Sancta probis pax est; irasci desine victus.
Nullus ubique potest felici ludere dextra.
Iniicio furias, ego sum tribus addita quarta.
Plecte truces animos, ut vere ludere possis.
Ponite mature bellum, precor, iraque cesset.

DE VENERE ET VINO
BASILII CARMEN.

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore;
Uno namque modo vina Venusque iacent.
Ut Venus enervat vires, sic copia vini,
Et tentat gressus, debilitatque pedes.
Multos caecus amor egit secreta fateri:
Arcanum demens detegit ebrietas.
Bellum saepe ciet ferus exitiale Cupido,
Saepe manus itidem Bacchus ad arma movet.
Perdidit horrendo Troiam Venus improba bello:
At Lapithas bello perdis, Iacche, gravi.
Denique cum mentes hominum furiavit uterque,
Et pudor, et probitas, et metus omnis abest.
Compedibus Venerem, vinclis constringe Lyaeum;
Ne te muneribus laedat uterque suis.
Vina sitim sedent; natis Venus alma creandis
Serviat: hos fines transiluisse nocet.

DE VITA TRANQUILLA.

Est mihi rus parvum, foenus sine crimine parvum,
Sed facit haec nobis utraque magna quies.
Pacem animus nulla trepidus formidine servans
Non timet ignavae crimina desidiae.
Castra alios operosa vocent, sellaeque curules,
Et quicquid vana gaudia mente movet;
Pars ego sim plebis nullo conspectus honore,
Dum vivam dominus temporis ipse mihi.

ITEM.

Ante rate e Siculo discurrent aequore pisces,
Et deerit Libycis putris arena vadis;
Ante nives calidis demittent fontibus amnes,
Et Rhodanus nullas in mare ducet aquas;
Ante mari gemino semper pulsata Corinthos
Confundet fluctus pervia facta duos;

Ante feri cervis submittent corda leones,
Saevaque dediscet proelia torvus aper;
Medus pila geret, pharetras Romana iuventus,
Fulgebit nitidis India nigra comis;
Quam mihi displiceat vitae fortuna quietae,
Aut credat dubiis se mea puppis aquis.

I T E M.

Vive, et amicitias regum fuge: pauca monebas;
Maximus hic scopulus, non tamen unus erat.
Vive, et amicitias nimio splendore nitentes,
Et quidquid colitur perspicuum, fugito.
Ingentes dominos et famae nomina clarae
Illustrique graves nobilitate domos
Devita, et longe vivus cole. Contrahe vela,
Et te litoribus cymba propinqua vehat.
In plano tua sit semper fortuna, paresque
Noveris. Ex alto magna ruina venit.
Non bene cum parvis iunguntur grandia rebus;
Stantia namque premunt, praecipitata ruunt.

I T E M.

Vive, et amicitias omnes fuge: verius hoc est,
Quam, regum solas effuge amicitias.
Est mea mors testis: maior me afflixit amicus,
Deseruitque minor; turba cavenda simul.
Nam quicumque pares fuerant, fugere fragorem,
Nec dum collapsam deseruere domum.
Nunc et non reges tantum fuge; vivere doctus
Uni vive tibi, nam moriere tibi.

I T E M.

Quod tua mille domus solidas habet alta columnas,
Quod tua marmoreo ianua poste nitet,
Aurea quod summo splendent laquearia tecto,
Imum crusta tegit quod pretiosa locum,
Atria quod circa dives tegit omnia cultus,
Nempe animus tollit hoc, malesane, tuos.
Aedibus in totis gemmae licet omnia claudant,
Turpe est, nil domino turpius esse suo.

IANI ANYSII
SENTENTIAE
AD
INACHUM MENDOSSAM
CARDINALEM.

IANI ANYSII SENTENTIAE.

AD INACHUM MENDOSSAM CARDINALEM.

Ut praeclara mihi incidere verba,
Subscripsi negligentius libello:
Nam duxi nihil ordine indigere.
Tu lege, Inache Candide, atque cunctis
Da sedem propriam suumque honorem.

AD LECTORES.

Si qua est Iambis his licentia in nostris,
Matrona fucis et caret quia debet.

AD LECTORES.

Quae facere meliora nequii, utor pro meis.
Nam dicta veterum invertere impietas mera est.

Mens pura centum gratior tauris Deo.
Virtute nihil propius Deo, hac coelo est iter.
Praestat mori, quam vivere diu turpiter.
Sit lingua nata gratiae et dictis bonis.
Mendacium quum dicis, sis mendax memor.
Cote aurum et auro homo probatur optime.
Est poenitudo sponsionis filia.
Principem adeas rarissime et suavissime.
Primas cave cupidinis foveas faces.
Iuventa bene instituta tibicen senii est.
Necessitas rerum omnium potentissima.
Quo iniquior, eo infelicior potentia est.
Et iustus et sapiens vir est similis Deo.
Honesta dare petereque amici est optimi.
Qui possidet se, non qui opes, is dives est.

Mortalis homo mortalibus ne fidito.
Se vincere optima omnium victoria est.
Agenda meditare, acta mox examina.
Diversa studia odere cuncti, amant sua.
Audere plus, loqui minus, fortis viri est.
Ducenda si uxor est, parem exopta tibi.
Non divitiae eae sunt, quibus semper deest.
Linguamque, ventremque, Veneremque comprime.
Quis non tam amicus diis, spopondit cras sibi?
Praepropere in omni tempore uxor ducitur.
Praedulce amore mutuo connubium.
Ut umbra, sic oratio est mutabilis.
Ille est Deo carissimus, qui eget minus.
Habeto opes, haberi ab illis praecave.
Quid interest, ditem an inopem hominem mori?
Sapientia animo splendet, ut oculis dies.
Ad gratiam oratio laqueus est melleus.
Ut est gravis virtus, ita sors levissima.
Fiducia et spes praesidia firmissima.
Opem petenti aut da cito, aut cito nega.
Vis mole praeceps it sua expers consilii.
Iactura per socordiam gravissima est.
In animo egestas atque opes hominum sedent.
Rarissimum inventu est amicus optimus.
Plenum theatrum est vir bonus viro bono.
Cum naufrago fac connatet viaticum.
Tam morte certa, quis tantus timor mori?
Opinio animum saepius, quam res premit.
Id optimum est, quod fit vetustate melius.
Ira impotens furor est suique poena atrox.
Ita age, ut deis et hominibus spectantibus.
Quid tam dolendum, si datur finis malo?
Raro tirannum vidit usquam sol senem.
Aerugo ut aes, ita invidia est praecordia.
Scire et sapere viaticum in vita optimum.
Inscitia est mortalibus summum malum.
Ne crastino sperans quid omiseris hodie.

Nil optimum pulchrumque sero discitur.
Adversa prosunt saepe, nam recti admonent.
Latere conscientiam nequit scelus.
Qui adversa nescit, prorsus homo est miserrimus.
Non vis tua edi consilia, ne proferas.
Convicia hominum turpium laudes puta.
Quid homo paras, necesse tandem si est mori?
Cani latranti praeda facile elabitur.
Superare fortunam potest potens pati.
Metiri iniquum est commodo suo omnia.
Haustus facile amor, cum labore educitur.
Nil tam celere, quod non amanti sit morae.
Fortuna quo arridet magis, magis time.
Qui parcit improbo, officit multis bonis.
Ipsis neque hostibus feceris iniuriam.
Quod non potes vitare, fortiter feras.
Fortuna vitri more nitet ac frangitur.
Aequanimitas medicina aerumnae maxima est.
A morte vir virtute vindicabitur.
Nulli est avarus quam sibi infestus magis.
Minae et metus nihil integrum vitae movent.
Lupum auribus tenet, tirannus ut imperans.
Beneficia senescunt, virent iniuriae.
Convivio rara loquitor et gratissima.
Desunt egeno multa, avaro omnia.
Nos saepe fallunt nostra recti imagine.
Sic vive, tanquam omnis supremus sit dies.
Oratio index est animi certissimus.
Diras avaro si imprecer, vitam precer.
Hostis timendus, quamlibet pusillus est.
Infestius nil alteri est, quam homo.
Qui mortuo dat, ludit operam illi ac sibi.
Persaepe quae serunt alii, alii metunt.
Si urget necessitas, pericla periclo adi.
Nihil homini certum est cavere, latent mala.
Poena gravi ipsum ulciscitur sese scelus.
Multa accidunt, quae conseres silentio.

Beneficii cito senescunt gratiae.
Tanti aestima te, quantus es, nisi desipis.
Nil poenitendum feceris consulto agens.
Lethalius multo est malum, quod delitet.
Moeror voluptatem usque sectatur comes.
Quid stultius, quam verti in hora saepius.
Iactura nulla gravior est, quam temporis.
Nihil supra vires statuit homini deus.
Plures timebit, qui est timori pluribus.
Dulcis labor fit praemii certus sui.
Quod vivitur vita est, probe si vivitur.
Consulto amicum aut quaerito, aut relinquito.
Felix, alieno periculo quisquis sapit.
Leve est dare consilium, arduum se noscere.
Exigua res fit maxima data tempore.
Monet sequentem, qui antecesserit dies.
Frustra expetuntur, quae impetrari non queunt.
Delibera tarde, perage quam ocissime.
Enitere esse opinione probatior.
Animi bona in numerato habe magis, quam opes.
Nil abditum diu est, malefacere abstine.
Dies diei index, supremus omnium.
Opinio imperat homini imperio gravi.
Cupis beatus esse? sustine, abstine.
Aurum ignis examinat, amicum tempora.
Nunquam dati memineris, accepti es memor.
Omni aspide improba mulier lethalior.
Par est lucrum damno improbis partum modis.
Senex inops spectaculum est tristissimum.
Amico amicus in omnibus bona cogitat.
Secreta amici conde thesauri loco.
Audire dicereve male in quenquam abstine.
Rebus modus concentus est suavissimus.
Ingenui animi et celsi est fovere miserrimos.
Et verba et opera foeda sunt venalia.
Molestia est iugis domi uxor improba.
Felicitas summa uxor est frugi viro.

Iniuria animum exest, beneficium exhilarat.
Saepe est egestas dulcior quam copia.
Mendacem ita audi, ut sit ioco ac derisui.
Ingens labor mendacis omnia fingere.
Mendacem ego nequam execror, vanum fero.
Luxus corpus conficit, animum multo magis.
Cui credere debeas quid, et quantum, vide.
In supplicem qui saevit, saevior fera est.
Facundus est comes viae compendium.
Virtus relicta tristitiam animo parit.
Praesens et absens est bonus amicus bonus.
Latens adulator malum ac lethale mel.
Si est turpe superari, dolorem vincito.
Vitato ut hostem temetipsum, si es malus.
Nil suavius, quam audire vera ac dicere.
Miseriae ope sua aeque excruciant, ni mens sapit.
Ita amicum ama, ut ratio locum servet suum.
Amentia est teterrima invidentia.
Dictum impie in deos malum est vanum atque atrox.
Nihil videt mens veritate pulchrius.
Sapientia est medicina languorum omnium.
Sera ultio gravissima venit impio.
Alias mora molesta est, fallens molestior.
Metire censu impensam et arca, si sapis.
Non cuias, sed quis es, expedit te ostendere.
Infestior ipsi iniurio est iniuria.
Ineptius nil est, quam inepta effundere.
Simplex amico amicus esto et integer.
Bona est voluptas, si rationi pareat.
Condimentum cibi est fames, potus sitis.
Praesto esse miseris principem virum decet.
Modestus esto aeque in iocis ac seriis.
Venale quicquam in rege pro piaculo est.
Sapientiam nil propius est, quam veritas.
Largissimis affluit opibus nitida fides.
Mendax miser palam, clam avarus esurit.
Ut sol modesta liberalitas nitet.

De se exigit, quod in aliis ira expetit.
Mulcet superba lene verbum pectora,
Maledicta dissimula, atque vives hilarius.
Meminisse semper tristis muliebris animi est.
Sunt mane amici, vespera aversi mali.
Honesta amicus impetret, turpe haud petat.
Si sors te evehit, prioris es vitae memor.
Nullus gravior hostis, quam amicus subdolus.
Diuturna non est improborum amicitia.
Ingratus aeque est omnibus odio, ac sibi.
Communitati hominum debemus plurimum.
Bona ut a bonis oriuntur, ita mala a malis.
Prudens si aberrat recta, hominum est miserrimus.
Nulla invidiam et avaritiam requies fovet.
Nil rege iusto pulchrius sol aspicit.
Est servitus cupidinis durissima.
Virus dilutum nectare assentatio est.
Pone in bonis, quae iuste opes accesserint.
Qui affert necessitatem, aufert arbitrium.
Cum diis age precibus, dent id, quod est bonum.
Quid quaerimus multi, ad manum si est, quod sat est?
Occidi vir bonus, laedi haudquaquam potest.
Honesta egestas pompa inani pulchrior.
Prudenter agito, viderint dii postea.
Natura quos, indos docet, honeste utere.
Dolere nil rigidi animi est, mollis nimis.
Gratus laborem minuit et animum incitat.
Curat prius se, deinde rem, quisquis sapit.
Trudunt malo mali malum, boni bono.
Nil morte certius, nil hora incertius.
Sit gaudio, dolori, irae suus modus.
Vicissitudo tandem rerum est omnium.
Difficilius dediscere est, quam assuescere.
Mens dubia animi facile gradu depellitur.
Subito in periculo consilium rapidum valet.
Fallit temeritas saepe, cogita antea.
Ne admiseris quod obest, potes si omittere.

Si corpori anima praeest, animam cura prius.
Mors aspera malis, longe alia venit bonis.
Si non parentem fers homo, quem alium feres?
Clementiae expers imperium tyrannis est.
Pulchra ac pudica pulchrior duplo ac triplo est.
Quamvis scelestum poenitet sceleris tamen.
Opes parentur, ut virtuti pareant.
Quod tute tibi parasti, id est dulcissimum.
Obscurius quidque inquirendo discitur.
Mendacium est diis maxime et hominibus odio.
Invito, et id quod est facile, difficile fit.
Iuste refulgent leges post iniuriam.
E re sapientis est, negligere rem in loco.
Praesentis absentisque amici sis memor.
Plus quam labor desidia corpus conficit.
Curiosius aliena scrutari abstine.
Tempus novi aliquid semper in nobis parit.
Sine mente dives aureo aries vellere est.
Placato officiis, quos laeseris iniuria.
Aequo ferendum animo, feret quodcunque sors.
Infirmo eunt pede consilia hominis inopis.
Quam quisque norit artem, in ea se exerceat.
Lenire nitere, quod nequis dissolvere.
Quum non datur quod vis, velis quod sors tulit.
Diffunde tua potius, aliena quam appetas.
Amor sine modo abest parum admodum ab odio.
Cum liberis hominibus abstine a minis.
Sit conscientia instar mille testium.
Audire vis bene, abstine male dicere.
Mortalis haud nescis, quae ad orcum est ultio.
Petito a Deo fortunam, a te ipso sumito.
Cauda et capite mendacium graviter ferit.
Dictum bonum aut factum redit cum foenore.
Amore crescunt imperia, ruunt metu.
Tam est in vitio, qui omnia timet, quam qui nihil.
Male imperat, qui sub imperio numquam fuit.
Adversus iram pugna vita emi solet.

Errata minima abeunt, at haerent grandia.
Nil rege pulcrius, nil tyranno tetrius.
Non laudo amorem, a quo ingenuus abest pudor.
Iniuriam inferre est ferae, ferre est viri.
Intemperantia est malorum pessima.
Grave decipi ab alio est, a se gravissimum.
Magnum est quidem hostem vincere: se autem maximum.
Heu cur potentes plerique omnes sunt mali?
Pulcherrima est res veritas, orta a Deo.
Eam elige artem, quam senex exerceas.
Ut principum, sic fiunt mores civium.
Sapienti honestas lex, libido est lex malis.
Gravior egestas est amicorum quam opum.
Te scire quod nescis, ne unquam dixeris.
Quod vivis, haud vita est, nisi bene vixeris.
Nimius sui amor radix malorum est omnium.
Pectora virorum sunt muri urbis aenei.
Prae se ipso amabit veritatem vir bonus.
Obest nil bis dici, quod bene dicitur.
Dos magna mulierum est et decus pudicitia.
Animi pusilli est facere servo iniuriam.
Ni servum ineptum vis, cum eo abstine a iocis.
Id disce, quod te faciat meliorem in dies.
Bonus videri, at esse nititor magis.
Sine contumelia plectito, quibus praees.
Corpus animumque incontinentia conficit.
Repetere beneficium impudentis hominis est.
Regni haud dubia sunt praesidia amor civium.
Laudato parce, vituperato parcius.
Vindicta felix est potuisse ignoscere.
Gravissimum supplicium est odium publicum.
A temetipso exigito, si tibi quid deest.
Exculti opes amplissimae sunt pectoris.
Quum uxor magis paret, magis imperat viro.
Neque temere, neque timide periclum adi.
Quod partum est precibus, beneficii amittit locum.
Non tam rei, quam animo debetur gratia.

Amare cogi, quem oderis, miserrimum est.
Nulla improborum stat diu felicitas.
Ut nare piscium est, ita flere mulierum.
Munus loco iacturae erit, si erit malum.
Iniuria vel ipsis odio est auctoribus.
Lite abstine, nam vincens multum amiseris.
Ut quisque est intus, talis est oratio.
Spes praemii levat laborum sarcinam.
Vicem gerit aerumnae nimia felicitas.
Iactura maxima est, carere ea re, quam habes.
Regi certa est securitas clementia.
Felix is est, peccare qui minimum potest.
Senex amator ultima aerumna est sibi.
Fortuna fortis superat consilia hominum.
Conferre beneficium, quam accipere, est pulchrius.
Periculum idem parcere malo et laedere bonum.
Quodcunque fit bonis bene, id nunquam perit.
Ars alia privatum, alia principem decet.
Persaepe, plus qui amplectitur, retinet minus.
Si audire male non vis, ne dixeris male.
In cor malum sapientiae haud aditus patet.
Auro loquente conticescunt omnia.
Si rem efficere cupis, minimum oportet loqui.
Ut corpus umbra, ita gloriam invidia sequitur.
Si quae dat egenus, redde mox cum foenore.
Scintilla parva alta incendia saepe excitat.
Turpi abstine a quaestu, neque esto particeps.
Audire male minus grave est, quam dicere.
Ex consilio bono bonum nascitur opus.
Vivis: bene sperandum ad horam usque ultimam.
Bene institutum animum parum afficiunt mala.
Amicitiae longissimi sunt termini.
Monstrum est iuvenis infirmus et demens senex.
Est liberi hominis vera semper dicere.
In laude ne exulta, at prius te examina.
Dulcissimum fructum ferent mores boni.
Sine consilio agens facile fit praeda hostibus.

Nox consilium gignit, dies operam exigit.
Quisquis senescis, praepara viaticum.
Quodnam lucrum sperare ab hoste possumus?
In filium iram non bonus nutrit pater.
Mulier nil scit praeter illud quod cupit.
Stude ex teipso parere nomen et decus.
Fortuna tunc fluit, manere quum putas.
Virtutis est possessio firmissima.
Tutissimum est vallum nitida virtus viris.
Da munus et libenter accipe a bonis.
Ne turpe fac, nec comminiscitor quidem.
Senecta male instituto onus gravissimum.
Frugi mulier firmum gubernaculum est domus.
Non verba mulcent dulcia, quem torquet fames.
Peccare bis idipsum haud sapientis est viri.
Virtutibus sacrarium est modestia.
Terra omnia aufert, rursus et refert parens.
Quam tantum amamus, vita ad mortem cursus est.
Mulier domus aut calamitas est, aut salus.
Servat virum vir, et manum manus lavat.
Satis senex est iuvenis, si sapit satis.
Dominus est assiduus servus suae domus.
Et cogita, et loquere libenter de Deo.
Fert damna saepe turpe lucrum maxima.
Vita indigna semper vita non dici potest.
Mori haud grave est malum, sed turpiter mori.
Robur iuventutis, senum est prudentia.
Rarum decus mulieribus taciturnitas.
Sapientem facit insipientem temulentia.
Audiri praestat quam loqui adolescentulum.
Praesente vi, lex robur amittit suum.
Sine arte diligentia est labor irritus.
Doctrina sordet in ingenio et animo malo.
Dives malus mediis in opibus est miser.
Vivusque mortuusque plectitur malus.
Praecox sapientia in puero monstrosum est minax.
Bonum est senescere, itemque non senescere.

Mulierum opes ac magna dos pudicitia.
Dementiam simulare, saepe sapientis est.
Efferre mulierem est melius quam ducere.
Quod est satis, prodest: quod super, officit.
Homo non feres, quod in hominem cadere potest?
Nocere quod potest, licet carum, abiice.
Non ferre mortem mutuum est non reddere.
Quamcunque vixeris, lucro apponito diem.
Oratio index animi cogitantis est.
Fidis amicis mentis arcana explica.
Medico fideli trade curam corporis.
Ovum simile ut ovo est, mulieri ita mulier.
Odiosus est servus, qui herum anteit sapientia.
Praecox voluptas multa parturit mala.
Virtus adaequat clara summis infimos.
Virtus refulget corpore in pulcherrimo.
Nunquam scelesta molliuntur pectora.
Minus sapit, quisquis sibi placet nimis.
In foemina invenire difficile est fidem.
Immane corpus est, sed absque corde, plebs.
Affecti animi medicina gravis oratio.
Vis magna legis, iudicem si habet bonum.
Neglexeris si parva, perdas maxima.
Fortuna adest, sterte ac reformida nihil.
Praesente fortuna, vel obruere mari.
Vitam regit fortuna, non sapientia.
Sequitur voluptatem facile infortunium.
Negotium ne exhibe amico, quantum potes.
Quamvis pusillum hostem aut reconcilia, aut doma.
Nequam muliere nulla saevior fera.
Si recta feceris, comitem habebis Deum.
Gravis aegritudo suspicio est mortalibus.
Ignobiles inopia plurimos facit.
Ut comparantur opes, ita expendi solent.
Dos insolentiam parit mulieribus.
Commercium hospitalitas pulcherrimum.
Quod cogitas, nemo: quod facis, omnes vident.

Calumnia et mendacium vitam necant.
Quemque impium ac trucem ultio manet sua.
Iniuria animum, corpus ensis sauciat.
De te cuiquam ne credideris plus quam tibi.
Ab omnibus si discrepas, nulli places.
Medicus loquax aegro aegritudo tristior.
Fit arte mite, quicquid est ortum rude.
Quod Musae dant viaticum, auferri nequit.
Quum dona inops dat diviti, dignus odio est.
Longe ante meditatum malum levius venit.
Fit sponte similis somnolentus mortuo.
Curas voluptas temperet honesta graves.
Iners inopia inopem facit miserrimum.
Quis prorsus arrogantum cavit crimina?
Pati tyranni assuescito licentiam.
Flectuntur auro vel Plutonis pectora.
Si cum improbis versabere, quidni es improbus?
Ars portus infortunii est mortalibus.
Easdem puta aerumnas amicorum ac tuas.
Possessio nulla est quam amici firmior.
Saepe uxor odit, maxime quae vir cupit.
Nihil ab irato fortiter fieri potest.
Homo imperitus nil prorsus videt videns.
Nil sanctius quam inter malos bene vivere.
Tegit omnia tempus, omnia itemque detegit.
Sermo omnibus, sapientia at paucis datur.
Benefacere bono, semper est bono lucrum.
Firmum nihil mortalibus statuit Deus.
Iucundum amico amicus est spectaculum.
Homo imperitus non homo est, sed imago hominis.
Peccare pergis avare, dum deos vocas.
Vel dic silentio meliora, vel tace.
Qui mutuum reddit cito, facile invenit.
Ea stude facere iuvenis, quae probes senex.
Non instruere rudem invidia aut inscitia est.
Desis ne amicis, item et amicis utere.
Devincit animos munus, et molles facit.

Cum nullo convenit, qui a sese dissidet.
In corpore infirmo vigere mens solet.
Sint acta transacta, et futuris consule,
Quod suspicare malum, illico a te pellito,
Omni vacet culpa, quod effers laudibus.
Monere amicum perge, quamvis abnuat.
Virtute quaere laudem, non versutia.
Ne tu ea facito, quae in aliis minus probaveris.
Inopi ac probo viro haud satis prodest pudor.
Ter miser es, uxorem si egenus duxeris.
De uxore ita age, ut filii bene audiant.
Quod ferre vires non queunt, ne onus subi.
Mulierum ocelli pharetra, lachrymae tela sunt.
Feras timebis, at homines multo magis.
Tranquillitas ubi adest, procellas prospice.
Si corrigas, peccasse saepe profuit.
Tristes taciturnos vita, ut alta flumina.
Sis comis hospiti, abeunti non sis morae.
Ad vultum heri se comparat servus bonus.
Nil maius in rebus homine est, si mens adest.
Cuius pudendum sit, ne cogita quidem.
Oculis voluptatis ministris impera,
Ne te opprimat dolor, omnia tempus corrigit,
Ultro boni ad bonorum eunt convivia.
Quum coeperis bene, bene item peregeris.
Nil iureiurando aequitati inimicius.
Invidiam amici, et consilium inimici cave.
Ita aurum homines, ut implicant laquei alites.
Quam solvit aevum, habenda num felicitas?
Parabile est, natura quod desiderat.
Felicitas sub rege degere optimo est.
Qui corpori studet nimis, negligit animum.
Egestas certissima comes est inertiae.
Incuria est opulentiae dulcis soror.
Habet qui amicos, non qui opes, is dives est.
Durum cor est, ut polypum tunde flagris.
Compone mentem, ne ira consilium abigat.

Virtus quum habetur, sola possidentis est.
Lethale mulsum scorta sunt, fuge, si sapis.
Absentem amicum haud aliter ac praesentem ama.
Matris loco novercam habento filii.
Exerce semper te, ut, quum opus fuerit, queas.
Adesto amico, ubi res vocarit, illico.
Lethale sibi ipsis robur insipientibus.
Laboris haud pigeat, si honestus est labor.
Perquire meliora, ac retine praesentia.
Mori beate una edocet virtus viros.
Labore corpus, discendo animum exerceas.
Ad usque mortem haud deserit virtus virum.
Est ingenui, amorem aut odium in fronte gerere.
Constantem amico amicum amicum fac tibi.
Furentem amicum fer, sedatum corrige.
Felix, qui noxae expers adit lethi fores.
Imitare facta, quorum amaris gloriam.
Non fruitur haeres tertius turpi lucro.
Tunc maxime audendum, asperae cum res premunt.
Paliurus idem et pluma thorus est mortuo.
Divinus animus morte non corrumpitur.
Sit muneri sua gratia, sua sit venus.
Lethale telum in se retorquet invidia.
Brevis gravisque esto, quum amicum corrigis.
Convivia honesta adi, animum oblectans tuum.
Non bis datur pubescere, fruere tempore.
Aetatis est flos somnium brevissimum.
Si cesseris, dum viceris, bis viceris.
Non omnibus laeto imbre Iuppiter pluit.
Rerum omnium est sua satietas mortalibus.
Turpis vita est morte gravior mortalibus.
Conare concordare regis moribus.
Mores latentes tempus educit foras.
Meditare, ubi incipis pericula, et cave.
Bene facientibus Deus favet bonus.
Qui consulit, ne nocte tota dormiat.
Persaepe vincit consilium armatas manus.

Primo malo ni occurras, te plura obruent.
Medicos honora, saepe illis indiges.
Manum cadenti da, viam monstra libens.
Venerare canos, cedeque senioribus.
Cave laborem praemio fraudes suo.
Eadem omnibus mens, pauperiem excludit foras.
Vitiositas est hominibus infelicitas.
Carendum erit virtute, vel pecunia.
Fide ne opibus, quas una nox quit perdere.
Quod esse quit, nunquam id fore haud sponde tibi.
Quamcunque sortem dii dedere, hanc perferas.
Mortalis omnia esse quis sapiens potest?
Vivamus, et futura sint curae deis.
Vivamus hilares, fata dum vitam ferunt.
Pergrave licet, leve fit, quod animus agit libens.
Este Argus erga virgines natas parens.
Ne iura naturae in Venere transcendito.
Moechando teque filiosque polluis.
Pudor heu periit, et regnat impudentia.
Ut quisque loquitur ore, ita audit auribus.
Si, ut das, ita accipis, quid improbe quereris?
Bene institutum ut pulchra harmonia est auribus.
Audire nil est surdius nolentibus.
Turpia malorum verba venti differunt.
Peccare ne permitte filio parens.
Non omnibus placere in omnibus potes.
Ne solve hominem, tanta arte quem fecit Deus.
Heu quae invidia terram invidere mortuo!
Nefas retegere, quos parens terra occulit.
Idem orcus est et pauperi et praediviti.
Mortalibus communia sunt mortalia.
Multo quam ferrum lingua atrocius ferit.
Sunt pulchra diis et hominibus gratissima.
Honesta fama tolerabilem inopiam facit.
Non ambulatrix admodum mulier placet.
Populum, ignem, aquam cohibere difficillimum est.
Quantum potes, fias similis ipse tibi.

Dum non miser sis, omnia facere expedit.
Aurum malorum dux, idem vitam necat.
Optabile ac certum malum est aurum omnibus.
Non arduum est amicum amicum fallere.
Affabilis vel hostibus bili impera.
Ne esto ad manum praeceps, sed iram comprime.
Persaepe nolens ira funus efficit.
Malam ne inure criminis cuiquam notam.
Ne in rebus animum turbidis fors deprimat.
Natura cuique sua arma tradidit parens.
Ex proprio contende semper vivere.
Nullum sine labore fit opus a mortalibus.
Medicina corporis animae est puritas.
Qui scire cuncta se putat, parum sapit.
Stultorum aures verba sapientum non ferunt.
Risus solutus index dementis animi est.
Homo imperitus detur haud iudex mihi.
Quum iusto poscis, Herculem ne hostem time.
Quin perditum ducis, semel quod perditum est?
Sede ne ad ignem iners cor exedens tuum.
Argentum et aurum maximae insidiae hominibus.
Uterque fur est, et qui excipit, et qui rapit.
Interim hominem est necesse rapto vivere.
Velis modo navigare, spatiosum est mare.
Serius, ocius, necesse cunctis est mori.
Quanquam melior est causa inopis, iacet tamen.
Domesticorum inimicitiae gravissimae.
Tacere ni obsit, aut loqui prosit, tace.
Bonum minime bonum est, modum si excesserit.
Vitae magister est speculum prudentibus.
Quum gratia exigitur, beneficium perit.
Iniuriae vir fortis obliviscitur.
Ut anchora navem, ita stabilit regnum aequitas.
Ne defueris amico ad usque aram optimo.
Saepe est finis convicii infortunium.
Sapiunt tyranni congressu sapientium.
In se redundat ira saepe acerbitas.

Si demis ex voluptate, es ditissimus.
Saepe in furorem vertitur tolerantia.
Neque omnia, neque omnibus, neque omni tempore.
Dies bene acta aevi instar est longissimi.
Pulcrum minime pulcrum est, quum non pulcre egeris.
Cui plus licet, quam par est, plus vult, quam licet.
Sint rara, delectare quae apprime velis,
Pendere de spe merces est gravissima,
Prae quod amarum est animo, dulce est brevissimum.
Pusilli hominem cordis ultio arguit.
Omni harmonia vox est amici dulcior.
Qui plurimum prodest obestque homini, est homo.
Nulla aspis aeque atque ambitio animum necat.
Frustra sapiens sapit, ipse sibi si non sapit.
Cave aggredi, quae perficere vires negant.
Fora varia stultum, ratio prudentem regit.
Mensura eadem aut pleniori reddito.
Sapientis est multa et praeclara dicere.
Amittes maxima, minima si contempseris.
Semper potentes in pedes recti cadunt.
Placant deos dona, at homines devinciunt.
Infesta crede ut tela munera hostium.
Non unquam quisquam quicquam quam se amat magis.
Persaepe egestas ducit ad sapientiam.
Armatur sero galea saucium caput.
Vel Herculi fuga est honesta tempore.
Repente factum divitem iniustum puta.
Quod aequo plus intenditur, disrumpitur.
Fortunam ut ars, fortuna item artem sublevat.
Rarissimum est homo dives atque idem bonus.
Ne laede quenquam, nam ira senescit tardius.
Hi vera dicunt, ebrii, fatui, pueri.
Parsone parcis, ut fruare mortuus?
Ut perfruare dulci, amari aliquid feras.
Invisa saepe vita, quibus fors invidet.
Virtute fultus, vel ruat caelum, haud time.
Odiosa res hominem ebrium sobria loqui.

Quae tanta virtus iuverit recondita?
Ex consilio bono bonum opus nascitur.
Vita malos, ni vis malus quoque fieri.
Quis, qualis est homo, statim honores indicant.
Oratione hominem aestima, non pallio.
Oratio vitae simulacrum continet.
Quum lingua aberrat, vera semper nunciat.
Quum extollimus aliena, nostra minus placent.
Non fers apes, non mel profecto linxeris.
Dominam tibi parabis, senex si nupseris.
Quisque in malo alieno, in suo nemo sapit.
Non pollicere, quod praestare non queas.
Non gratia ad peccandum te ulla flexerit.
Persaepe damnum pone succedit dolum.
Vitio careto, recta quisquis praecipis.
Contempta tempore saepe crescit gloria.
Frugalitas viaticum vitae optimum.
Non ipsa mors, sed aditus ad mortem est gravis.
Quae uni accidunt, posse accidere cuivis puta.
Felicitas mortalibus rarissima.
Condimentorum nihil est dulcius fame.
Sine mente cani aetati sunt opprobrio.
Sapiens is est, cui nihil improvisum accidit.
Fecisse gaude, quae fors invideat viro.
Plus scire quam loqui enitere, quisquis sapis.
Natura modica, libido in immensum cupit.
Aerumna nulla est, fortis quam non perferat.
Amicitia est brevissima inter dispares.
Incendium est amoris ira amantibus.
Quae sors fert, quam stultitia, laedunt minus.
Quae olet lucernam, ea olet papyrus optime.
Concordia inter coniuges suavissima.
Impune peccans omnium est miserrimus.
Cave in Deum aut verbo aut opere deliqueris.

FINIS.

IOSEPHI SCALIGERI

IUL. CAES. F.

IAMBI GNOMICI.

I.

SUPERSTITIO.

Postquam suborta criminum licentia
Labefecit almae Veritatis moenia;
Quae Numen ipsum condidit verbo suo:
Palam imperatus et receptus legibus
Augustus error, sanctaque ignorantia
Defensa paulatim impudentiae ausibus,
Usu tyranno nacta vim scientiae
Hominum supinas conscientias ligat
Vocum numellis, cassibus sophismatum.
Iniuriosa deinde pietas in Deum,
Quem metuit horrens et profanans quem colit:
Tum, quae imperitis sola velamenta sunt,
Falsi vetustas, atque culpae auctoritas,
Lenocinantur mentis aegrae somniis,
Et iam labante pariete inclinant magis,
Stultae Suadae splendide fallax amor,
Vanis in animis qui cuniculos agit,
Ut Veritatis subruat constantiam,
Tum fortuiti ficta maiestas sacri,
Fraudi colorem castimoniae illinunt.
Est semper aliquid, quod refert mendacii
In claritatem dubia stultorum fides.

II.

AMOR MONACHATUS.

Si laudem in animo statuis esse maximam
Servire patriae publicisque commodis,
Sive in Senatu, sive in aula Principis
Te vita semper actuosa exercuit,
Domi beatum, gloriosum publice:
Persona, primum quam tibi imposiveris,
Ad ultimum usque perferatur exitum.
Nec in recessu solitudinis ferae
Actus honestos squallidis inertiae
Damna tenebris. Cur relinquens te foris,
Te rursus alibi quaeris? Hominum e coetibus
Exire ineptum est, antequam e vita exeas.

III.

DOCTUS IN AULA.

Cultor Camoenis debiti silentii,
Finxere pectus cui politum literae,
Venisti in aulam literatus arbiter
Negotiosae et inquietae inertiae.
O quale debes omnibus ludibrium
Asellus inter simias! Tune hic, ubi
Unum e tot hominum plebe vix hominem vides?
Ubi nil tui sit, nullus hic locus tibi est.

IV.

NOBILIS IMPERITUS.

Sunt discolores vestibus plebs, nobiles,
Sed concolores sunt utrique moribus.

V.

Amicus a te si quid exspectat boni,
Id omne debet expeti, non exprimi.
Extorta neminem obligavit gratia.
A non volente quod datur, non debeo.

VI.

Illiberalis indigentem quum videt,
Occasionem, cur nihil det, aucupat.
Quis tu es? quid es mi? proximus sum egomet mihi.

Hoc non habebo, quod dabo. Indigentiam
Contemnit alienam ille, qui suam timet.

VII.

Assuete pauper invidere diviti,
Cui semper eius ex bonis oculi dolent,
Contende captu cum tuo captum illius.
Habentiae eius tu aemulator, hic tuae est
Securitatis. Hic veretur perdere,
Tu vis habere. Cogita, quanto minor
Habuisse nunquam sit dolor, quam perdere.

VIII.

Avarus atque prodigus pecuniae
Sunt ambo egeni. Prodigus pecuniam
Mox non habebit, ast avarus nunquam habet.

IX.

Quascunque in arca condit aggestas opes
Avarus, aliis abstulit atque sibi.
Fraudavit alios, seque fraudat ultimum.

X.

Opum redundans rivus et superfluens
Licente luxu moribus frugi nocet.
Duris egestas cogit in rebus bonos
Parare famae non decora pristinae.
Viri beati vita castigata sit
Ut non egena, sic egenae proxima.

XI.

Stulta est cupido, quae dies longos sitit
Et plurimum aevi, plurimas vitas putat.
Non saepe vivere, at mori datum est semel.
Centum senectas mille seclis aggere,
Et mille vive Nestoras: dementia est
Putare, multas posse vitas vivere,
Aut vivere ullam praeter hanc, quam perdimus,
Aut perdere ullam praeter hanc, quam vivimus.

XII.

Formido mortis morte peior: non potes
Vitare mortem, sed potes contemnere.

IDEM TROCHAICIS.

Pallidae formido mortis ipsa morte peior est.
Non potes vitare mortem, sed potes contemnere.

XIII.

HENRICO RANZOVIO.

Nulla ergo flendi meta tam carum caput?
Nec ulla finis lacrimarum, nec pudor?
Sero parentem te fuisse cogitas.
Quem non habere sentiebare prius,
Amissione is carior factus tibi est.
Quodsi in dolorem nil amici possumus
Aut alloquendo, aut increpando: at aureus
Flos liberorum, qui superstes mortuo est,
Quotidianam demat aegrimoniam.
Gnatos ademptos qui nimis desiderat,
Iniuriosus in relictos est pater.

XIV.

Quae non relinquunt corporis vestigia,
Non quae otiosos culcitae absorbent, ama,
Quos anserina molliter sub stragulis
Medulla condit in sepulchro plumeo.
Tun', militanti cui parabilem torum
Humus ministret atque cervical silex:
Quem sustinere sub Iove ac sub pellibus
Palude caesa, vel maniplo caricis,
Caput recline coget armorum labor,
Pulvilla laxa, molle tomentum premis
Durae palaestrae dedicatis artubus?
Labor tibi se vindicat, non otium.
Structura lecti est stramen atque culcita.
Haec partiantur otium; et labos sibi
Sit hoc laboris; illa cedat otio.

XV.

Marcore segnes atque omasi sarcina
Castigat artus regula et frugalitas.
Male tussientis corticem corpusculi
Diaeta inundat viriumque conscius

Victus tuetur. Vitae inoffensus tenor
Integra membra ducit ad calcem ultimam;
Si nil iuventa stulta conscivit sibi,
Effoeta membra cur senectae traderet.
Quare lacessis questibus caelum tuis,
Quod dubia et anceps fluctuat salus tibi;
Quum sanitatis quisque sit faber suae?

XVI.

Humana vita est alea, in qua vincere
Tam fortuitum, quam necesse perdere.

XVII.

Si cogere ullis interesse coetibus,
Quos insolenti diffluentes otio
Vel rixa, vel vis calida commisit meri
Tumultuosos, vel iocosus garrulae
Dicacitatis solvit in risum lepos;
Tantisper haec dum detumescunt frivola,
Praecepta apud te refricans memor mea
In mente blandum quaere secessum tua.
Potens sui mens, quaeque se nunquam fugit,
In plebe media dulce secretum invenit.

XVIII.

SOPHISTA IN CONVIVIO.

Quo te ambulando cunque vertis gentium,
Vitare non est disputatorum genus,
Pugnax, protervum, fastuosum, garrulum,
Quos pacis hostes ultima haec aetas tulit,
Qui nocte lucem, nigra vertunt candidis,
Et quaestionum tristitate condiunt
Natas in usum sobrii risus dapes.
Hos nec decorum est, nec tuum refellere.
Tali hoste victo quis triumphus te manet?
Luctante eodem pugna gliscit acrior.
Nec dignitatem fronte ferrea pudor
Expressus auget; claritatem non dabit
Extorta rixis veritas. In iurgiis
Vicisse nolle, quum queas, victoria est.

XIX.

Non te vetamus omnium per artium
Campos vagari, quatenus mentem tuam
Ad clariora praeparant, non occupant.
Una aucupanda sit tibi scientia
Vitae magistra, veritatis regula,
Quae fingit animos cultibus sapientiae.
Qui nescit illam, perperam scit caeteras.

XX.

Tibi mali omnes invident? at non boni.
Et nemini omnes, omnibus nemo invidet.

XXI.

Ne curiosus quaere causas omnium,
Quaecunque libris vis Prophetarum indidit
Afflata coelo, plena veraci Deo,
Nec opera sacri supparo silentii
Irrumpere aude, sed pudenter praeteri.
Nescire velle, quae magister maximus
Docere non vult, erudita inscitia est.

XXII.

Si te Tyrannus falsa adegerit loqui,
Nihil indecorum nec bono fac, nec viro.
Servilium si verberum intentat minas,
Si triste letum, gratulare tu tibi,
Quod te experiri dira per discrimina,
Quanti aestimares veritatem, contigit.
Constare parvo tanta res non debuit.
Poenarum acerba ridet audax, omnia
Pro veritate qui timet, pro se nihil.

XXIII.

Nos sciscitari, cur Catoni non datum,
Quam cur datum sit praemium, mavult Cato,
Sciscens ab omni parte virtutem unicum
Virtutis esse praemium, omne temnere
Paratus ultro, si offeratur. Maximum est
Ambire nolle, quum mereri sufficit.
Accipere nolle quam mereri maius est.

XXIV.

Oblatum honorem reiicis? considera,
Num fastus illud, rusticusve sit pudor.
Aufer cavillum. Comiter sic reiice,
Non quasi recusans praemium, sed differens.

XXV.

Natura ab omni comparatum est tempore,
Laudare quemvis ut libenter diligas,
Laudari ab illo velle te, quem diligis.

XXVI.

Quicquid benigne fecimus, perit, nisi id
Bonum admonentes, exprimentes a malo
Recipimus. Aurem grata non raro sibi
Velli voluntas patitur a malo exigi
Plus quam satis sit, ut feras, quantum sat est.

XXVII.

Non adficit me, si quid expressit rubor,
Nec qui pudore, sponte quod non vult, facit.
Sequi trahentem, cui reniti te piget,
Non est voluntas, frontis est infirmitas.

XXVIII.

Qui dat libenter, et statim, bis obligat:
Deliberator quod dat, hoc capit sibi:
Et qui moratur, est neganti proximus.

XXIX.

Si quae benigne amicus in te fecerit,
Sic gratum eorum te geras interpretem,
Ut dignus aliis, ista dum accipis, fuas.

XXX.

Est, quem rogare vetuit infirmus pudor:
Est, quem rogare compulit necessitas.
Quid huic, quid illi facere te munem addecet?
Explendus ille est, huic eundum est obviam.
Veta hunc rubere, precibus illius fave.
In promerenda gratia primus gradus
Est, occupare vota; proximus sequi.

XXXI.

Hic nempe voti finis, ultra iugera
Fundi paterni summovere limitem.
Sic multa habendo, nil habes, nec interest,
Quam maximum sit, quod tibi est pauxillulum;
Qui sic egendo possidere te putes.
Namque empturire, opinio indigentiae est:
Et esse emacem, se fateri pauperem.
Fabullus amplis latifundiis Lycum,
Nummis Fabullum foenerator Bracara,
Et hunc et illum pisculentis provocat
Stagnis Alauda. Quantum habes, omnis cupit
Habere, sed tu non habes, quantum cupis.

XXXII.

Caput tenebris exerentes literas,
Quas longa curis excolit sensim dies,
Repente dirus mortis et sophistices
Fugabit aestus non reversuras statim.
Morbi ingruentis est medela segnior,
Quam morbus. Aevo crescit occulto nemus:
Puncto, sequacis ignis afflatu perit.
Vigore lento nostra crescunt corpora;
Statim labascunt. Tarda virtutum augmina
Cito opprimuntur, non reviviscunt cito.

XXXIII.

Qui grammatistas spiritu difflas tuo,
Et summovere fascibus linguae soles
Criticos clientes literarum inertium:
Cur dignitatis ordinisque negligens
Tui, libellos Grammatistarum legis,
Sophiae medulla, docta Naturae schola,
Culti Platonis educatus in sinu?
Ergo libelli, quos teris, te iudice,
Sunt aliquid, a te quum legantur, et magis
Te confitente, quam volente, sunt boni.
Doctrina magna est, quae placet nolentibus.

XXXIV.

Philologomastix et sophista barbarus,

Sed iste nullis, ille paucis literis,
Hic veritatis osor, ille iurgii
Captator, in nos tela distringunt sua,
Et nostra dictis scripta discerpunt malis.
Sed nos lacessunt plumbeis mucronibus.
Sophista, et is, quem praenotavi, sunt duo
Pari furore, dispari genio canes.
Latrare mos hunc cogit, at feritas eum.

XXXV.

Famae beatus qui supervixit suae,
Illisque meruit interesse laudibus,
Quas vita non dat, funus ac cinis dareut.
Bonis liceret, si liceret per malos,
Vivis negata gloria vivis frui.
Sed si bonorum iudicia de me mei
Tardavit aevi livor ae malignitas,
Meam loquentes gloriam nepotibus.
Horum furorem non tacebunt posteri.

XXXVI.

Quaecunque et artes moliuntur, et parit
Natura, mors haec vindicat. Stant, ut ruant:
Vivunt, ut obeant. Ultimo discrimini
Servatur orbis. Omnia in mundum cadunt,
Casurum et ipsum, non habentem quo cadat.

XXXVII.

Omnis cupido laudis, omnis ambitus
Pruritus animi est febrientis. Gloriae
Contemptor animus maior omni gloria est.

XXXVIII.

Quaecunque luxus artifex superflua
Excogitavit esui atque indutui;
Quae nauta avarus, prodigus vitae suae,
Procul petivit longa per discrimina,
Vitae parantur omnia, et vitam atterunt.

XXXIX.

Conviva fige potui primum modum,

Quod est necesse; proximum, quod est satis.
Nil sat bibaci est, sobrio nil est parum.

XL.

Morum malorum pestilentus spiritus
Sive adflat, aufert; sive stringit, inficit.
Ne forte te ullis allinat contagiis
Pruritus aliquis, tale contubernium
Vitare propera. Namque si mores malos
Non oderimus, non amabimus bonos.

XLI.

Commune patrum crimen indulgentia est,
Vultu paternae caritatis se offerens.
Gnati nepotis non coërcere impetus,
Et in ruinam subministrare omnia,
Affabile odium est, et repens crudelitas.

XLII.

Statim obligatur, qui facit digno bene.
Quicquid merenti das mihi, imputo tibi.

XLIII.

Aedilitatis expeditus ambitu
In Consulatus fascibus votum impedit.
Omnem relegisti Idibus pecuniam,
Quaeris Calendis occupare foenori.
Ab ictu amoris molle declinans latus
Scorto impudico totus in plagam pates.
Crimen fugasti, victor ultra non times.
Instaurat ecce proelium cupidinum
Aestus rebellans, et refectis viribus
In te imparatum signa cominus movet.
Non sat domatur: est triumphandum scelus.
Laus una subigi est; altera imponi iugum.
Te vitia vincent, tota si non viceris.

XLIV.

Qui gloriaris esse dominus civium,
Servire servis quomodo potes tuis,
Qui tot tyrannos, quot satellites habes?
Servire servis dicitur Princeps suis,

Quod agere per se debuit, per hos agens,
Per hos vicarie audiens, per hos loquens.
Auctoritatis servus immodicae, nota est
Auctoritatem non habentis Principis.

XLV.

Amor obsequentum et imperantis dignitas
Regni potentis prima sunt munimina.
Severitate caritas amittitur;
Sed obsolescit comitate auctoritas.
Horum duorum constet ut salus tibi,
Hoc temperamen est tenendum, ut ne velis
Nimis severus esse, nec comis nimis.
Id dignitatem est, hoc amorem perdere.

XLVI.

A plebe amari, non timeri Rex stude.
Timor magister infidelis obsequii est,
Et caritatis imbecillum vinculum
Timor facessat. Principis mores boni
Possunt idem praestare, quod vis imperii.
Multum imperando, plus amando Rex potest.

XLVII.

Fortasse cives peius angue Principem
Odisse possint, is licet non oderit.
At ipse amari non potest, si non amat.

XLVIII.

Princeps colendus hactenus sit, quatenus
Tibi licere et expedire scis ei.
Homo secundus a Deo, acceptum ferens
Deo, quod ipse est, unico minor Deo.

XLIX.

Bona instituta non boni odi Principis,
Non quod bona acta, sed quod auctor displicet.
Laudanda Reges saepe fecerunt mali.
Laudare Regem non potes, nisi bonum.

L.

Princeps tributis atque functionibus
Regni tuetur publicas opes sui,

Bellum administrat, hosticas frangit minas.
Vectigal omne, et quidquid infertur, bonum est
Commune cunctis; singulis iniuria.

LI.

Terrae tyrannus Septimaniae arduas
Evertit aedes incolarum Circius.
Sed aestuosa pestilenti sideris
Idem salubri damna differt spiritu:
Et quos habebat languor, uno temporis
Damnum et salutem consequuntur impetu.*
Princeps tributi nomine unctas civium
Delibat, idem praestat et tutas opes.

LII.

Sit dux peritus ordines disponere:
Diurna castra muniis distinguere:
Nocturna vallo cingere et custodia:
Cui fors sit anceps, certa virtus, qui capit
Occasiones, quique differt impetus.
Pedes sui sit factus ad iussus ducis,
Frequens adire signa, raro excurrere,
Raro experiri fortuita proelia,
Sed se sub ipsis continere sedibus.
Eques parare sit celer victoriam
Vel tardus ita sit cedere, ut constantia
Cunctatio sit, et metus velocitas.
Praestent utrique mutuas vices sibi,
Dux copiarum, copiae decus ducis.
Sed disciplinae militaris gloria est,
Quando duci plus fiditur, quam copiis.

LIII.

Qui cernere aequo Marte detrectaverat,
Ignaviane, consciusne virium
Angusta rumpens factus est audentior?
Cui per phalanges expedivit exitum
Irata virtus, hic tremendus maxime est,
Quum fecit animos arcta desperatio.

Ad moliendum maximae efficacior
Necessitatis norma, quam virtutis est.

LIV.

Plures in urbe si boni sint, quam mali,
Hominum, quibuscum transigas aevum tuum,
Fastidiosa debet esse eiectio.
Quod si boni sint rariores, quam mali,
Frustra eliguntur. Pro optimo est minus malus.

LV.

Prudens futuri et imminens periculis
Momenta lubrica et volubiles vices
Fortunae inanis pertinere ad se negat:
Et omne, quo plebs semper amisso dolet,
Id commodatum credit et precarium:
Suamque reddit rem reposcenti Deo,
Nil tergiversans. Qui potestatem sui
Non fecit ullis casibus, casus potest
Ridere tuto. Sunt enim discrimina
Animis ad omne praeparatis irrita,
Securitati saeva. Quod fieri potest,
Spera futurum. Nil repentinum ingruet,
Si, quidquid alias, posse nunc fieri putes.
Adversa rerum nil mali exspectantibus
Novitate quam vi saepius nocent sua.
Sese instruenti ad cuncta, si non omnia,
Ut voluit, ast ut cogitavit, accidunt.

LVI.

Pars est futuri magna supplicii timor.
Mens curiose credula in poenas suas
Sensum antevertens obviam it damno suo,
Malum imminente maius intentans sibi.
Bene praeparatus rebus adversis homo,
Quidquid futurum praestolatur, excipit.

LVII.

Periculosa est omnis excedens modum
Apud tyrannum par tyranno gratia.
Terret sequaces aulicorum spes canum

Formidolosus Caprearum carceri
Seianus olim plebi adoratum caput.
Ascendere alta est arduum, unde postea
Cogaris ante cadere, quam descendere.

LVIII.

Rex, cui relicta vidua, cui suas preces
Pupillus offert, vita adulantes canes,
Feros in omnes, cicures uni tibi.
Cui pro maligno est parce adulans, hostis est,
Qui vera loquitur, ius ad omne is surdus est;
Et blandientum, non suas aures habet.

LIX.

Quam turpe fieri spoliat aulam civium,
Si, quantum in usus publicos est conditum,
In aulicorum vulturum voragines
Famemque inexpletam omne fusum exhaurias.
Larga est in omnes liberalitas Dei.
Coelo pluente; iugerum vicinia
Rigatur omnis, haud seges tantum mea.
Avara in omnes, inque paucos commoda,
Sinistra Regis est benignitas, opes
Si pluit in homines, non in humanum genus.

LX.

Sophistici astus irritum retunditur
Acumen in se replicatum. Quum acrius
Videtur agere, stringit, at non perforat.

LXI.

Maledictis si qui certat, audiat male.
Quam quis non praestat, ne exigat modestiam.

M. ANTONII MURETI
INSTITUTIO PUERILIS
AD
M. ANTONIUM FRATRIS F.

M. ANTONIUS MURETUS
M. ANTONIO FRATRIS F.

S. D.

Utinam tibi eveniant, fili, quae me adduxerunt, ut te statim post obitum patris tui, fratris mihi longe carissimi, ad me huc adduci, et in sinu ac complexu meo educari voluerim. Volui autem illud praecipue, ut, quando florentissimum regnum, in quo uterque nati sumus, Deo iustas poenas eorum, quae a nobis peccata sunt, exigente, saevis iam pridem tempestatibus agitatur, tu in hanc Christianae religionis metropolin, tanquam in tutissimum portum, subductus, vera pietate adhuc tener imbuare, et iis moribus assuefias, qui Christianum hominem decent. Cupio equidem et alia tibi contingere, quibus vita et tranquillior et honoratior redditur: sed id quod dixi primum mihi ac praecipuum votum est; cetera sunt quaedam quasi appendices et accessiones. Ut igitur voti compos fiam, debeo quidem id quotidianis precibus, ut facio, a Deo petere: neque tamen interea cessare, sed omnia studiose facere ac procurare, quibus te meliorem et virtutis amantiorem posse fieri putem. Ea me caussa impulit, ut praecepta quaedam ad formandos mores pertinentia versibus quam potui maxime ad aetatis tuae captum accommodatis concluserim; quae legens, et in primis litterarum rudimentis exerceare, et paullatim discas, quae tibi in omni vita servanda sint. Accipe hoc primum a me munusculum, fili, et, ut eo te dignum praestes, pro virium tuarum modulo iam nunc operam dato.

Romae Kal. Ianuar. MDLXXVIII.

Dum tener es, Murete, avidis haec auribus hauri,
Nec memori modo conde animo, sed et exprime factis.

Inprimis venerare Deum, venerare parentes:
Et quos ipsa loco tibi dat natura parentum.

Mentiri noli, nunquam mendacia prosunt.
Si quid peccaris, venia est tibi prompta fatenti.

Disce libens: quid dulcius est quam discere multa?
Discentem comitantur opes, comitantur honores.

Si quis te obiurget, male cum quid feceris, illi
Gratiam habe, et ne iterum queat obiurgare, caveto.

Ne temere hunc credas, tibi qui blanditur, amicum:
Peccantem puerum quisquis non corrigit, odit.

Qui semel incautum blando sermone fefellit,
Ille idem, dabitur quoties occasio, fallet.

Nec cuivis sapiens, nec nulli credere debet.
Fallitur alter saepe, fidem sibi detrahit alter.

Si quid forte mali aut facias, aut mente volutes,
Ut lateas homines, certe Deus omnia cernet.

Non nisi spectatis arcana sodalibus effer:
Quodque tacere voles alios, prior ipse taceto.

Nil cupide specta, nisi quod fecisse decorum est:
Turpia corrumpunt teneras spectacula mentes.

Averte impuris procul a sermonibus aures:
Et qui illis gaudent, horum consortia vita.

Principio studii radix inamoena videtur,
Sed profert dulces parvo post tempore fructus.

Ludo indulsisti? subito evolat illa voluptas.
Legisti? utilitas studio percepta manebit.

Ut moderata quies prodest viresque ministrat:
Sic hebetat corpus nimia ingeniumque retundit.

Si prodesse aliis studeas, tibi proderis ipsi.
At nisi ames alios, et te quoque nullus amabit.

Successus faustos nunquam admirare malorum:
Sera licet, tamen olim illos sua poena sequetur.

Si tibi grata quies, iuvenis ne parce labori:
Dux ad honoratam est homini labor ipse quietem.

Inspice te in speculo: et bona seu tibi forma videtur,
Moribus obscoenis illam foedare caveto:
Seu tibi subtraxit vultus natura decorem,
Ingenio ut formae compenses damna, labora.

Nil facito, quod turpe putes fecisse videri,
Et cura, ut multis tibi sis pro testibus ipse.

Ut nos pauca loqui, plura autem audire moneret,
Linguam unam natura, duas dedit omnibus aures.

Quae servare voles, ne crebro invisere parce;
Nam minus furem metuunt, quae saepe videntur.

Blanditur primo, sed perdit inertia famam:
Aspera res primo est, sed fert industria laudem.

Aut vinum ne tange, aut multa prolue lympha.
Cum vino indulges, igni puer adiicis ignem.

Fac tibi sit vultus comis, sermoque modestus:
Sic multos facile tibi conciliabis amicos.

Pauperiem ne cui misero exprobraveris unquam:
Cuius munus opes, eiusdem est munus egestas.

Semper opum studio praefer virtutis amorem:
Non opibus virtus, sed opes virtute parantur.

Disce, et quae discis, memori sub pectore conde,
Aut facies tantundem, ac si cribro hauseris undam.

Dulcia sint quamvis, nunquam tamen appete, quae sunt
Aut damnum allatura, aut incussura pudorem.

Irasci noli temere, nil foedius ira:
Quam quaecunque movere solent, ea temnere laus est.

Venti agitant celsis positas in montibus ornos,
A quibus in media tuta est arbuscula valle:

Sic et opes agitant maiora pericula magnas,
Tutior angustos comitatur vita penates.

Pauca loqui puero, sed tempestiva, decorum est:
Haec etenim ingenium res indicat (Num *indicat?*), illa pudorem.

Scire cupis, quae sit famae via certa parandae?
Talem te praesta, qualem te poscis haberi.

Verbera non metuet, metuet qui iussa magistri:
Haec qui contemnet, merito miser illa timebit.

Quam felix puer est, virtus in quo anteit annos!
Illum omnes meritis certatim laudibus ornant,
Et spectant cupide, et felicia cuncta precantur.
At contra nemo alloquio dignatur inertes.
Spernuntur cunctis, et vulgi fabula fiunt:
Vix oculis pater ipse illos satis aspicit aequis.

Non tantum in praesens obsunt peccata: sed hoc plus,
Ad mala quod proclivem animum assuetudine reddunt.

Quae bona sunt, sectare, etiamsi dura videntur
Principio: longus paullatim ea molliet usus.

Acceptum beneficium memora atque extolle, sed abs te
Collatum extenua, et potius sine praedicet alter.

Utilitas quoties pugnare videtur honesto,
Ne dubitare quidem fas est, quin vincat honestas.

Sub laceris crebro virtus latet aurea pannis,
Cum stolidas aurum pecudes et purpura velet.

Nil laudis caussa facito: et tamen omnia, laudem
Quae tibi conciliare queunt, ea sedulus urge.

Divitias nec amare nimis, nec spernere debes:
Quanquam enim nequeunt facere ac praestare beatum,
Magna tamen vitae sunt instrumenta gerendae.

Fac contentus eo, quod contigit, usque fruaris:
Sic tamen, ut nunquam meliora requirere parcas.

Quam sint cuncta hominum varia atque incerta, notato:
Ne te unquam aut adversa premant, aut prospera tollant.
Pauca quidem haec, sed quae studio servata perenni
Mirificos fructus progressu temporis edent.
Adspiret tantum coeptis Deus: omnia cuius
Consilio aeterno et certa ratione reguntur.
Quem tu et luce puer prima, cum strata relinquis
Impiger, et dulcem repetis cum vespere somnum,
Supplicibus facito places ante omnia votis.
Ille tibi ingeniumque sagax, corpusque salubre,
Et multo meliora dabit. Diffidere noli:
Tu modo ad illius semper refer omnia laudem.

VARIORUM ET EDITORIS

ADNOTATIONES

IN

PUBLII SYRI ET ALIORUM

SENTENTIAS.

ADNOTATIONES
IN
PUBLII SYRI SENTENTIAS.

1. *A morte etc.*] Dupliciter hic versus intelligi potest. Primo (quemadmodum explicavit Ios. Scaliger. O.) ut is, qui Mimum hunc pronunciavit, gestu adiuverit et ostenderit verius sensum, quam dixerit. Sic illud: *Digitis a morte remotus quatuor aut septem.* Secundo sensus is esse potest, quem et (Pseudo-) Seneca eleganter alio modo expressit in libello de Remediis fortuitorum: *Undecunque ad inferos una via est.* [*Sartor.*] Quae posterior interpretatio omnino verior videtur. Sic enim et Cicero loquitur Tusc. 1. Cap. 43. *Praeclare Anaxagoras, qui cum Lampsaci moreretur, quaerentibus amicis, velletne Clazomenas in patriam, si quid accidisset, auferri: Nil necesse est, inquit; undique enim ad inferos tantundem viae est.* Graece (ap. Laert. Lib. II. §. 11.): *Πανταχόθεν ὁμοία ἐστὶν ἡ εἰς ᾅδου κατάβασις.* Quod dictum alii Arcesilao attribuunt, Teles ap. Stobaeum Serm. XXXVIII. pag. 233. Aristippo. Vide Davis. ad Cic. l. l. pag. 118. ed. Rath. Ceterum hanc sententiam, quae, quod sciam, in omnibus Codd. Mstis desideratur, omisso quidem Publii nomine, citavit Seneca Epist. XXX. circa finem his verbis:

Ab ipsa enim (scil. morte) *semper tantundem absumus.* *Tantundem* de aequali loci distantia legimus etiam apud Pomp. Melam III. 2. *Sequitur Galliae latus alterum, cuius ora primo nihil progressa in altum, mox tantundem pene in pelagus excedens, quantum retro in Hispania abscesserat — ad occidentem littus advertit.* [O.]

2. *Ab alio exspectes etc.*] Scaliger et Gruter. *Ab alio spectes.* Codd. nostri *Exspectes:* atque ita apud Senecam exstat Epist. XCIV. [*Bentlei.*] *Spectare* pro *exspectare* omnino dubiae est auctoritatis. Nam in duobus Ciceronis locis, quibus *spectes* fulciri possit, Somn. Scip. Cap. VI. *a quibus spectare gloriam certe nullam potestis*, et ad Att. Lib. II. Epist. III. *quod a me aiunt Caesarem sic spectare, ut non dubitet*, meliores Codd. et Editiones habent *exspectare.* Vide Forcellin. in Lexic. v. *Spectare* et van Staveren ad Hygin. Poet. Astron. Lib. I. Cap. VI. pag. 413. qui nube exemplorum docet, duo haec verba saepissime confundi in Codd. Mstis. Conf. Duker. ad Flor. II, 7. pag. 557. At magis placet *Ab alio speres*,

quod legimus in Inscriptione veteri Romae reperta apud Gruterum pag. 928.

VT. PERFERANTVR. SI. QVA. SVNT. AD. INFEROS
DATE. TERRAE. FRVCTVM. VT TERRA. POSSIT
REDDERE.
AB. ALIO. SPERES. ALTERO. QVOD. FECERIS.

Exspectes itaque vel *speres*, utrum malueris, tanquam verbum mediae significationis possis accipere vel in bonam partem vel in malam de metu, vel exspectatione malorum, ut ἐλπίζειν apud Graecos. Sic Virgilius Aen. IV. 419.

Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.

Conf. Munker. ad Hygin. l. l. In bonam partem interpretatur I. L. Schwarzius vertens: *Vom andern hoffe nur was du ihm that'st.* In malam autem Gruterus, comparans inter alia locum Ciceronis II. Tusc. Cap. XVIII. *Qui alteri exitium parat, eum scire oportet, sibi paratam pestem, ut participet parem*, et Senecae Tragici in Hercule fur. v. 735.

Quod quisque fecit, patitur: auctorem scelus
Repetit, suoque premitur exemplo nocens.

Etiam *altero quod feceris* pro *alteri* non prorsus repudiaverim. Sic enim (ut et *alterae* in casu tertio generis foem.) loqui amabant vetustiores, v. c. Ennius, Pacuvius, Plautus etc. Vide I. G. Laurenberg. in Antiquario v. *Alterae.* Sententiae sensus apertus et facilis. *Qualis fueris in alios, tales alii futuri sunt in te*, ut bene exponit Erasmus. [O.] Magis placet *speres.* [*Casp. Orell.*]

3. *Ab amante lacrymis etc.*] Sic Terentius in Eunucho I, 1. postquam recensuit minas amantis irati, subdit:

Haec verba mehercule una falsa lacrymula,
Quam oculos terendo misere vix vi expresserit,
Restinguet. [*Gruter.*]

redimas] Eleganter, i. e. placabis lacrymis tanquam pretio oblato. [*Tzschuck.*] *Redimas* Erasmus, Sartorius, Bentleius. Bene, ut sit i. q. *redimere possis.* Cod. Frising. *redimes*, sequente Grutero. [O.]

4. *Absentem laedit etc.*] Sens. *Mens enim ebrii non adest, cum qua loquendum est. Itaque perinde est, ac si non adesset ipse.* [*Erasm.*] Quod nunc *abesse*, id alio loco dicit, *extra corpus suum esse*, ut infra:

Homo extra corpus est suum, cum irascitur.

Eodem autem modo loquitur Cassiodorus III. Var. 46. *Similis viri absentis, qui conscientiam criminosi non habet.* [*Gruter.*] Similiter Terentius Eun. Act. 1. Scen. 2, 112.

Cum milite isto praesens, absens ut sies. [O.]

5. *Ad calamitatem etc.*] Erasmus cum Zwingero interpretatur: *Tristia facile sparguntur in vulgus: quae recta sunt et honesta, vix creduntur.* Et ego quoque id innui puto, vel ut infra:

In misero facile fit potens iniuria. [*Gruter.*]

Equidem posteriorem interpretationem probo, ut sensus sit: *Infortunato aut calamitate presso vel levis rumor nocet.* [O.]

6. *Ad poenitendum etc.*] Sensus: *Ne statim pronunties: nam praecipitati iudicii saepe poenitet.* [*Erasm.*] Sic infra:

Velox consilium sequitur poenitentia. [*Gruter.*]

Similiter et Phaedrus Lib. V. Fab. V. v. 8.

Pravo favore labi mortales solent
Et, pro iudicio dum stant erroris sui,
Ad poenitendum rebus manifestis agi. [*Tzschuck.*]

De nuptiis Graecus quidam dixit, quod mimus noster de propero iudicio:

Γαμεῖν ὁ μέλλων εἰς μετάνοιαν ἔρχεται. [*Scalig.*]

7. *Ad tristem partem etc.*] I. e. *Qui parum sunt felices, magis laborant suspicione.* Vel sic: *Suspicio plerumque vergit in partem deteriorem. Strenua* hic citam ac propensam significat. [*Erasm.*] Ità *strenuo saltu in vehicula transilire* Curtius dixit Lib. IX. Cap. 2. et *strenuum remedium* idem III. 6. *strenua mors* i. e. subita IX. 8. ubi vide Snakenburg. pag. 727. Sic *strenue facere* i. e. summa celeritate et ardenti animo perficere apud Iustin. 1, 6. [O.] Nil mirum. *Nam,* ut Zwingerus ait, *homo vergit in partem deteriorem; et quo quisque infelicior, eo magis suspiciosus.* Terentius talem describit in Eunuch. IV, 2.

Dum rus eo, coepi egomet mecum inter vias,
Ita ut fit, ubi quid in animo est molestiae,
Aliam rem ex alia cogitare, et ea omnia in
Peiorem partem.

Et in Adelph. IV, 3, 14.

Omnes, quibus res sunt minus secundae, magis sunt
nescio quomodo
Suspiciosi, ad contumeliam omnia accipiunt, magis
Propter suam impotentiam, se semper credunt negligi.

Hinc Seneca in Hercul. fur. v. 316.

Prona est timori semper in peius fides. [*Gruter.*]

Sic etiam Schwarzius intelligit vertens: *Streng ist der Argwohn aller Traurenden.* Mihi vero alius sententiae sensus videtur, vel: *Suspicio strenua* i. e. *propensa est omnia in tristiorem* i. e. *peiorem, sinisteriorem partem interpretari,* ut Weberus explicat vertens: *Der Argwohn allezeit Schleufst zu der ärgsten Seit.* Sic Appuleius in Apologia: *Nihil in rebus omnibus tam innoxium dices, quin id possit aliquid aliqua obesse: nec tam laetum, quin possit ad tristitudinem intelligi.* ubi vid. Pricaeus pag. 90. vel, quod magis placet: *Hominum suspicio premit tristes maxime* (i. e. infelices, infortunatos), *quasi maiora et atrociora meriti sint, quam quae fuerunt perpessi.* [O.]

8. *Adulter est etc.*] Sensus est: *Adulter est, qui uxorem nimis fervide aut impudice amat.* Explicationem habes apud Senecam de Const. Sap. Cap. VII. *Si quis cum uxore sua tanquam aliena concumbat, adulter erit, quamvis illa adultera non sit.* [*Tzschuck.*] Eadem facetia, sed alio modo, de Othone Imp. (apud Sueton. Oth. Cap. III.)

Uxoris moechus coeperat esse suae.

Nihil urbanius potest et hic et ibi dici. [*Scalig.*] Sic est Sextus vel Xystus Pythagoreus Sent. No. 222. — *Adulter est in suam uxorem omnis impudicus amator ardentior,* ubi vide quae observavimus in Opusc. Vet. Graec. sententios. Tom. 1. pag. 590. seq. Weberus vertit:

Der bricht die Eh' auch mit dem Weib,
Der mehr als recht liebt ihren Leib.

At in alia omnia abit Schwarzius in Obss. versioni suae Germanicae subiectis v. *adulter* subiectum faciens interpretationemque afferens minime contemnendam: *Adulter uxori suae acriorem* vel *ardentiorem amorem praestat* (vel potius simulat),

ut scil. illi tegat et obvelet amoris furtum, omnemque adulterii sui suspicionem ab ea amoveat.

Ein Ehebrecher liebt sein Weib am stärksten. [O.]

9. *Aegre reprendas etc.*] Citat hoc Lindenbrogius ad Ammian. p. 17. et Opsopoeus quoque habet, et videtur genuinum. Sic infra: *Consueta vitia ferimus, non reprehendimus.* [*Gruter.*] Edidit etiam e Codd. suis Bentleius et tanquam Publii allegat S. Hieronymus in Epistola ad Laet. Ceterum *reprendas* h. l. i. q. revoces, emendes, corrigas, ut ap. Cic. Academ. IV. 45. *Revocat virtus, vel potius reprehendit manu.* et in Orat. pro Domo ad Pontif. C. 33. *Ac si me populus Romanus incitatus iracundia aut invidia e civitate eiecisset, idemque postea, mea in rempublicam beneficia recordatus, se collegisset, temeritatem atque iniuriam suam restitutione mea reprehendisset.* Respondet Graecorum ἀναλαμβάνειν. Conf. Ernesti in Clav. Cic. v. *Reprehendere.* [O.]

10. *Aes debitorem leve etc.*] Ita malui, quam quod erat in aliis: *Aes debitorem leve gravem inimicum facit* (quemadmodum legisse videtur Ios. Scaliger vertens μέγαν ἐχθρὸν ποιεῖ), asserente priorem lectionem ipsomet Seneca Epist. XIX. item LXXXI. sub finem. [*Gruter.*] Nam, inquit idem Seneca de Benef. *Beneficia usque eo laeta sunt, donec exsolvi posse videantur; supra, odium pro gratia redditur.* Schwarzius non concoquens, quomodo dici possit aes alienum leve debitorem facere, non inimicum, cum debitum vel levissimum pauperem, qui solvendo non sit, opprimat, adeoque inimicum reddat creditori, acerbius illud reposcenti, putat, *aes alienum leve* Publium dixisse tale debitum, in quo reposcendo creditor indulgeat et parcat debitori. Opp. *grave*, quod rigidius exigat a creditore. Vertit itaque in Observationibus:

Drückst du den Schuldner nicht, so bleibt er Schuldner;
Fällst du ihm schwer, so wird ein Feind aus ihm.

Sed praetulerim equidem explicationem ipsius Senecae, quam bene sic reddidit Weberus:

Wenig lehn macht Schuld; Grofs Schuld Unhuld. [O.]

11. *Aetas cinaedum celat etc.*] Sic edidit Gruter. e coniectura Scaligeri, hoc sensu: *Cinaedus*, i. e. homo mollis, voluptarius et impudicus, licet aliquantum temporis (dum scil. corpus viget) celare possit sua flagitia, provectior tamen aetas, qua deficiunt vires, eum prodet vel indicabit. Talis fuit Nero, qui (teste Suetonio Cap. 26.) *petulantiam, libidinem, luxuriam, avaritiam, crudelitatem, sensim quidem primo et occulte, velut iuvenili errore exercuit, sed ut tum quoque dubium nemini foret, naturae illa vitia, non aetatis esse,* quem locum apposite citat Gruterus. Schwarzius vertit: *Das Alter birgt den Stutzer und verräth ihn.* Minus bene. Nam cinaedus, ut diximus, non est ὁ καλλωπιζόμενος, *scitulus pusio*, ut appellat Arnobius V. 31. sed homo impurus et flagitiosus. Antiqua Codd. Frisingensis etiam lectio erat:

Astute crines dum celantur, aetas indicatur.

Godofredus e Codice aliquo eruit:

Astuta canos, dum celantur, aetas indicat.

At mox corrigit ita:

Astu canos dum celant, aetas indicat.

Erasmus edidit: *Astute dum celatur, se aetas indicat.* ut sensus sit: *Aetas* (provectior scil.) *se indicat, quantum licet*

astute celetur, v. c. fucata facie et coma ascititia, ut solent vetulae nimis comtae. Ipse tamen in Notis ita corrigit, sequente Henr. Stephano:

Astu crimen celatur, aetas indicat.

quia tempus scil. aperit omnia. Bentleius non habet hanc sententiam. [O.]

12. *Aliena nobis etc.*] Sic ex Salviano de Gubern. Dei Lib. 1. p. 33. (29. ed. Brem.) ediderunt hunc versum Patavini et Bentleius. Codex autem Frising. Erasmus, Godofredus et Gruterus habent:

Alienum nobis, nostrum plus aliis placet. [O.]

Sensus est: *Suae quemque sortis poenitet: aliena miratur verbis duntaxat. Ceterum si ad rem ventum est, pauci velint cum aliis commutare.* [*Erasm.*] Similiter Terentius in Phorm. Act. Act. I. Sc. 3.

Ita plerique ingenio sumus omnes, nostri nosmet poenitet;

et Ovidius Lib. I. de arte am.

— capiunt animis plus aliena suis. [*Gruter.*]

Plus pro *magis* consulto posuit auctor, quia syllabas plures breves evitare volebat. [*Anton.*]

13. *Alienum aes etc.*] Retineo hic lectionem Scaligeri. Exprimit hunc Mimum vetus Graecus versus:

Τὰ δάνεια δούλους τοὺς ἐλευθέρους ποιεῖ.

MS. Frising. ita habet: *Alienum homini ingenuo acerba est servitus.* Godofred. et H. Stephan. *Aliena homini ingenuo acerba est servitus.* [*Sartor.*] Zwingerus p. 632. citat ita:

Acerba est omnis homini ingenuo servitus.

Rationem dat Salomon Proverb. XXII. 7. *Dives dominatur in paupere, et qui mutuo accipit, servus est eius, qui mutuo dedit.* [*Gruter.*]

acerba est] *est* omissum a Scaligero bene addit Bentleius. [O.]

14. *Alienum est omne, quicquid optando venit.*] Citatur a Seneca Epist. VIII. *Quantum disertissimorum versuum inter Mimos iacet! Quam multa Publii non ex calceatis, sed cothurnatis dicenda sunt! Unum eius versum, qui ad philosophiam pertinet, et ad hanc partem, quae modo fuit in manibus, referam, quo negat fortuita in nostro habenda:*

Alienum est omne, quicquid optando venit.

Hunc versum a te dici non paullo melius et adstrictius memini:

Non est tuum, fortuna quod fecit tuum. [*Sartor. et Bothe.*]

Nam *id, quod labore et studio paratur, vere tuum est; quod votis contingit, alienum est, nempe quod Fortuna possit eripere,* ut bene Erasmus et Zwinger. p. 324. [*Gruter.*] Weberus non male: *Nur Tugend und Künste sind dein,*
Das ander ist fremd und gemein.

venit pro *evenit* ex Seneca restituit Bentleius. Sic et Phaedrus Lib. II. Fab. II. *Maius ne veniat malum* pro *eveniat.* Vide, qui nubem exemplorum citat, Munker. ad Fulgent. Myth. III. 6. pag. 715. ed. Staver. [O.]

15. *Alterius damnum etc.*] Idem dicit quod infra v. 400. *Malum alienum ne feceris tuum gaudium.* [*Gruter.*]

16. *Amans iratus etc.*] Multa enim constituit in animo, quae non praestat postea. [*Erasm.*] Nam, ut recte infra v. 299.

In amore semper mendax iracundia est.

Quamobrem, ut v. 44.

Animo dolenti nihil oportet credere.

Egregie hanc in sententiam Propertius Lib. II. Eleg. V.

Non ita Carpathiae variant Aquilonibus undae,
Nec dubio nubes vertitur atra Noto,
Quam facile irati verbo mutantur amantes. [Gruter.]

Credula res amor est dixit et Ovidius Heroid. Epist. VI. 21. [*Accarias de Serionne*]

17. *Amans quid cupiat scit etc.*] I. e. *Amans sine iudicio cupit, nec expendit, salubre sit an perniciosum id, quod cupit.* [Erasm.] Idem Propertius II. El. XIV.

Scilicet, insano nemo in amore videt.

Et talem profecto describit Chaeream Terentius. [Gruter.] At dubito equidem, annon scripserit Publius *quid capiat non videt*, i. e. quid adipiscatur, num compos fiat cupiti. Sic etiam *capere* et *sapere* confusu infra v. 646. [O.]

18. *Amans quod suspicatur, vigilans somniat.*] Sens. *Qui amant, ipsi sibi somnia fingunt, et inani spe sibi blandiuntur.* [Erasm.] Sic cum aliis, metro etiam exigente, reposui (et ante Tzschuckium Bentleius. O.). Vitiose *somnit* apud Gruterum, etsi nihil monetur. Repetunt tamen Bipontini. [Tzschuck.] Antiquum fortassis credentes. Sed formam *somnio, ire* equidem in veterum Comicorum etc. Fragmentis frustra quaesivi. [O.] Optime Virgilius Eclog. VII. v. 108.

Credimus? an qui amant ipsi sibi somnia fingunt? [Gruter.]

19. *Amans ita ut fax etc*]. Sic Palatinae Membranae, longe melius quam Frisingenses, qui contra metrum ita habent:

Amans, sicut fax, agitando magis ardescit. [Gruter. et O.]

Cod. Frising. *sicut fax.* [O.]

20. *Amare et sapere vix Deo conceditur.*] Sens. *Non est eiusdem amare et sanae mentis esse.* [Erasm.] Frising. vitiose *vix a Deo conceditur.* [Sartor.] Horatius II. Serm. III. 266.

— — — — — — — — — — — — — *quae res*
Nec modum habet, neque consilium, ratione modoque
Tractari non vult. [Gruter.]

21. *Amare iuveni fructus est etc.*] Sens. *Amor voluptas est in iuvene, scelus in sene, non voluptas.* [Erasm.] Hinc Siracides XXV. 4. inter tria, quae odit, ponit *γέροντα μοιχὸν ἐλαττούμενον συνέσει.* (ubi vide Bretschneider. p. 373.) et proverbium est apud Graecos: *Γέρων ἐραστὴς ἐσχάτη κακὴ τύχη.* Egregie etiam Cicero de Offic. I. 34. *Luxuria cum omni aetati turpis, tum senectuti foedissima est: sin autem libidinum etiam intemperantia accesserit, duplex malum est, quod et ipsa senectus concipit dedecus, et facit adolescentium impudentiorem intemperantiam.* In eandem sententiam floridum est illud ex Antholog. Lib. VII. Epigr. 94.

Ἠράσθην. τίς δ᾽ οὐχὶ κεκώμακε; τίς δ᾽ ἀμύητος
Κώμων; ἀλλ᾽ ἐμάνην, ἐκ τίνος; οὐχὶ θεοῦ;
Ἐῤῥίφθω· πολιὴ γὰρ ἐπείγεται ἀντὶ μελαίνης
Θρὶξ, ἤδη συνετῆς ἄγγελος ἡλικίης.
Καὶ παίζειν ὅτε καιρὸς, ἐπαίξαμεν· ἡνίκα καὶ νῦν
Οὐκ ἔτι, λωοτέρης φροντίδος ἀψώμεθα. [Gruter.]

22. *Amantis iusiurandum poenam non habet.*] Nempe ita credebant vulgo et iactabant, Iovem ea videre. Notissimum illud Ovidii de arte am. I. 635.

Iupiter ex alto periuria ridet amantum
Et iubet Aeolios irrita ferre Notos.

et Tibulli I. Eleg. V. 20. seqq.

Nec iurare time; Veneris periuria venti
Irrita per terras et freta longa ferunt.
Gratia magna Iovi! vetuit pater illa valere,
Iurasset cupide quicquid ineptus amor. [O.]

23. *Amantium ira etc.*] Sens. *Ex amantium discordia conciliatur firmior concordia.* [*Georg. Fabric.*] Versus est non Publii, sed Terentii Andr. Act. III. Scen. III. 24.

Amantium irae amoris integratio est.

ubi Ruhnkenius apposite comparat Plaut. Amphitr. Act. III. Scen. II. 60.

Verum irae si quae forte eveniunt huiusmodi,
Inter eos rursum si reventum in gratiam est,
Bis tanto amici sunt inter se, quam prius.

Nec abludit Horatii illud II. Serm. II. 265.

— — — — *in amore haec sunt mala, bellum,*
Pax rursum etc.

Et in eandem sententiam ipse Publius infra v. 126.

Cogas amantem irasci, amare si velis.

et v. 209.

Ex lite multa gratia fit formosior.

Ex asse respondet proverbium apud nostrates: *Die Liebe muss gezanket haben.* [O.]

integratio] I. e. renovatio, instauratio. In aliis Codd. legitur *redintegratio*, repugnante metro. [*Ruhnk.*]

24. *Ames parentem*] Sens. *Bonum parentem ama, difficilem tolera, vel ob hoc quia pater est. Aequus* dixit pro commodo aut humano. [*Erasm.*] Praeclare hanc in sententiam Seneca Lib. III. de Benef. Cap. ult. *Nulla vi verborum, nulla ingenii facultate exprimi potest, quantum opus sit, quam laudabile, quamque nunquam a memoria hominum exiturum, posse hoc dicere: Parentibus meis parui, cessi, imperio eorum, sive aequum, sive iniquum fuit, obsequentem submissumque me praebui.* [*Gruter.*] Confer eadem de re cum filio Lamprocle egregie disputantem Socratem ap. Xenoph. Memorabb. Lib. II. Cap. 2. [O.]

si aliter, feras.] Abreschius in Dilucidatt. Thucydid. pag. 244. legendum coniicit: *si alter, feras*, citans Festum: *Alter et pro non bono ponitur; ut in auguriis altera cum appellatur avis, quae utique prospera non est: sic alter nonnunquam pro adverso dicitur et malo.* Equidem nolim eliminare vulgatum. Nam *aliter esse* pro alio modo adfectum, animatum esse dixit etiam Terentius Adelph. Act. III. Scen. IV. v. 46.

Sin aliter animus voster est — — — [O.]

25. *Amicis eo magis dees*] Infra v. 582.

Prodesse qui vult, nec potest, aeque est miser. [*Gruter.*]

Bipontini *des.* Male. [*Tzschuck.*]

quo nihil habes] Pro *nihil* Tanaq. Faber vult *minus*, quod facilior sensus et oppositorum ratio suadet. [*Idem.*]

26. *Amicitia pares etc.*] Φιλότης ἰσότης, ἰσότης φιλότης dixerunt Pythagorei. Vide Iamblich. Vit. Pyth. Cap. 29. et in eandem sententiam Seneca de Benef. II. 15. *Cum summa amicitia sit amicum sibi aequare, utrique simul consulendum est.* [*Gruter.* et O.]

27. *Amicitia semper prodest etc.*] Est Senecae Epist. 35. *Nunc enim amas me, amicus non es? Quid ergo? haec*

inter se diversa sunt? imo dissimilia. Qui amicus est, amat; qui amat, non utique amicus est. Itaque amicitia semper prodest, amor etiam aliquando nocet. [Gruter.]

28. *Amicitiae coagulum etc.*] Egregie hanc in sententiam Claudianus de laud. Stilich. II. 38. seq.

Haec (Fides) *et amicitias longo post tempore firmat,*
Mensuroque adamante ligat: nec mobile mutat
Ingenium; parvae strepitu nec vincula noxae
Dissolvi patitur, nec fastidire priorem
Allicitur veniente novo: benefacta tenere,
Respuere offensas faciles, pariterque minoris
Officii magnique memor, superare laborat:
Utque hostes armis, meritis sic vincit amicos.

et Isocrates ad Demon. Prooem. *Καὶ τὰς μὲν τῶν φαύλων συνηθείας ὀλίγος χρόνος διέλυσε· τὰς δὲ τῶν σπουδαίων φιλίας οὐδ' ἂν ὁ πᾶς αἰὼν ἐξαλείψειεν.* quem locum adposite citat Gruterus. [O.]

29. *Amici vitia nisi feras etc.*] Haec sententia pugnat cum sequente, quam a se subiectam dicit Gruterus. An de suo? (Sed dederunt eam ante Gruterum Godofredus et H. Stephanus. O.) Aliquatenus tamen utraque ferri et intelligi potest, si τὸ *feras* duplici sensu explices ex nexu et re. Prior quippe difficilior vult: *nisi animo aequo feras, auges* (ex peccatore scil. etiam simulatorem et hypocritam efficiens) — *auctorque eorum factus, amicorum vitia tua facis.* Sic infra v. 133.

Consueta vitia ferimus, non reprendimus. [Tzschucke.]

Gruterus apposite citat verba Horatii I. Serm. III. v. 43.

Vellem in amicitia sic erraremus, ut isti
Errori nomen virtus posuisset honestum.
At pater ut gnati, sic nos debemus amici,
Si quod sit vitium, non fastidire — — —

Ceterum hoc argumentum fusius tractat Seneca III. de ira Cap. 24. [O.]

30. *Amici vitia si feras etc.*] Sens. *Tibi imputabitur, quicquid peccat amicus, cum non admoneas.* [Erasm.] Nam bis peccas, et quod peccanti obsequium accommodas, et quia es alter ego. Huc respiciunt illa Aristotelis Ethic. ad Nicom. Lib. VIII. Cap. X. *Μόνιμοι γὰρ ὄντες καθ' αὑτούς, καὶ πρὸς ἀλλήλους μένουσι, καὶ οὔτε δέονται φαύλων, οὐδὲ ὑπηρετοῦσι τοιαῦτα, ἀλλ', ὡς εἰπεῖν, καὶ διακωλύουσι· τῶν ἀγαθῶν γάρ, μήτ' αὐτοὺς ἁμαρτάνειν, μήτε τοῖς φίλοις ἐπιτρέπειν ὑπηρετεῖν.* Laudandus etiam Seneca, qui Epist. XXV. ita ait: *Quod ad duos amicos nostros pertinet, diversa via eundum est; alterius enim vitia emendanda, alterius frangenda sunt. Utar libertate tota: non amo illum, nisi offendo.* et imitandus ille apud Plautum in Trinum. Act. I. Scen. II. 57.

Sed tu ex amicis certis mihi es certissimus.
Si quid scis me fecisse inscite, aut improbe,
Si id me non accusas, tute ipse obiurgandus es.

Ad rem uxoriam autem lepide transfert Varro in Fragmentis p. 344.

Vitium uxoris tollendum est aut ferendum;
Qui tollit vitium, uxorem commodiorem praestat,
Qui fert, sese meliorem facit. [Gruter.]

31. *Amici vitia noveris, non oderis.*] Porphyrion ad Horatium hunc versum proverbialem monet fuisse: *Mores*

amici noveris, non oderis. Eum nos inter Graecas sententias repertum restituimus. Est enim huiusmodi:

Φίλου τρόπους γίνωσκε, μισήσῃς δὲ μή.

Admonet in amicorum moribus quaedam vitia dissimulanda, sic, ut intelligantur quidem, sed tamen tolerentur: ne severior et oculatior in observandis amici malis subvertas amicitiam. Noscenda sunt enim amici vitia, ut aut corrigas aut certe minuas, at non sic, ut ob ea videaris amicum odisse. [*Erasm. Adag. Chil. II. Cent. V.* 96.]

52. *Amicum an nomen etc.*] *Nomen* opponit *rei*. Sensus: an verum, an fictum amicum, adulatorem habeas. Sic Ovidius de Arte am. I. v. 740.

Nomen amicitia est, nomen inane fides.

Sic et Tacitus, v. c. Hist. IV. 10. *Vim principis amplecti, nomen remittere.* et Iustinus XXXIX. 1. *ut nomen regis penes filium, vis autem omnis imperii penes matrem esset,* ubi vid. Bernecc. et Heins. ad Vellei. Paterc. II. 30. pag. 827. ed. Ruhnken. Cod. Frising. *Amicum an hostem habeas etc.* Minus bene. [O.] In hunc sensum Quintilianus Declam. XXVI. *Nescias, an diligat, cuius non habet experimenta, nisi sola felicitas; et si vitae praestes omnia secunda, omnino amicus otiosa res est.* Quocirca Isocrates Demonico praecipit: *Δοκίμαζε τοὺς φίλους ἔκ τε τῆς περὶ τὸν βίον ἀτυχίας, καὶ τῆς ἐν τοῖς κινδύνοις κοινωνίας· τὸ μὲν γὰρ χρυσίον ἐν τῷ πυρὶ δοκιμάζομεν, τοὺς δὲ φίλους ἐν ταῖς ἀτυχίαις διαγινώσκομεν.* Quae latine expressit Ovidius I. Trist. Eleg. V. 25.

Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est inspicienda fides. [*Gruter.*]

54. *Amicum perdere etc.*] Est desumptum ex Seneca Epist. 99. *Tam molliter tu fers mortem filii: quid faceres, si — (quod damnorum omnium maximum est —) amicum perdidisses?* [*Gruter.*]

55. *Amissum quod nescitur etc.*] Gruter. *Dimissum quod nescitur, non amittitur.* Perperam. Quod enim *dimittitur*, sive a volente sive ab invito, certe a conscio dimittitur, et *nesciri non potest*. Repone *Amissum quod nescitur:* ut in locuplete domo: *Ubi multa supersunt, et dominum fallunt, et prosunt furibus.* [*Bentlei.*] Idem ante Bentleium coniecerat Tan. Faber. Tzschuckius *dimissum* defendere conatur, quasi sit *quod inscio domino elabitur,* ut nos dicimus: *abhanden kommen.* [O.] Citat Zwingerus p. 43. et addit: *Si quis opinatur, sibi adhuc restare rem amissam, opinione ipsa fruitur.* et pag. 47. *Non est damnum, quod non sentis, non percipis.* Est autem desumptum ex Seneca Ep. 4. *Nullius autem rei facilior amissio est, quam quae desiderari amissa non potest.* [*Gruter.*] Legendum itaque *amissum* cum Bentleio. Weberus vertit: *Schaden unbewußt ist gar kein Verlust.* [O.]

56. *Amor animi arbitrio etc.*] Ita Sartorius et Bentleius. Gruterus autem *Animi arbitrio amor etc.* Sensus est, ut bene exponunt Erasmus et Zwinger. *Nobis in manu est non incipere amare: ubi coeperis, amori iam servus es, nec potes excutere, cum velis.* [O.]

57. *Amor extorqueri non pote etc.*] Sens. *Amor non potest subito vique expelli, paullatim potest elabi.* [*Erasm.*] Ms. Frising. ita legit: *Amor extorqueri non potest, sed elabi potest.* Godofred. et H. Steph. omittunt *sed.* [*Sartor.*]

59. *Amoris vulnus sanat idem qui facit.*] Sic

edidit Bentleius secutus vestigia Codicis Trin. ubi corrupte quidem legitur: *Amoris vulnus idem est qui facit.* Antea legebatur: *Amoris vulnus idem qui sanat facit,* quod perperam retinuit Tzschuckius tanquam ὕστερον πρότερον. Sensus est, ut bene exponit Erasmus: *Desiderii vulnus sanat idem qui fecit, si scil. sui copiam faciat.* Allusisse autem videtur poeta ad historiam Telephi Mysorum regis, qui vulneratus ab Achille illique reconciliatus, impetravit, ut ex hasta, qua vulneratus erat, sanaretur, rubigine malagma conficeret et vulneri suo imponeret. Quo facto statim sanitatem consecutus est. Schwarzius antiquam lectionem retinens ad verbum reddidit:

Wer Liebeswunden heilt, der schlägt sie auch.

Melius Weberus: *Die Liebe niemand heilen kann, als wer den Schaden hat gethan.* [O.]

40. *Amor miseri etc.*] Seneca in Medea:

Amor timere neminem verus potest. [Gruter.]

Ex asse respondet Sententia Biblica 1 Ioh. IV, 18. Φόβος οὐκ ἔστιν ἐν τῇ ἀγάπῃ, ἀλλ' ἡ τελεία ἀγάπη ἔξω βάλλει τὸν φόβον. [O.]

41. *Amor otiosae causa sollicitudinis.*] Zwinger. p. 170. citat: *Amor otioso causa sollicitudinis,* quod Georgius Fabricius sic explicat: *Apud otiosos accessum amor habet et otium amoris iacit semina.* Unde adolescens ille in Plauti Truculento:

Re placida atque otiosa, victis hostibus amare oportet.

Godofredus edidit: *Amor otiosae est cura solicitudinis.* Schwarzius vertit: *Die Lieb' erzeugt geschäftigen Müssiggang,* melius in Notis *müssige Beschäftigung* vel *Kümmerniss,* cum Grutero apposite citans Martial. Lib. X. Epigramma 13. ad Tuccam:

Ad nocturna iaces fastosae limina moechae,
Et manet heu lacrymis ianua surda tuis,
Urere nec miserum cessant suspiria pectus,
Vis dicam, male sit cur tibi, Tucca? Bene est.

Weberus vertit: *Die Liebe macht unruh'ge Nacht.* Vulpius ad Catull. Carm. LX. pag. 204. nostrum locum citans apposite comparat verba Horatii Lib. I. Epist. II. v. 28. *Strenua nos exercet inertia,* et Phaedri Lib. II. Fab. V. *Ardelionum gens multa agendo nihil agens.* [O.]

43. *Angusta capitur etc.*] Verba sunt non Publii, sed Senecae in Thyest. v. 451. ubi Thyestes ad Plisthenem ita loquitur:

— — — — o, quantum bonum est
Obstare nulli! capere securas dapes
Humi iacentem! Scelera non intrant casas:
Tutusque mensa capitur angusta cibus.
Venenum in auro bibitur.

Cum quibus conferenda eiusdem Senecae verba in Hercule Oetaeo v. 650. seqq.

Pectora pauper secura gerit:
Tenet e patula pocula fago,
Sed non trepida tenet illa manu.
Carpit faciles vilesque cibos,
Sed non strictos respicit enses.
Aurea miscet pocula sanguis.

et Iuvenalis Sat. X. 25. — — — — *nulla aconita bibuntur*

Fictilibus, tunc illa time, quum pocula sumes
Gemmata, et lato Setinum ardebit in auro.

in mensa ed. T. Faber. Male. Vide supra locum Senecae. [O.] Sic et Horatius Lib. II. Od. XVI.

Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum
Nec levis somnos timor aut cupido
Sordidus aufert. [*Accar. de Serionne.*]

44. *Animo dolenti nihil oportet credere.*]. Supra v. 16.

Amans iratus multa mentitur sibi.

Nam, ut Seneca in Oedipo:

Aeger animus falsa pro veris videt. [*Gruter.*]

Sens. *Quamdiu doles, ne quid tibi ipsi fidas. Nihil enim sani suadet dolor. Exspecta, donec residat aegritudo: tum statue, quid velis loqui aut facere.* [*Erasm.*]

45. *Animo imperabit sapiens etc.*] Plautus in Trinummo II, 2, 29.

Tu si animum vicisti potius, quam animus te, est quod gaudeas.

Plenis buccis poeta:

Fortior est, qui se, quam qui fortissima vincit
Moenia, nec virtus altius ire potest. [*Gruter.*]

Quae ad verbum expressa e Salomonis Proverb. XVI, 32. *Ὁ κρατῶν ὀργῆς κρείσσων τοῦ καταλαμβανομένου πόλιν.* [O.]

46. *Animo virum pudicae etc.*] Huc pertinet Comici ista sententia:

Ὡς ἡδὺ κάλλος, ὅταν ἔχῃ νοῦν σώφρονα.

nec non Olympiadis (matris Alexandri M.) dicterium illud in Monimum Pythionem Panticam Cypriam speciosissimam quidem, sed parum pudicam in uxorem petentem ap. Athenaeum Lib. XIII. pag. 609. ed. Casaubon. *Ὦ πονηρὲ, τοῖς ὀφθαλμοῖς γαμεῖς, καὶ οὐ τῷ νῷ.* [*Gruter. et O.*]

47. *Animus aeger turbae praebet spectaculum.*] *Animus aeger* h. e. afflictus ac moestus tristitiam suam palam ostendens. Gruterus perperam interpretatur de animo aegroto, qui sibi suppeditare conatur quicquid concupiverit nec coercere vult appetitus suos. *turbae praebet spectaculum*, i. e. fabula fit, ludibrio erit. Sic paulo inferius v. 51. *Morti delicias facit.* Martinus (Pseudo-Seneca) in libello de moribus et Godofredus e Codd. habent *turpe praebet spectaculum.* Sed unice verum *turbae* i. e. vulgo, quod scil. gaudet, quoties videt aliquem afflictum fortunam suam adversam non, uti virum decet, tacite ferentem, sed muliebriter eiulantem, lamentantem ac miserum sese et infelicem appellantem. Et comparandum omnino cum nostra sententia praeceptum illud Periandri apud Stobaeum Serm. III. quod dedimus in Opusc. Graec. vet. sententios. Tom. I. pag. 146. *Δυστυχῶν κρύπτε, ἵνα μὴ τοὺς ἐχθροὺς εὐφράνῃς.* [O.]

48. *Animus vereri qui scit*] Zwingerus pag. 783. et Erasmus: *Qui intelligit periculum, is novit cavere periculum. Temeritas autem periculose rem aggreditur, quia nescit timere.* Cicero pro Plancio: *vigilandum est semper: multae insidiae sunt bonis.* et Salomon Proverb. XXVIII. v. 14. *Μακάριος ἀνὴρ, ὃς καταπτήσσει πάντα δι' εὐλάβειαν· ὁ δὲ σκληρὸς τὴν καρδίαν ἐμπεσεῖται κακοῖς.* [*Gruter.*] *Vereri* absolute positum pro *timere* legimus etiam apud Ciceronem de Senectute Cap. VI,

ubi Cato, *De qua* (Carthagine scil.) *non ante*, inquit, *vereri desinam, quam illam excisam esse cognovero.* [O.]

scit tuta ingredi] Erasmus et H. Steph. *tuto aggredi.* Sartor. et T. Faber *tuto ingredi.* Sed praestat *tuta ingredi* (significatione scil. transitiva). Opp. *pericula ingredi* Cic. pro Muren. Cap. II. [O.]

49. *Animus hominis etc.*] Idem repetit infra v. 663.

Quodcunque animus sibi imperavit, obtinet.

Nam, ut Sallustius Catil. Cap. LI. *ubi intenderis ingenium, vales:* in studiis praecipue, unde Isocrates ad Demonicum scribit: Ἐὰν ᾖς φιλομαθής, ἔσῃ πολυμαθής. [*Gruter.*]

50. *Annosus non diu vixit, diu fuit.*] Est Senecae, qui Cap. VIII. de brev. vitae: *Non est quod quemquam propter canos aut rugas putes diu vixisse. Non ille diu vixit, sed diu fuit.* et idem de sene mortuo Epist. 93. *Non vixit iste, sed in vita moratus est; nec sero mortuus est, sed diu.* Nempe, ut Ovidius (vel Pedo Albinovanus) ad Liviam: *Acta senem probant; haec numeranda tibi.* [*Idem.*]

51. *Anus cum ludit etc.*] Simillimus locus Aristophanis in Eccles. v. 898. seq. ubi iuvenculae anus increpitant, dicentes, sibi amorem iuvenum deberi, illas autem, si canos capillos ornarent et fuco se oblinerent, morti spectaculum facere. Verba eius sunt:

— — — — — — — — — σὺ δ', ὦ
Γραῦ, παρελέλεξαι (leg. παραπέπλεξαι) κἀντέτριψαι τῷ
Θανάτῳ μέλημα. [*Gruter.*]

ludit h. l. videtur intelligendum κατ' ἐξοχὴν de saltatione, ut apud Virgil. Eclog. VI. v. 27.

Tum vero in numerum Faunosque ferasque videres
Ludere.

Sic et παίζειν apud Graecos. Vid. inprimis Valckenaer. ὁ πάνυ ad Lucae XXIII. 36. et 1 Corinth. X. 7. in Selectis e Scholis in Nov. Test. Tom. I. pag. 273. et Tom. II. pag. 260. ed. Wassenbergh. [O.]

morti delicias facit] i. e. morti gratum praebet spectaculum. *delicias facere* proprium verbum de histrionibus populo placentibus. Vide Gronov. Lect. Plautin. p. 211. Sic Plinius Hist. Nat. XVI. 37. *Urbanus scurra deliciae populi* (*spasso è divertimento del popolo*). Bene vertit Weberus:

Alter Weiber Fröhlichkeit
Ist des Todes Lustbarkeit.

Schwarzius: *Ein altes Weib, die jung seyn will, ergötzt den Tod.* [O.] Mihi videtur *delicias facit* respondere Graecorum διαθρύπτεται, *sie kokettiert mit dem Tode.* [*Casp. Orell.*]

52. *Aperte mala etc.*] Sens. *Fucatum et fraudulentum est animal mulier; eoque minime noxia, cum palam est mala. Iudicat hic, nullam esse bonam.* [*Erasm.*] In eandem sententiam Euripides apud Stobaeum Serm. LXXI.

Μισῶ γυναῖκας, ἐκ πασῶν δέ γε πλέον,
Ἥτις πονηρὰ τἄργ' ἔχουσ' εὖ λέγει.

et Menander:

Ἔστι δὲ γυνὴ λέγουσα χρήστ' ὑπερβάλλων
Φόβος. [*Gruter.*]

Bene Schwarzius: *Ein nur nicht heimlich böses Weib ist gut.* [O.]

53. *Arcum intensio frangit, animum remissio.*] Sens. *Arcus frangitur, si nimium tendas, animi vires augentur*

exercitatione, otio franguntur. [*Erasm.*] Godofredus legendum putat: *Remissio animum frangit, arcum intensio.* Eandem sententiam, quae apud Graecos in proverbium abiit, habet Plutarchus in libro *An seni sit gerenda res publica* Opp. Tom. II. p. 792. ed. Paris. τόξον μὲν γάρ (ὥς φασιν) ἐπιτεινόμενον ῥήγνυται, ψυχὴ δὲ ἀνιεμένη. [O.] Martinus (Pseudo-Seneca) in libro de Moribus: *Acuit intensio, frangit animum remissio.* [*Sartor.*].

54. *Ars non ea est etc.*] Sensus est: *Ars non est in iis rebus, quae forte fortuna efficiuntur,* quod contigit in multis inventis (v. c. pulveris pyrii etc.). [*Tzschucke.*] Verba sunt non Publii, sed Senecae Epist. XXIX. *Ars non ea est, quae ad effectum casu venit.* [*Gruter.*]

55. *Aspicere oportet etc.*] Sens. *Serva quod nolis perire. Oculus autem, hoc est, praesentia domini optimus rei custos.* [*Erasm.*] Seneca de Benef. III. 2. *Ita quidquid frequens cogitatio exercet ac renovat, memoriae nunquam subducitur, quae nihil perdit, nisi ad quod non saepe respexit.* [*Gruter.*] *Aspicere* itaque h. l. i. q. *lustrare, recognoscere,* ut recte explicat Tzschuckius, ut apud Livium Lib. XLII. Cap. V. *Appium Claudium legatum ad eas res aspiciendas componendasque senatus misit.* ubi vide interpp. et Ernesti in Glossario. [O.] H. Stephanus: *Aspicere oportet, quae possis deperdere.* MS. Frising. vitiose: *Aspicere oportet quid possis perdere.* Neque improbo lectionem Scaligeri: *Despicere oportet quod possis deperdere* (quam sententiam habemus infra v. 170.). [*Sartor.*]

56. *Avaro quid mali optes, nisi ut vivat diu.*] *Propterea quod miserrime vivat. Summum igitur malum optat, qui optat diutinam vitam.* [*Erasm.*] In vett. libris aliquot *Avaro quid mali optes? ut vivat diu,* versu vividiore: addo et puriore. [*Gruter.*] Tolle *ut* fide Codicis Caiani, versu gratulante, et lege *Vivas.* [*Bentlei.*] *Nisi ut vivat diu* pro *diu vivat* erat necessario legendum, quia non potest demonstrari, scazontem hic locum habere. Quod vero Bentleius mavult *nisi: vivas diu,* id non intelligo. Sed sensus nostrae lectionis est: nihil peius posse avaro optari, quam ut diu vivat, quia tum diu se ipse cruciat. Ceterum metrum postulat, ut *ni ut* pro *nisi ut* legatur. Si *ut* tolleretur auctoritate Codicis Caiani, tum *nisi* posset servari. [*Anton.*]

57. *Avarum facile capias etc.*] Sens. *Avarus non potest ferre avarum: facile itaque capies (et mancupabis, occaecabis aut saltem persuadebis muneribus), nisi sis idem, quod ille est,* i. e. *ipse quoque avarus.* [*Erasm. ad Zwinger.*] *idem* h. l. est neutrum. *nisi sis id ipsum, quod ille est.* [*Anton.*]

58. *Avarum irritat etc.*] Egregie in eandem sententiam Claudianus in Rufin. I. v. 103.

Non Tartessiacis illum satiaret arenis
Tempestas pretiosa Tagi, non stagna rubentis
Aurea Pactoli: totumque exhauserit Hermum,
Ardebit maiore siti.

Conf. ibid. v. 183. et 196. seqq. [*Idem.*]

59. *Avarus animus etc.*] Hunc versum, qui apud Gruterum desideratur, e suis Codd. addidit Bentleius. Citat Seneca Epist. CVIII. [O.] Iuvenalis Sat. XIV. *Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit, Et minus hanc optat, qui non habet.* [*Accar.*]

60. *Avarus damno potius quam sapiens dolet.*]

Sens. *Sapiens non cruciatur damnis rerum, sed is, qui magni facit pecuniam.* [*Erasm.*] Hiulcam sententiam facit τὸ *potius*, et languidam, si pro *magis* inusitate explices. Forte pro *sapiens* verbum substituendum, quod τῷ *damno* respondeat; vel comparatur *avarus* et *sapiens*. Tum pro *potius quam* aliud verbum substituendum. Titubat Gruterus corrigere volens vel *ignominia sapiens dolet* (quod autem metro repugnat), vel *sanna dolet* (Vide Casaubon. ad Pers. Sat. V. 91. et quae observavimus ad Arnob. Lib. VI. Cap. 26. Tom. II. pag. 396.), vel etiam *fama sapiens dolet*, quod maxime placet. *Famam* enim infamiam, ignominiam dixerunt auctores vetustiores. Nonius (p. 305. ed. Mercer.): *Fama est rursus infamia. Turpilius Pedio: Quaeso omitte ac desere hanc meretricem, quae te semel nacta est, semper studuit perdere, Detegere, despoliare opplereque adeo fama ac flagitiis. Naevius: Desubito famam tollunt, si quam solam videre in via.* Hinc *famosus* de infami. [O.] Sed Gruteri coniectura *fama sapiens dolet* metro repugnat. Possit quidem sed audaciori conjectura rescribi:

Avarus damno potius quam fama dolet. [*Casp. Orell.*]

61. *Avarus ipse miseriae suae causa est.*] Nam sua sponte et volens pauper est. [*Erasm.*]

62. *Avarus nisi cum moritur, nil recte facit.*] Scaliger et Tan. Faber: *nil rectum facit.* Gruterus apposite comparat verba Siracidae XIV. 4. Ὁ συνάγων ἀπὸ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ συνάγει ἄλλοις, καὶ ἐν τοῖς ἀγαθοῖς αὐτοῦ τρυφήσουσιν ἕτεροι. Sensus itaque: *Cum moritur avarus, tum demum permittit aliis opibus suis frui*, ut explicat Erasmus. [O.]

64. *Auferri et illud, quod dari potuit, potest.*] Ita Scaliger versum hunc ad literam A reddidit. In editione Godofredi est: *Dari bonum quod potuit, auferri potest.* Vide infra v. 162. Sed ne quaeramus, quis germanam lectionem attigerit Publii, cum hic versus non sit Publianus. Nam Lucilius ad imitationem Publiani Mimiambi hunc fecit, teste Seneca Lib. I. Epist. VIII. [*Sartor.*]

65. *Avidum esse oportet neminem, minime senem.*] Sic restitui, sed e vestigiis exemplaris Palatini, in quo: *Oportet ne minime senem.* Frisingensis, qui nobis communicabat *neminem nisi senem*, monstra loquebatur. Ceterum elegans in hanc sententiam locus est Ciceronis de Senect. Cap. XVIII. *Avaritia vero senilis quid sibi velit, non intelligo: potest enim quidquam esse absurdius, quam, quo minus viae restat, eo plus viatici quaerere?* [*Gruter.*]

66. *Aut amat, aut odit mulier etc.*] Sens. *Mulier nimis est vehemens in utramque partem animal affectibus obnoxium, nec medium tenet, quod sapientis est.* [*Erasm.*] Sic apud Euripidem in Troad. v. 60. Neptunus ad Minervam:

Μισεῖς τε λίαν καὶ φιλεῖς, ὃν ἂν τύχῃ. [O.]

Pro *nihil est tertium* Codex Frising. vitiosissime *nihil est testium.* [*Sartor.*]

67. *Auxilia humilia etc.*] Lego *auxilia infirma etc.* Quae per se infirma erant, eadem firma fiunt, si partium consensus accedat scilicet et fides. [*Tan. Faber.*] Mirifice placet haec Fabri correctio, quam vix mihi temperare potui quin in textum reciperem, cum et metrum eam flagitare videatur, et, quod fatetur etiam Tzschuckius, lucidior fiat oppositio. Et v. *humilia* e glossemate ortum suspicor. [O.] *Concordia res parvae crescunt*, dicit Sallustius in Iugurth. Cap. X.

et Tacitus in vita Agricolae Cap. X. indicat commune periculum concordia propulsandum. [Gruter.]

68. *Bene vulgo audire etc.*] Infra v. 579.

Probo bona fama maxima est haereditas. [Gruter.]

Cod. Frising. *Bene audire alterum patrimonium est.* *Vulgo* (Dativ.), i. e. *πανδήμεὶ, ab omnibus*, e Codd. suis addidit Gruterus. [O.]

69. *Bene cogitata etc.*] Sens. *Quod recte propsueris, etiamsi ad tempus excidit animo, tamen non omnino perit.* [Erasm.] Potest etiam exponi: Bona consilia si semel reiiciantur, tamen postea ad ea recurri. Hinc proverbium: *Mica de mensis deorum si cadit, non occidit.* Et plane, ut Publius noster, quondam dixit Euripides in Oreste v. 911.

"Οσοι δὲ σὺν νῷ χρηστὰ βουλεύουσ' ἀεί,
Κἂν μὴ παραυτίκ', αὖθις εἰσὶ χρήσιμοι. [Gruter.]

Frising. vitiose habet *Bene cogitata sic excedunt, non occidunt.* [Sartor.]

70. *Bene dormit etc.*] Infra v. 80.

Bene perdis gaudium, ubi dolor pariter perit. [Idem.]

Sens. *Cum abest sensus mali, nihil est mali: veluti si quis alto somno obrutus non sentiat incommoditatem strati.* [Erasm.]

71. *Beneficia donari etc.*] Dicere vult Publius: Malorum tantum aut stultorum esse beneficia accepta tanquam donum considerare, quod non cum foenore reddendum sit benefactoribus. Eandem in sententiam Hesiodus praecipit Ἔργ. v. 353.

Τὸν φιλέοντα φιλεῖν, καὶ τῷ προσιόντι προσεῖναι,
Καὶ δόμεν ὅς κεν δῷ, καὶ μὴ δόμεν ὅς κεν μὴ δῷ. [O.]

72. *Beneficia plura recipit etc.*] *Nam ingratis nemo plura committit. Quos experimur gratos, in hos maiora conferimus.* [Erasm.] Huc pertinet Thespidae dictum apud Anton. et Maxim. Serm. de Beneficentia pag. 278. ed. Wechel. Λαβών τι παρά τινος εὐθὺς ἀπόδος, ἵνα πάλιν λάβῃς. Pro *recipit* Scaligeri editio habet *accepit*, i. e. accipere solet, significatione aoristi. [O.]

73. *Benefici nunquam etc.*] Beneficii scil. accepti. [Tzschuck.] Equidem crediderim, *beneficii* ex glossa fluxisse, et scriptum fuisse a Publio:

Accepti nunquam, cito dati obliviscere.

Τὸν μὲν διδόντα χάριν χρὴ παραχρῆμα ἐπιλανθάνεσθαι· τὸν δὲ λαμβάνοντα διὰ παντὸς μεμνῆσθαι. Demosthenis est sententia ap. Anton. et Maxim. p. 278. Sensum verborum plane pervertit Schwarzius vertens:

Vergifs des nie, was schnell gegeben ward.

cum *cito* coniungendum sit cum *obliviscere*. *Benefici* edidi pro *beneficii*. Vide infra ad v. 536. [O.]

74. *Beneficium accipere etc.*] Sens. *Felicius est dare quam accipere. Perdit enim libertatem seque obligat alteri, quisquis utitur eius beneficio.* [Erasm.] Conf. Cicer. de Offic. II. 20. [O.]

libertatem est vendere] Ita Bentleius. Antea: *libertatem vendere est.* [O.]

75. *Beneficium dando accepit etc.*] Sic exhibent Aul. Gellius Noct. Att. XVII. 14. et Macrobius Saturn. II. 7.

Codex Frising. accipit; sed illud rectius. [Tzschuck.] Ioannes Sarisberiensis in Policrat. Lib. VIII. Cap. XIV. sic citat:

Beneficium accepit dando, qui digno dedit. [O.]

Infra v. 580.

Probo beneficium qui dat, ex parte accipit.

et v. 624.

Quidquid bono concedis, das partem tibi.

Plane autem Syri nostri sententiam non modo, sed et verba expressit Phalaris Epist. XVII. *Οὐ διδόναι χάριτας οἴομαι δωρούμενος ἀγαθοῖς ἀνδράσιν, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον παρ' αὐτῶν λαμβάνειν.* [*Gruter.*]

76. *Beneficium dignis ubi des, omnes obliges.*] Erasmus et Godofredus *das — — obligas.* [O.] *Virtuti enim das, non homini: et tuo beneficio bonus in caeteros omnes utitur.* [*Erasm.*]

77. *Beneficium dare qui nescit etc.*] Sens. *Non debet uti beneficiis aliorum, qui ipse nemini benefacit.* [*Idem.*] Godofred. *Beneficia qui nescit dare etc.* [*Sartor.*] *dare qui* pro *qui dare* reposuit Bentleius e Codd. adversante Antonio, qui putat *dare* in arsi ponendum, quia continet notionem primariam. [O.]

78. *Beneficium qui dedisse etc.*] Sens. *Commemoratio beneficii dati est reposcentis gratiam.* [*Erasm.*] Seneca II. de Benef. Cap. XI. *Non est dicendum, quod tribuerimus. Qui admonet, repetit. Non est instandum; non est memoriae revocandum: nisi ut aliud dando prioris admoneas.* [*Gruter.*] Godofred. *Beneficia se dedisse qui dicit, petit.* [*Sartor.*] Accarias de Serionne apposite citat Martialis illud Lib. V. Epigr. 53.

Quae mihi praestiteris, memini, semperque tenebo.
Cur igitur taceo? Posthume, tu loqueris.
Incipio quoties alicui tua dona referre;
Protinus exclamat: Dixerat ipse mihi.
Non belle quaedam faciunt duo: sufficit unus
Huic operi: si vis, ut loquar, ipse tace.
Crede mihi, quamvis ingentia, Posthume, dona
Auctoris pereunt garrulitate sui. [O.]

79. *Beneficium saepe dare etc.*]. Sensus est: *Qui beneficia saepe dat, provocat ad gratitudinem quadam pertinacia benefaciendi.* [*Zwinger.*] In eandem sententiam Seneca II. de Benef. Cap. 3. *Ingratus est adversus unum beneficium? adversus alterum non erit; duorum oblitus est? tertium etiam eorum, quae exciderunt, memoriam reducet. Is perdidit, qui cito se perdidisse credidit. At qui instat et onerat priora sequentibus, etiam ex duro et immemori pectore gratiam extundit.* Quod et censet D. Paulus ad Galatas scribens VI, 9. *τὸ δὲ καλὸν ποιοῦντες μὴ ἐκκακῶμεν· καιρῷ γὰρ ἰδίῳ θερίσομεν, μὴ ἐκλυόμενοι.* [*Gruter.*]

80. *Bene perdis gaudium etc.*] Nam, ut Martialis,

Gaudebis minus et minus dolebis.

Accommoda divitiis; nam qui iis carent, carent etiam molestiis, curis, invidia, periculis. Ausonius:

Plus est sollicitus magis beatus. [*Idem.*]

Sartor. *perdas.* Non male. Bene Schwarzius: *Wohl mag die Freude schwinden, wenn der Schmerz mit weicht.* [O.]

81. *Bene perdit nummos, iudici quos dat, nocens.*] Sens. *Qui corrumpit iudicem pecunia, cum sit nocens,*

perdit eam, sed suo bono, proinde bene perdit. [*Erasm.*] Sic ex Codice Leidensi restituit Bentleius. Antea legebatur *iudici cum dat nocens.* Codex Frisingensis corruptissime *iudicium qui dat nocens.* Constructio est: Nocens bene (i. e. suo cum lucro) perdit eos nummos, quos dat iudici. Non igitur audiendus Bothius corrigere volens *iudici qui dat nocens. Nocens* i. q. *noxius, der Schuldige, Schuldbewufste,* ut saepissime, v. c. apud Iuvenal. Sat. XIII. 2.

— — — prima est haec ultio, quod se
Iudice nemo nocens absolvitur.

et Dionys. Caton. Lib. IV. Distich. 13.

Quum sis ipse nocens, moritur cur victima pro te?

ubi vide Arntzen. pag. 274. Sensum optime expressit Weberus vertens:

Wer mit dem Geld den Richter stillt,
Hat wahrlich sein Geld nicht verspielt.

et Schwarzius:

Geld, das der Schuldige dem Richter giebt,
Ist wohl verloren. [O.]

82. *Bene vixit is etc.*] Quintilian. Declam. IV. *Solus vixit, quoad voluit, qui mori mavult.* [*Gruter.*]

83. *Benevolus animus etc.*] Sens. *Arctius alligat mutua benevolentia, quam affinitas sanguinis.* [*Erasm.*] Infra v. 128.

Coniunctio animi maxima est cognatio. [O.]

84. *Benignus etiam etc.*] Sens. *Qui liberalis est, non expectat, ut rogetur, sed ultro quaerit occasionem largiendi.* [*Erasm.*] Seneca Lib. II. de Benef. Cap. 2. *Molestum verbum est, onerosum, et demisso vultu dicendum, Rogo. Huius facienda est gratia amico, et cuicunque, quem amicum sis promerendo facturus. Properet licet: sero beneficium dedit, qui roganti dedit. Ideo divinanda cuiusque voluntas, et cum intellecta est, necessitate gravissima liberanda est. Illud beneficium iucundum victurumque in animo scias, quod obvium venit.* [*Gruter.*]

cogitat] Godofred. *excogitat.* [O.]

85. *Bis emori est alterius arbitrio mori.*] Sens. *Mortem naturalem aequiore animo ferunt homines, coactam gravius.* [*Erasm.*] Sic emendavit M. Gudius ad Phaedri Lib. I. Fab. VI. pag. 20. ed. Burmanni, cum antea legeretur:

Bis enim mori est alterius arbitrio mori.

et sic etiam e Codicibus suis edidit Bentleius. Optime Gruterus: *Bis emori est alterius iudicio emori.* Sed quod dedit Bentleius, multo est significantius. *Qui alterius* (tyranni videlicet) *arbitrio moritur, bis emoritur* (h. e. *mortem quasi exhaurit, dolorem mortis sentit,* ἐξαποθνήσκει) sensu praegnante. Verterem: *Durch fremde Willkühr sterben heifst zweymal des Todes Stachel fühlen.* Nec male Weberus: *Nach andrer Wunsche sterben ist gleich zweymal verderben.* Ita Cicero Tuscul. I, 8. *emori nolo, sed me mortuum esse nihil aestimo.* Contrarium voluit Abreschius in Animadv. ad Aeschylum p. 315. legens:

Bis mori est alterius arbitrio emori.

Sed ita si legamus, omnis perit vigor sententiae. Dicit scil. Publius, mortem ab alio irrogatam quamcunque licet lenissimam nullisque cruciatibus iunctam pati id esse *bis emori,* i. e. bis pati mortis dolores. [O.]

86. *Bis gratum quod dato opus est etc.*] Sens. *Be-*

nefioium precibus extortum magnam gratiae partem perdidit. Quod ultro oblatum est, id bis gratum. [*Erasm.*] Ita Bentleius. Antea legebatur: *Bis est gratum, quod opus est.* ad quae verba summus Criticorum haec observat: „Invenuste cadit accentus „in posteriorem τοῦ *Gratum*, cum prior longa sit. Nostri „Codd. *Bis gratum est.* Repone:

„*Bis gratum est, quod dato opus est, ultro si offeras.*

„Nisi addideris *dato*, sententia quoque friget." Sententiam quod attinet, conferendus elegantissimus Senecae locus II. de Benef. Cap. 1. apposite citatus a Grutero: *Gratissima sunt beneficia parata, facile occurrentia, ubi nulla mora fuit, nisi in accipiendis verecundia. Primum est antecedere desiderium cuiusque, proximum sequi. Illud melius, occupare, antequam rogemur: quia, cum homini probo ad rogandum os concurrat, et suffundatur rubore, qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus suum.* [O.]

ultro si offeras.] Ita Erasmus et Gruter. Cod. Frising. *si ultro offeras.*, una ed. Patav. *si ultro sit datum.* [O.]

87. *Bis interimitur etc.*] Sens. *Magis dolet nobis calamitas, cuius ipsi ministravimus occasionem, veluti si quis hominem evehat ad magistratum, a quo postea subvertatur.* [*Erasm.*] Sic apud Aesopum Fab. 133. aquila pennata sagitta transfixa dicit: καὶ τοῦτο μοι ἑτέρα λύπη, τὸ τοῖς ἰδίοις πτεροῖς ἐναποθνήσκειν. et fab. 182. quum lignatores conscinderent quercum, impactis cuneis querceis, illa dicit: οὐ τοσοῦτον τὸν κόψαντά με πέλεκυν μέμφομαι, ὅσον τοὺς ἐξ ἐμοῦ φυέντας σφῆνας. et de securi quoque in simillimo casu lucum caedente versus sunt apud Anonymum quendam Fab. LIII.

Vir nemus impugnat, lassans in caede securim.
Arboris omne genus una ruina trahit.
Lucus ait: Pereo, mihimet sum causa pericli,
Me necat ex dono rustica dextra meo. [*Gruter.*]

Meliores erunt numeri, si rescribas: *Bis interimitur, armis qui suis perit.* [*Bothe.*]

88. *Bis peccas, cum peccanti*] *Nam et illum adiuvas et te eiusdem malefacti rerum facis.* [*Erasm.*] Cod. Frising. *cum peccato.* Male. Eandem sententiam exprimit etiam Seneca in Troad. v. 289.

Qui non vetat peccare, cum possit, iubet. [*Accar.*]

89. *Bis vincit etc.*] *Qui moderate utitur victoria, bis vincit, primum hostem, deinde animum.* [*Erasm.*] Cod. Frising. perperam transposuit: *Bis vincit, qui se in victoria vincit.* [*Sartor.*] *Haec qui faciat* (i. e. se ipsum vincat), *non ego eum summis viris comparo, sed simillimum Deo iudico*, inquit Cicero in Orat. pro Marcello. [*Accar.*]

90. *Blanditia non imperio etc.*] Sens. *Iucundum est, cum ex animo quis redamatur, non cum extorquetur mulieris obsequium.* [*Erasm.*] Ovidius Met. II. 846.

Non bene conveniunt, nec in una sede morantur
Maiestas et amor.

Sic et Maximus Tyrius Dissert. X. Ὁ δὲ ἔρως οὐδενὶ οὕτως πολεμεῖ ὡς ἀνάγκῃ καὶ δέει, καὶ ἔστι χρῆμα γαῦρον, καὶ δεινῶς ἐλεύθερον, καὶ τῆς Σπάρτης αὐτῆς ἐλευθερώτερον. Hinc illa admonitio apud Claudian. in Nuptiis Palladii v. 132.

— — — — *nec tu virtute paterna*
Confidas, iuvenis; non est terrore domanda,
Sed precibus placanda tibi. [*Gruter.*]

91. *Bona comparat praesidia misericordia.*] *In alios misericors meretur, ut sibi quoque faveant alii, si quid inciderit adversi.* [*Zwinger.*] Supra v. 2.

Ab alio spectes alteri quod feceris.

infra v. 811.

Habet in adversis auxilia, qui in secundis commodat.

et v. 816.

Homo, qui in homine calamitoso est misericors, meminit sui.

Seneca porro de Tranq. an. Cap. X. *Iustitia, mansuetudine, humana lege et benigna manu praeparent multi ad sequentes casus praesidia, quorum spe securius pendeant.* [*Gruter.*] Huc spectat etiam divini Salvatoris praeceptum Luc. XVI. 9. *Ποιήσατε ἑαυτοῖς φίλους ἐκ τοῦ μαμωνᾶ τῆς ἀδικίας· ἵνα, ὅταν ἐκλίπητε, δέξωνται ὑμᾶς εἰς τὰς αἰωνίους σκηνάς.* [O.]

92. *Bona fama in tenebris etc.*] Sens. *Decus rectè factorum non potest obscurari. Lucet enim in ipso pectore, si non respondet opinione populi.* [*Erasm.*] Infra v. 750.

Suum sequitur lumen semper innocentia. [*Gruter.*]

93. *Bona, imperante animo, fiet pecunia*] Cod. Frising. *Bona impetranti pecunia est.* Male. Sensus est: *Bona* (id est utilis) *fiet pecunia, quando in ea conquirenda augendaque animus* (mens sana), *non autem cupido* (*vel libido habendi*) *imperat.* Quod quam difficile sit, dicit Sallustius ad C. Caesar. de Rep. òrd. Or. II. *Nam ubi cupido divitiarum invasit, neque disciplina, neque artes bonae, neque ingenium ullum satis pollet: quin animus magis, aut minus mature, postremo tamen succumbit.* quem locum apposite citat Gruterus. Sensum plane pervertit Schwarzius vertens:

Wo die Begierde herrscht, da giebts brav Geld [O.]

94. *Bona homini mors est, vitae quae extinguit mala*] Sens. *Miseris mors est optanda quoque, ut quae finem afferat malorum.* [*Erasm.*] Sartorius: *Bona mors est homini etc.* [O.] Abest a Cod. Trin. *Homini,* pro quo Cottonianus *animi.* Lege:

Bona mors est omnis, vitae quae extinguit mala. [*Bentlei.*]

Pro *vitae quae* etc. nonnulli Codd. habent *animi quae.* [*Gruter.*]

95. *Bona nemini hora est etc.*] Sens. *Nulla fortuna secunda est, quae non alicuius malo contingat.* Ita scil. fortuna temperavit res mortalium, ut, quod huic laetum est, alii pariat dolorem, quod alii lucro est, alii damnum adferat. Nemo ditescit nisi malo alterius; nemo vincit in bello, nisi exitio alterius. [*Erasm. Adag. Chil. IV. Cent. V.* 7.]

ut non alicui sit mala] *sit* abest a Codice Frising. Pro *alicui* Erasmus l. l. legendum coniicit *alicubi* nulla necessitate. [O.]

96. *Bona opinio etc.*] *Tutius est habere bonam famam quam divitias.* [*Erasm.*] qua scil. etiam post mortem durat. Isocrates ad Nicocl. *Περὶ πλείονος ποιοῦ δόξαν καλὴν ἢ πλοῦτον μέγαν τοῖς παισὶ καταλιπεῖν. Ὁ μὲν γὰρ θνητὸς, ἡ δὲ ἀθάνατος· καὶ δόξῃ μὲν χρήματα κτητὰ, δόξα δὲ χρημάτων οὐκ ὠνητή· καὶ τὰ μὲν καὶ τοῖς φαύλοις παραγίνεται, τὴν δὲ οὐχ οἷόν τε ἀλλ' ἢ τοὺς διενεγκόντας κτήσασθαι.* His par est Siracidis effatum XLI, 14. *Φρόντισον περὶ ὀνόματος· αὐτὸ γάρ σοι διαμένει, ἢ χίλιοι μεγάλοι θησαυροὶ χρυσίου. Ἀγαθῆς ζωῆς ἀριθμὸς ἡμερῶν, καὶ ἀγαθὸν ὄνομα εἰς αἰῶνα διαμένει.* [*Gruter.*]

97. *Bona quae veniunt etc.*] Sententia, fortia esse cru-

ra', quae ferant felicitatem. [*Gruter.*] Conf. in hanc sententiam Senecae Epistolam XCVIII. totam. [O.]

opprimunt] Editio Sartorii *cadunt ut opprimant.* [O.]

98. *Bonarum rerum consuetudo est pessima*] Sens. *Vilescit, quod consuetum esse coeperat. Bonis rebus nihil debet esse carius. Carum est autem, quod rarum est.* [*Erasm.*] Ita Bentleius. Antea *pessima est.* [O.] Per *bonas res* voluptatem, oblectamenta, vitae mollioris suavitatem etc. intellige ex Plauto, Horatio etc. [*Tan. Faber.*] inprimis de cibis delicatis, lautis, *Leckerbissen.* Ita Cornelius Nepos de Agesilao Cap. VIII. *unguenta, coronas, secundam mensam servis dispertiit, cetera referri iussit. Quo facto eum barbari magis etiam contemserunt, quod eum ignorantia bonarum rerum illa* (vitulina scil.) *potissimum sumsisse arbitrabantur,* ubi vide intpp. pag. 495. seq. ed. van Staveren versum hunc Publianum citantes. Conf. Burmann. ad Phaedr. Lib. IV. Fab. 23. pag. 214. et ad Quintilian. Inst. II, 11. pag. 167. [O.] Sarisberiensis pag. 201. *consuetudo nimia pessima est* Castalio Decad. VI. Obss. C. VIII. interpretatur: Pessima est rerum bonarum i. e. prosperarum consuetudo, quae hominum animos emolliat, virtutis nervos dissolvat, imparatosque ad perferendum, si quid sinistri acciderit, nos reddat. Noster infra v. 193.

Etiam bonum saepius obest adsuescere. [*Gruter.*]

Haud absimile Pythagoreorum dictum: *τὰ μὲν δριμέα καὶ πικρὰ ὠφέλιμα· τὰ δὲ γλυκέα βλαβερά.* in Opusc. vet. Graec. sentent. Tom. I. pag. 46. No. 23. Weberus vertit: *Es ist doch gar nicht fein, daſs das Gute wird gmein.* [O.]

99. *Bona turpitudo est etc.*] Sens. *Satius est pudere quam pigere. Pudor utilis est, per quem arcemur ab his, quae periculose fecerimus.* [*Erasm.*] Aliter explicat Gruterus: *Nil turpe est, quod periculum arcet. Οὐδὲν αἰσχρὸν, ὃ ἀποτρέπει τὸν κίνδυνον.* Quo sensu Claudianus dixit II. in Eutrop. v. 597.

— — — — — suprema pericula semper
Dant veniam culpae.

Utramque interpretationem coniungit Schwarzii versio:

Die Schmach ist gut, die die Gefahr verhütet.

Mihi autem intelligenda videtur oris turpitudo vel deformitas, quae bona, utilis est, quando (v. c. a foemina vel puella) avertit periculum ab expugnatoribus pudicitiae imminens. Et crediderim equidem, in Mimo Publiano hunc versum dictum fuisse ad foeminam quandam facie turpem. Veterem itaque:

Gut ist die Häſslichkeit, die die Gefahr entfernt.

Pro *vindicat* Cod. Frising. *iudicat.* Male. [O.]

101. *Bonis nocet etc.*] Sens. *Fit iniuria bonis, cum impunitas datur malis. Pauciores enim boni futuri sunt, si liceat impune malos esse.* [*Erasm.*] Sallustius in Catil. Cap. LII. *dum paucis sceleratis parcunt, bonos omnes perditum eunt.* et in Iugurth. C. XXXI. *ne ignoscendo malis bonos perditum eatis.* infra v. 406.

Malus quicunque in poena est, praesidium est bonis.

et v. 545. *Paucorum improbitas universis calamitas.*

et denique v. 659.

Qui dubitat ulcisci improbos, plures facit. [*Gruter.*]

Οἱ μὴ κολάζοντες τοὺς κακοὺς βούλονται ἀδικεῖσθαι τοὺς ἀγαθοὺς Pythagoreorum est sententia apud Stobaeum Serm. 46. et Cleobuli apud Ausonium:

Parcit quisque malis, perdere vult bonos. [O.]

102. *Bonitatis verba etc.*] *Qui malus est et bene loquitur, is plus quam malus est.* [*Erasm.*] Noster infra v. 403.

Malus bonum ubi se simulat, tunc est pessimus.

et Menander (in *Γνώμ. μονοστίχ.*):

Μισῶ πονηρὸν, χρηστὸν ὅτ' εἴπῃ λόγον. [*Grut.* et *O.*]

Fallit enim specie virtutis et umbra, inquit Iuvenalis. [*Accar.*]

103. *Bono iustitiae proxima est severitas*] Tanquam ministra illius. *Severitas enim est iustitia rigidior et exactior, vergens tamen ad inclementiam.* [*Erasm.*]

104. *Bonorum crimen est officiosus miser.*] Sens. *Si calamitosus est, qui recte vivit, hoc imputatur virtuti, cui dicunt adversari fortunam.* [*Erasm.*] potius: Cum eget aliqua re probus, in dedecus pergit virorum bonorum, quasi virtuti non habeant honorem. *Bonorum* Bothius perperam accipit de bonis fortunae vel divitiis, quas vituperamus, quod hominibus saepe superbis in partem cedant, hinc officioso et benevolenti desint, legendum coniiciens: *Bonorum crimen officiosus est miser. Officiosus* Tzschuckius interpretatur *officii tenax, der Pflichtgetreue.* Male: cum sit, qui libenter et probe alteri officium seu beneficium exhibet, sive qui alteri obsequi studet, *ὁ θεραπευτικὸς, der Dienstfertige, Gefällige, Menschenfreundliche.* Verterem itaque:

Der Menschenfreund im Elend schmachtend ist der Guten Vorwurf.

Nec male Schwarzius:

Verdienst im Elend schmachtend ist der Guten Vorwurf. [O.]

Possis etiam graece vertere: *Φίλοις ἐπαρκῶν δυστυχὴς, χρηστῶν ψόγος.*

Contrarium igitur recte concluditur Graeco veteri versiculo:

Κοινὸν δὲ καλόν ἐστι χρηστὸς εὐτυχῶν.

Aliud contrarium:

Θεῶν ὄνειδος τοὺς κακοὺς εὐδαιμονεῖν.

Senarius vetus proverbialis. Ausonius tribuit Cleobulo Lindio. *Fortunae invidia est immeritus miser.* [*Scaliger.*]

Menander apud Stobaeum Serm. CV.

Οὐδέν με λυπεῖ μᾶλλον, ἢ χρηστὸς τρόπος
Εἰς χαλεπὸν ὅταν ᾖ συγκεκλεισμένος βίον.

et idem ibid. *Οἰκτρότατόν ἐστι πειρᾶν ἐπὶ γήρως οὐδῷ*
Ἀδίκου τύχης, δίκαιος εἰληφὼς τρόπος.

et clarius adhuc quod sequitur:

Ὡς μεταβολαῖς χαίρουσα παντοίαις τύχη
Σόν ἐστ' ὄνειδος τοῦθ', ὅταν οὗτος ἀνὴρ
Δίκαιος ἀδίκοις περιπέσῃ συμπτώμασιν.

Nec abludit Horatii illud I. Epist. XII.

Vilis amicorum est annona, bonis ubi quid deest. [*Gruter.*]

105. *Bonum ad virum etc.*] Sens. *Apud malos ira tardissime senescit, apud bonos cito.* [*Erasm.*] Idem Erasmus habet: *Bonum apud virum.* Sed *ad* pro *apud, in* satis frequens apud optimos scriptores, v. c. Livium I, 26. *Rex ne ipse tam tristis ingratique ad vulgus iudicii — — auctor esset.* et X, 35. *Minus cladis, ceterum non plus animorum ad hostes erat.* Vide Arntzen. ad Aurel. Victor. pag. 234. 267. et Gorts. ad Cic. Lib. V. Epist. X. pag. 221. [O.]

106. *Bonum est, fugienda etc.*] *Quid tibi sit fugiendum, id discas non tuo malo, sed ex aliorum malis exemplum sumito.* Plautus (Menaechm. IV. 7.): *felix sapit, qui periculo alieno sapit.* [*Erasm.*] et Terentius Heaut. I. 2. et II. 1.

Periculum ex aliis, tibi quod ex usu siet. [*Gruter.*]

107. *Bonum est etiam bona verba etc.*] Puto velle, non esse certandum conviciis. [*Idem.*] Conf. notissimum divini Soteris praeceptum Matth. V, 44. [O.]

108. *Bonum quidem supprimitur, nequam exstinguitur*] Sic edidit Gruterus ex emendatione summi Scaligeri. MSSta Gruteri habent: *Bonum quod est si premitur, nequaquam exstinguitur.* Codex Frising. *Bonum quidem supprimitur, nequaquam exstinguitur.* Erasmus citat: *Bonum tametsi supprimitur, non exstinguitur*, explicans: *Veritas et iustitia premi potest ad tempus, sed emergit postea.* Scaligeri correctionem quod attinet, recte observat Tzschuckius, τὸ *quidem* innuere oppositionem non nominis, sed verbi, quod ad *Bonum* referatur. Et *nequam* (contractum ex *ne* et *quidquam*, teste Varrone de Ling. Lat. Lib. IX. sub fin. Conf. intpp. ad Festum pag. 276. ed. Dacer.) significat hominem vel rem nullius pretii, *was nichts taugt*, non autem malum absolutum. Tandem, quod rem conficit, experientia docet, malum in rerum natura aut raro aut nunquam plane exstingui, sed manere, donec manebit ea quae nunc est rerum humanarum conditio, bonum tamen, cui adversatur, supprimere quidem posse aliquatenus, non autem prorsus exstinguere. Placet itaque eiusdem Tzschukkii correctio legentis *nunquam exstinguitur*, quomodo legisse videntur et Weberus ac Schwarzius vertentes, ille:

Dem Guten man oft widersteht,
Dennoch es nimmermehr ausgeht.

hic autem: *Wohl unterdrückt kann Gutes, nie vertilget werden.* Gruterus ad adstruendam lectionem Scaligeri minus accommode citat verba Siracidae XL. 2. Χρήματα ἀδίκων ὡς ποταμὸς ξηρανθήσεται καὶ ὡς βροντὴ μεγάλη ἐν ὑετῷ ἐξηχήσει. [O.]

109. *Bonus animus laesus etc.*] *Lenis animus cum incandescit, vehementius commovetur.* [*Erasm.*] Pro *gravius multo* Sartorius habet *multo gravius*, repugnante metro. [O.]

110. *Bonus animus nunquam etc.*] Sens. *Qui probus est ipse, nunquam alteri parti peccanti assentitur.* [*Erasm.*] Pro *accommodat* Godofredus legit *commodat.* [*Sartor.*]

111. *Brevis mens ipsa est memoria iracundiae*] Ita Codex Frising. Codices Gruteri variant. Alii habent: *Breve amans ipsa memoria iracundia*, alii: *Breve — — — memorata iracundia*, alii tandem: *Brevis amans ipsa etc.* Sic et Sartor. Scaliger vulgatam lectionem sequens vertit: Αὕτη βραχὺς νοῦς μῆνις, ἡ μνήμων πέλει, fortassis hoc sensu: memoria iracundiae brevis mentis indicium est, i. e. parum mentis indicat, ut nos dicimus *ein kurzer Verstand* pro *ein kleiner Verstand, wenig Verstand*, et sic etiam interpretatus est hunc versum Accarias de Serionne vertens: *Le ressouvenir des injures est la marque d'un petit esprit*, inque notis citans verba Iuvenalis Sat. XIII. v. 189. seqq.

— — — — — — — — — *quippe minuti*
Semper et infirmi est animi exiguique voluptas
Ultio.

nec non Weberus, qui Germanice sic reddidit:

Der ist ein kleinmüthiger Mann,
Der lang Zorn und Hass halten kann.

Sed an hoc sensu Latine dici possit *brevis mens*, dubito equidem maximopere. Legimus quidem apud Statium I. Sylv. VI. 57. (de pumilionibus):

Quos Natura brevis statim peractos
Nodosum semel in globum ligavit.

ut emendavit I. Fr. Gronovius v. *Natura brevis* exponens de natura invida, parca, maligna. Sed hoc ad nostrum locum minus quadrat. Et magis probanda videtur Gruteri emendatio legentis:

Brevissima esto memoria iracundiae.

quam sequutus Schwarzius in versione sua sic expressit:

Kurz sey bey dir des Zornes Angedenken.

Mihi si quid tentare liceat, legerem:

Brevi manet memoria iracundiae.

hoc sensu: Memoria iracundorum (*der Jähzornigen*, abstractum pro concreto, ut infra v. 134. *Contemni gravius est sapientiae* (i. e. sapienti vel sapientibus) *quam percuti*) brevis est, cito quidem exardescunt, sed mox reconciliantur, iniuriarum obliti, *brevi* scil. tempore. [O.]

112. *Brevis ipsa vita est etc.*] *est* non habet Sartor. *ipsa vita*, *das Leben an sich selbst betrachtet*. [O.]

113. *Caeci sunt oculi etc.*] Theognis v. 1165.

Οἱ ὀφθαλμοὶ καὶ γλῶσσα καὶ οὔατα καὶ νόος ἀνδρῶν
Ἐν μέσσῳ στηθῶν ἐν συνετοῖς φύεται.

et Plutarchus de solertia animal. pag. 961. *Νοῦς ὁρᾷ καὶ νοῦς ἀκούει, τὰ δὲ ἄλλα κωφὰ καὶ τυφλά, ὡς τοῦ περὶ τὰ ὄμματα καὶ ὦτα πάθους, ἂν μὴ παρῇ τὸ φρονοῦν, αἴσθησιν οὐ ποιοῦντος.* [*Gruter.*]

114. *Caret periculo, qui etiam, cum est tutus, cavet*] Ita MS. Frisingense. Fabricii editio autem sic: *Caret periculo, etiam qui tutus cavet.* [*Sartor.*] Namque, ut infra v. 121.

Citius venit periculum, cum contemnitur. [*Gruter.*]

115. *Casta ad virum matrona etc.*] Sens. *Pudica uxor hoc impetrat obsequio suo, ut, quidquid velit, faciat maritus, et magis impetrat, cum obsequitur, quam cum exigit.* [*Erasmus.*] Bene Schwarzius:

Ein sittig Weib regieret durch Gehorchen. [O.]

116. *Casus quem saepe transit etc.*] *Casus* h. l. de fortuna adversa accipiendum. Bene Weberus:

Das Unglück, wenns vorüber geht,
Doch endlich dich einmal besteht.

De fortuna secunda perperam accipit Schwarzius vertens:

Wer öfters Nieten zieht, trifft doch einmal. [O.]

117. *Cave amicum credas etc.*] Plutarchus Opp. pag. 49. (de discrimine amici et adulatoris) *Ἀλλ' ὥσπερ νόμισμα δεῖ τὸν φίλον ἔχειν πρὸ τῆς χρείας δεδοκιμασμένον, μὴ ὑπὸ τῆς χρείας ἐλεγχόμενον.* [*Gruter.*]

118. *Cavendi nulla est etc.*] Sens. *Nunquam satis caveris. Aliquando nocendi est dimittenda occasio, cavendi nunquam.* [*Erasm.*] Nam, ut inquit Horatius II. Od. 13.

Quid quisque vitet, nunquam homini satis
Cautum est in horas. [*Gruter.*]

119. *Cave ne quidquam incipias etc.*] Sartorius e Cod. Frising. *Cave quicquid incipias.* [O.]

120. *Cicatrix conscientiae etc.*] Nam sequitur poenitentia. Plutarchus de animi tranquillitate Opp. pag. 476. *Ὥσπερ αὖ τοὐναντίον ἡ σύνεσις, ὅτι σύνοιδε δεινὰ εἰργασμένος, οἷον ἕλκος ἐν σαρκὶ, τῇ ψυχῇ τὴν μεταμέλειαν αἱμάσσουσαν ἀεὶ καὶ νύσσουσαν, ἐναπολείπει. τὰς μὲν γὰρ ἄλλας ἀναιρεῖ λύπας ὁ λόγος· τὴν δὲ μετάνοιαν αὐτὸς ἐργάζεται, δακνομένην ὑφ' αὑτῆς.* [*Idem.*]

121. *Citius venit periculum etc.*] Sens. *Magis nocet periculum his, qui negligunt, quam qui cavent.* [*Erasm.*]

122. *Cito ad naturam etc.*] Sic metro flagitante ad literam C retraxit hanc sententiam Bentleius (praeeunte Tan. Fabro), quae antea legebatur sub litera F:

Ficta cito ad naturam reciderint suam.

Ceterum cum hac sententia conferendus elegantissimus Ciceronis locus e libro II. de Offic. *Vera gloria radices agit atque etiam propagatur, ficta omnia tanquam flosculi celeriter decidunt nec simulatum quidquam potest esse diuturnum.* [O.] In *reciderint* ἀρχαϊκῶς prima producta, ut Lucretio *reducere* et similia. [*Scaliger.*]

123. *Cito ignominia fit etc.*] Erasmus et Zwingerus p. 1033. explicant: *Qui insolenter utitur gloria, incidit in ignominiam.* et pag. 663. *Arrogantiam semper sequitur infamia.* Ita Siracides XXVI. 31. *Ἐμπαιγμὸς καὶ ὀνειδισμὸς ὑπερηφάνων, καὶ ἡ ἐκδίκησις ὡς λέων ἐνεδρεύσει αὐτούς.* [*Gruter.*]

124. *Cito improborum laeta ad perniciem ruunt*] Zwinger. p. 1436. habet *in pernicem.* Erasmus explicat: *Non est diuturna malorum felicitas.* Conf. Sirac. XXI, 10. [*Idem.*]

125. *Civilis belli oblivio defensio est*] Obscura nonnihil sententia, de qua miror ne γοῦ quidem monuisse interpretes. Interpretationem autem admittit duplicem, vel: *Civilis belli oblivio tutissima est sui defensio*, h. e. qui in civili bello omnia, quae fiunt, obliviscuntur, neutri parti se adiungentes, isti defendunt se, i. e. tuti et incolumes evadunt. vel, quod magis placet: *Civilis belli oblivio est defensio* (scil. civilis belli), h. e. qui in civili bello ac populi in duas partes discessione eorum, quae fiunt, oblitus, solitarius ac separatus a civium discordia, domi sederit, is fovet et alit quasi bellum civile defenditque tanquam rem aut iustam aut saltem talem, quae levis momenti sit, nihilque ad se pertineat. Quod respiciens Solon, sapientissimus Atheniensium legislator, hanc legem sanxit: *Si ob discordiam dissensionemque seditio atque discessio populi in duas partes fieret et ob eam causam irritatis animis utrimque arma capientur pugnabiturque; tum, qui eo tempore in eoque casu civilis discordiae non alterutri parti sese adiunxerit, sed solitarius separatusque a communi malo civitatis secesserit, is domo, patria fortunisque omnibus careto: exul extorrisque esto.* Verba sunt A. Gellii, qui hanc Solonis legem doctissime illustrat Noct. Att. Lib. II, Cap. XII. Conf. Plutarch. in Solone pag. 89. et notam Leonh. Lycii in Opusc. Vet. Graec. sententiosis Tom. I. pag. 559. ed. nostrae. [O.] Potest intelligi et hoc sensu: Optima (tui ipsius) defensio est in bello civili, omnia oblivisci, quaecunque videris, expertus fueris, pertuleris.

Die beste Selbstvertheidigung in einem Bürgerkriege ist vergessen, was um einen her vorgeht. Conf. Sent. 375. [*Casp. Orell.*]

126. *Cogas amantem irasci etc.*] Catullus Epigr. 84.

Lesbia mi praesente viro mala plurima dixit.
Hoc illi fatuo maxima laetitia est,
Mule, nihil sentis? si nostri oblita taceret,
Sana esset; quod nunc gannit et obloquitur,
Non solum meminit, sed, quae multo acrior est res,
Irata est: hoc est, uritur et loquitur. [*Gruter.*]

127. *Comes facundus etc.*] Citatur a Gellio Lib. XVII. Cap. XIV. et Macrobio II. Saturn. Cap. VII. [*Sartor.*] nec non a Ioanne Sarisberiensi in Policrat. Lib. VIII. Cap. XIV. [O.] Huc respiciunt illa Senecae de Brev. vitae Cap. IX. *Quemadmodum, quos aut sermo, aut lectio, aut aliqua interior cogitatio iter facientes decipit, pervenisse se ante sciunt, quam appropinquasse, ita hoc iter vitae etc.* Sensus itaque: *Iucundus comes facit, ut non sentias viae taedium.* [*Erasm.*]

128. *Coniunctio animi etc.*] Sens. *Arctius alligat mutua benevolentia, quam affinitas sanguinis.* [*Erasm.*] Ita Godofredus et Scaliger, licet Godofredus in litera B etiam addat hos duos Mimos: *Benevolus animus maxima est cognatio.* et hunc: *Benevoli coniunctio animi maxima est cognatio.* [*Sartor.*] Cicero de Amicit. *Nihil est quod ad se rem ullam tam alliciat et tam attrahat, quam ad amicitiam similitudo et bonos a bonis diligi, asciscique, sibi quasi propinquitate coniunctos atque natura: nihil enim est appetentius similium sui, nihil rapacius, quam natura.* [*Gruter.*] *Nam idem velle atque nolle, ea demum firma amicitia est,* inquit Sallustius Catil. 120. Conf. Cicero pro Planco Cap. V. [*Accar.*]

129. *Conscientiae potius etc.*] Ovidius Fast. IV, 311.

Conscia mens recti famae mendacia ridet. [O.]

130. *Considera, quid dicas etc.*] Sensum bene expressit Weberus vertens:

Die Gedanken zollen frey,
Beym Reden Vorsicht sey. [O.]

131. *Consilium inveniunt multi, sed docti explicant*] Aut nullo sensu, aut stulte antea Frisingensis: *Consiliis iuvenum multi se docti explicant.* Imo respicit ad alterum versum, qui infra v. 273. *Homini consilium tunc deest, cum multa invenit.* Similiter Salomon Proverb. XX, 5. Ὕδωρ βαθὺ βουλὴ ἐν καρδίᾳ ἀνδρός· ἀνὴρ δὲ φρόνιμος ἐξαντλήσει αὐτήν. [*Gruter.*]

132. *Consilio melius vincas etc.*] Sens. *Ira praeceps est, prudentia sedata: hac citius efficies, quae voles, quam violentia et ferocitate.* [*Erasm.*]

133. *Consueta vitia ferimus, non reprendimus.*] Ita Scaliger. Sartorius ex MS. Frising. *Consueta vitia ferri non reprehendimus.* Godofredus: *Consueta vitia ferimus, nisi reprehendimus.* Aculeum sententiae languenti addidit Bentleius scribens:

Consueta vitia ferimus, nova reprendimus.

Nolim tamen aliquid mutare invitis Codd. [O.] Sic supra v. 9.

Aegre reprendas quod sinas consuescere. [*Gruter.*]

134. *Contemni gravius est etc.*] Et hic versum con-

trarium subieci, cum uterque inveniretur in libris. Et procul dubio sic formarunt ingenia doctorum, qui videbant lepide isthaec opponi et vere. Ne quid tamen dissimulem, videtur initio fuisse in chirographis libris *Contemni sapienti gravius est, quam stulto percuti*, vel tale quid simile. [*Idem.*]

135. *Contemni levius est stultitiae, quam percuti.*] Plane ita sapientissimus regum Proverb. XVII. 10. *Συντρίβει ἀπειλὴ καρδίαν φρονίμου· ἄφρων δὲ μαστιγωθεὶς οὐκ αἰσθάνεται.* Zwingerus autem pag. 662. et 755. ita citat:

Contemni est levius, quam stultitia percuti.

et explicat: *Satius est contemni quasi stultum, quam stultum quid agere* p. 848. autem ita: *Contemnitur ut stultus, sed hoc leve est malum, quod ab alio pendet, gravius quod ipsemet possidet, quia mentis malum est.* [*Idem.*] Sartorius: *Contemni est gravius quam stultitia percuti. Percuti* proprio sensu et primario de plagis et verberibus. [O.]

136. *Contra felicem vix Deus vires habet.*] *Felicem* h. l. intelligere videtur Publius virum bonum ac sapientem, cuius felicitas non ab externis rebus, sed ab ipso pendet, qualis fuit Diogenes Cynicus, qui teste Stobaeo Eclog. Lib. II. Cap. VIII. pag. 348. ed. Heeren. *ἔφη νομίζειν ὁρᾷν τὴν Τύχην ἐνορούσαν αὐτῷ καὶ λέγουσαν·*

Τοῦτον οὐ δύναμαι βαλέειν κύνα λυσσητῆρα. [O.]

Mihi sensus videtur: *Contra eum, qui* (a Fato) *destinatus est, ut felix sit, vix Deus vires habet, gegen den, der einmal zum Glück bestimmt ist* etc. [*Casp. Orell.*]

137. *Contra impudentem etc.*] Bene Schwarzius:

Zu höflich gegen Unverschämte seyn ist Thorheit. [O.]

138. *Cotidie damnatur.*] Sens. *Qui sibi conscius semper timet supplicium, is quotidie damnatur.* [*Erasm.*] Hac consideratione Iulius Caesar confessus fuerit, *insidias undique imminentes subire semel satius esse, quam cavere semper.* [*Gruter.*]

139. *Cotidie est deterior posterior dies.*] Sens. *Semper aetas vergit in peius: hoc est: mores hominum indies magis ac magis degenerant.* [*Erasm.*] Ita Virgilius Georg. III. v. 66. seqq.

Optima quaeque dies miseris mortalibus aevi
Prima fugit: subeunt morbi, tristisque senectus,
Et labor, et durae rapit inclementia mortis.

Quos versiculos egregie tractat Seneca Epist. CVIII. Nec aliter Tragicus in Hippolyto:

Tempus sed tacitum subruit, horaque
Semper praeterita deterior subit. [*Gruter.*]

MS. Frising. *Quotidie est deterior dies posterior.* [*Sartor.*]

140. *Crimen relinquit vitae etc.*] Hoc est: post se relinquit crimen vitae, tanquam nocens perierit, et subterfugere voluerit supplicium gravius. Zwingerus (et Erasmus) explicant: Videtur accusare vitam suam, qui mortem appetit. Ita Seneca Controv. VIII. 4. *Nescio cuius criminis sibi conscius confugit ad mortem.* [*Gruter.*] Propter oppositionem *mortem qui appetit*, non *qui mortem.* [*Anton.*]

141. *Crudelem medicum etc.*] H. e. *Aegroti intemperantia facit, ut medicus cogatur ad duriora remedia descendere, nempe sectionem, aut ustionem et similia.* [*Erasm.*] *aeger* omittit Cod. Frising. [O.]

143. *Crudelis est in re adversa obiurgatio.*] *Consolandus est amicus, non obiurgandus in rebus afflictis.* [*Idem.*]

Pulcherrime talem obiurgationem intempestivam Plutarchus de discrimine amici et adulatoris (Opp. pag. 69.) assimilat medicamento austero, quod quis afflicto oculo adhibet. Verba eius sunt: *Ὁ δὲ παῤῥησίαν καὶ δηγμὸν ἀνθρώπῳ δυστυχοῦντι προσάγων, ὥσπερ ὀξυδορκικὸν ὄμματι ταρασσομένῳ καὶ φλεγμαίνοντι, θεραπεύει μὲν οὐδὲν, οὐδὲ ἀφαιρεῖ τοῦ λυποῦντος, ὀργὴν δὲ τῇ λύπῃ προστίθησι, καὶ παροξύνει τὸν ἀνιώμενον.* [*Gruter.*]

145. *Cui nolis saepe irasci etc.*] Seneca 1. de Clement. Cap. XXII. *Severitas, quod maximum remedium habet, assiduitate amittit, auctoritatem.* Xystus Pythagoreus: *Rara sit obiurgatio tua, sed opportuna.* Ovidius I. de Remed. Amor. v. 293.

Optimus ille fuit vindex, laedentia pectus
Vincula qui rupit dedoluitque semel.

i. e. *non diviso dolore, non per partes, non per intervalla suspenso, sed semel, sed pariter*, ut loquitur Quintilianus Declam. XIX. [*Gruter.*] *Irasci* itaque h. l. de obiurgatione vel animadversione, castigatione parentum inprimis vel praeceptorum. [O.]

146. *Cui omnes bene dicunt, possidet populi bona.*] Scaliger transpositione variat: *C. o. b. d. populi possidet bona.* [*Sartor.*] Non male Weberus:

Der kann viel in einer Gemein,
Dem alle Leute günstig seyn. [O.]

147. *Cui plus licet, quam par est etc.*] Hunc versiculum adscripsi ex Gellio. Sens. *Cui plus permittitur; quam aequum est, is plus sibi sumit, quam oportet. Hoc convenit in tyrannos et uxores.* [*Erasm.*]

148. *Cui semper dederis etc.*] Godofred. *Cui saepe dederis etc.* [*Sartor.*] Sens. *Qui assueverit semper accipere, is putat, iam sibi deberi quod datur, adeo ut, si negaris, paratus sit eripere vi. Hoc ad principes peculiariter attinet.* [*Erasm.*] Potest et transferri ad mendicos, qui soliti semper aliquid in loco consueto accipere, iam quasi debitum quodammodo flagitant. [*Gruter.*]

149. *Cuivis dolori remedium est patientia.*] Sens. *Omnis dolor lenitur patientia. Alia aliis malis sunt remedia: at patientia commune est malorum omnium lenimentum.* [*Erasm.*] Similiter Claudianus II. ad Stilichon. v. 105.

— — — — *durum patientia corpus*
Instruit, ut nulli cupiat cessisse labori.

et Ovidius II. de Remed. Amor.

Posse pati facile est, tibi ni patientia desit:
Protinus ex facili gaudia ferre licet. [*Grut.*]

Remedium, quod habent Codd., retinui, quia sensus est commodus. Non tamen nego, *remedio*, quod praefert Bentleius, esse melius. [*Anton.*]

150. *Cuivis potest accidere etc.*] Scaliger transponit ita: *Cuivis accidere potest, quod cuiquam potest.* At ego sequor Godofredum, praesertim cum et Seneca sic citet Lib. I, de Tranquill. anim. Cap. XI. *Nunquam me in bona re mali pudebit auctoris. Publius tragicis comicisque vehementior ingeniis, quoties mimicas ineptias et verba ad summam caveam spectantia reliquit! inter multa alia cothurno, non tantum siparïis fortiora et hoc ait:*

Cuivis potest accidere, quod cuiquam potest.

Noster vero Codex MStus Frisingensis sic habet: *Cunctis*

potest accidere, quod cuivis potest. [*Sartor.*] Tan. Faber, ne metrum laboret, sic componendum putat hunc versum:

Potest accidere cuivis, quod cuiquam potest.

At nolim equidem aliquid mutare contra auctoritatem Senecae. Et metrum minime laborat, prima scil. in *Cuivis* brevi vel potius ancipiti, ut in illo Iuvenalis versu Sat. III. 49.

Quis nunc diligitur, nisi conscius et cui fervens etc.

Sententiam quod attinet, Gruterus apposite citat Pseudo-Phocylidem v. 25.

Κοινὰ πάθη πάντων· ὁ βίος τρόχος· ἄστατος ὄλβος.

Conf. Senec. Epist. LXXVII, LXXVIII, XCIX. [O.]

151. *Cum ames, non sapias etc.*] Supra v. 20.

Amare et sapere vix Deo conceditur.

Conf. Senec. Epist. CXVI. [O.]

152. *Cum das avaro praemium etc.*] Tanto est enim instructior, unde Phaedrus Lib. I. Fab. VIII.

Qui pretium meriti ab improbis desiderat,
Bis peccat, primum, quoniam indignos adiuvat,
Impune abire deinde quia iam non potest.

et ex Ennio Cicero de Offic.: *Benefacta male locata malefacta arbitror.* [*Gruter.*] MS. Frising. *noceas.* Male. [O.]

153. *Cum inimico etc.*] Sens. *Non est statim fidendum inimico. Facile dissolvitur benevolentia, ac non facile sarcitur, et ira olim tardissime senescit.* [*Erasm.*] Similiter Siracides XII, 10, *Μὴ πιστεύσῃς τῷ ἐχθρῷ σου εἰς τὸν αἰῶνα· ὡς γὰρ ὁ χαλκὸς ἰοῦται, οὕτως ἡ πονηρία αὐτοῦ.* [*Gruter.*]

154. *Cum vitia prosunt etc.*] Sens. *Cum expedit esse malos, tum nocet esse bonos, et cum praemium est malefactis, tum benefactis poena est.* [*Erasm.*] Huc pertinet Hesiodeum illud *Ἔργ.* v. 270 seqq.

Νῦν δ' ἐγὼ μήτ' αὐτὸς ἐν ἀνθρώποισι δίκαιος
Εἴην, μήτ' ἐμὸς υἱός· ἐπεὶ κακὸν ἄνδρα δίκαιον
Ἔμμεναι, εἰ μείζω γε δίκην ἀδικώτερος ἕξει. [*Gruter.*]

155. *Cogit rogando etc.*] Alibi citatur ceu Syri, ut ad illud Sidonii Lib. II. Epist. XXII.

Scribere me Augustus iubet et mea carmina poscit
Pene rogans, blando vis latet imperio.

Savaro in Notis p. 284. dicit, esse ex Publii Mimo. Sic Macrobius Sat. II. 7. *Potestas non solum si invitet, sed et si supplicet, cogit.* Ausonius in Grat. Act. *Quodque est potentissimum imperandi genus, rogabat, qui iubere poterat, Imperator Valentinianus.* Notum et Platonis illud: *Αἱ τυράννων δεήσεις μεμιγμέναι ἀνάγκαις.* [*Gruter.*]

156. *Cui nusquam domus est etc.*] Sic Zwingerus citat p. 610. At duobus verbis auctior legitur hic versus inter Trochaicos infra v. 805. [O.]

157. *Cuius mortem expetunt cives, vitam oderunt*] Ita Godofredus. Erasmus et H. Stephanus:

Cuius mortem amici exspectant, vitam oderunt.

sic explicantes: *Eius vita sit invisa oportet, cuius amici mortem optant.* Noster vero Codex Frising. sic legit: *Cuius mortem amici exspectant, vitam cives oderunt* [*Sartor.*] Sensus itaque erit: *Cuius mortem expetunt cives, illum oportet (vitiis suis vel malis moribus) se illis odiosum fecisse. Amici etc.* si legamus, haud plane absimilis erit Democratis (vel potius Democriti) sententia, quam hactenus anecdotam protulimus in Opusculis Graec. vet. sententiosis Tom. I. pag. 86. No. 66.

Ὅτεῳ μηδὲ ἀμύνουσιν ἐπὶ πολλὴν οἱ πειραθέντες φίλοι, δύστροπος. In *oderunt* penultima est brevis, ut passim, v. c. apud Terentium in prologo Eunuchi:

— — — — quam nunc acturi sumus
Menandri Eunuchum, postquam Aediles emĕrunt.

item Virgil. Eclog. IV. 6.

Matri longa decem tulĕrunt fastidia menses.

ubi vide Heyn. et Tan. Fabrum ad Phaedri IV. Fab. XIX. pag. 248. [O.] At *expĕtunt* repugnat metro. Quamobrem *expectant* recipiendum, i. e. avide cupiunt. Fortassis alludit ad Caesarem. [*Casp. Orell.*] Vide infra inter Trochaicus v. 797. [O.]

158. *Damnare est obiurgare etc.*] Sens. *Cum amicus afflictus eget auxilio, tum obiurgare non est officiosum, sed damnare est. Primum eximendus est calamitati, postea obiurgandus, quod sua culpa in eam inciderit.* [*Erasm.*] Supra v. 143.

Crudelis est in re adversa obiurgatio. [O.]

Cod. Frising. vitiose: *Damna ne obiurgare, cum auxilio est opus.* [*Sartor.*]

159. *Damnati lingua etc.*] Nullus suberat sensus scripturae MS. Frisingensis: *Damnat lingua etc.* Nam quod obtruserunt nobis alii (Sartorius), *Damnat quae lingua etc.* nihili est. Immo lingua damnati vocem quidem habet, non vim, unde aperte Quintilianus Declam. CCCLXXII. *Sera post damnationem innocentiae defensio est,* et Seneca in Medea v. 198.

Vox constituto sera decreto venit. [*Gruter.*]

160. *Damnum appellandum est etc.*] Sens. *Lucrum cum iactura famae damnum est, non lucrum.* [*Erasm.*] Est vetus Graecorum versus:

Κέρδος πονηρὸν ζημίαν ἀεὶ φέρει. [*Scaliger.*]

et in Gnom. Monostich. v. 5. (ed. Schneider.) *Ἅπαν τὸ κέρδος ἄδικον φέρει βλάβην.* [O.] In eandem sententiam monitum est Iesu Siracidae V, 10. *Μὴ ἔπεχε ἐπὶ χρήμασιν ἀδίκοις· οὐδὲν γὰρ ὠφελήσεις ἐν ἡμέρᾳ ἐπαγωγῆς.* et Phocylidis v. 5.

Μὴ πλουτεῖν ἀδίκως, ἀλλ' ἐξ ὁσίων βιοτεύειν.

Conf. Hesiod. Ἔργ. v. 319. seqq. [*Gruter.*]

161. *Damnum, nisi ex abundantia, raro venit*] Sensus esse videtur: Paupertas a damno tuta est, quia paucissimis, quae possidet, nemo invidet: contra abundantia vel divitiae maxime sunt insidiis ac damnis expositae. Eandem fere sententiam expressit Iuvenalis Sat. X. 22.

Cantabit vacuus coram latrone viator. [O.]

162. *Dari bonum quod potuit, auferri potest*] Godofredus male distinxit:

Dari bonum, quod potuit auferri, potest.

Eandem sententiam habuimus supra v. 64. sic expressam:

Auferri et illud, quod dari potuit, potest.

Conf. Seneca Epist. VIII. [O.]

163. *De inimico ne loquaris male, sed cogites*] Erasmus et Zwingerus citant *si cogites*, ita explicantes: *Si cogitas nocere inimico, cave loquaris male; cavebit enim ille. Stultum est igitur maledicere: nam si amicus est, inique facis; sin inimicus, minus illi nocebis.* [O.]

Sic Theognis v. 362.

Εὖ κώτιλλε τὸν ἐχθρόν· ὅταν δ' ὑποχείριος ἔλθῃ,
Τῖσαί νιν, πρόφασιν μηδεμίαν θέμενος. [*Gruter.*]

Alii: *De inimico loquare male si cogites*, i. e. dicas aperte quae cogitas mala de inimico. [*Sartor. et O.*]

164. *Deliberando discitur sapientia*] MS. Frising. *dicitur*, vitiose. [*Sartor.*]

165. *Deliberando saepe perit occasio*] Nam, inquit Sallustius Catil. Cap. 1. *Prius quam incipias consulto, et ubi consulueris, mature facto opus est.* [*Gruter.*]

166. *Deliberandum est diu etc.*]. *De quo non potes nisi semel statuere* (veluti in ecclesia (scil. Catholica) de matrimonio, de sacerdotio), *hoc diu deliberandum est, priusquam aggrediaris.* [*Erasm.*] MS. Frising. *Deliberandum est saepe etc.* [*Sartor.*] *dju* fortasse pro *diu* pronuntiandum, nisi forte *u* corripitur, ut in *diutius* apud Phaedrum. [*Anton.*]

167. *Deliberare utilia mora tutissima est*] *Tutissimum est esse lentas consultationes: nam praecipitata consilia plerumque sunt inauspicata.* [*Erasm.*] *mora est tutissima* legunt Erasmus et Godofredus. [O.]

169. *Deos ridere credo, cum felix vocat*] Ita et locum istum constitui: nam nihil erat sani in Cod. Frising. *Deos reddere credo, cum felix vocet.* Emendationi isti fundus fuit liber Palatinus, in quo: *Deos ridere credo, cum felix fovet.* Puto autem velle Poetam, felices non tam videri precari Deos, quum ipsos invocant, quam deridere, utpote quibus omnia iam adsint, quae vota impetrent: unde supra habuimus (v. 136.):

Contra felicem vix Deus vires habet.

Habebimusque infra ab eodem auctore (v. 558.):

Perfacile felix, quod vota imperant, facit. [*Gruter.*]

Mihi videtur sensus esse: *Deos ridere credo, cum felix* (quippe eorum auxilio non indigens) *ipsos invocet.* et sic accepit locum Schwarzius vertens:

Die Götter lächeln, wenn der Glückliche sie anruft. [O.]

170. *Despicere oportet, quidquid possis perdere*] Ita e Codd. Trinit. et Sidn. (qui tamen vitiose habent *Aspicere*) veram lectionem restituit Bentleius. Antea:

Despicere oportet, quod possis deperdere.

numeris invenustis. [O.] Sic et Xystus (Sextus) Pythagoreus Sent. 122. *Nil pretiosum ducas, quod auferre a te possit homo natus.* [*Gruter.*]

171. *Didicere flere foeminae in mendacium*] Zwingerus p. 471. et Erasmus citant:

Dediscere flere foeminam est mendacium.

quia scil. foemina nunquam hoc dediscet. MS. Frising. *Dediscere flere foemina etc.* vitiose. Quod dedimus (e correctione Scaligeri), firmatur (v. 436.):

Muliebris lacryma condimentum malitiae est. [*Gruter.*]

In mendacium flere itaque idem est quod Iuvenalis Sat. XIII. 133. appellat *vexare oculos humore coacto.* Non male Schwarzius:

Die Weiber wissen lügenhaft zu weinen. [O.]

172. *Dies quod donat timeas etc.*]. Ita MS. Frising. et Erasmus explicans: *Quod subito contingit, subito solet auferre fortuna.* Weberus non male: *Was die Zeit bringt, sie selbst verschlingt.* Britannicum autem exemplar nec non Co-

dices omnes Palatini (a Grutero collati), item H. Stephanus et Godofredus habent: *Dives quod donat timeas etc.* Quam lectionem Gruterus adstruit loco Iesu Siracidae XIII, 8. *Πλούσιος χρείαν ἔσχηκέ σου, λαλήσει σοὶ καλὰ καὶ ἐρεῖ· Τίς ἡ χρεία σου; καὶ αἰσχυνεῖ σε ἐν τοῖς βρώμασιν αὐτοῦ· ἕως οὗ ἀποκενώσῃ σε δὶς ἢ τρὶς, καὶ ἐπ᾽ ἐσχάτῳ καταμωκήσεταί σου. Μετὰ ταῦτα ὄψεταί σε καὶ καταλείψει σε, καὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ κινήσει ἐπὶ σοί.* et Plinii Panegyr. Cap. XLIII. fin. *Nonne ut regum ita Caesarum munera illitos cibis hamos, opertos praeda laqueos, aemulabantur? cum privatis facultatibus velut hausta et implicata retro secum, quidquid attigerant, referrent.* [O.]

173. *Difficilem oportet aurem habere ad crimina*] Ita Erasmus et Bentleius e Codd. Gruterus autem: *Difficilem habere oportet aurem ad crimina.* Sensus: *Ne facile credas accusanti quempiam*, ut exponit Erasmus. [O.] *crimina*, criminationes, calumnias ab improbis sparsas. [*Bothe.*]

174. *Discipulus est etc.*] I. e. *Quotidiana rerum experientia reddimur doctiores.* [*Erasm.*]

175. *Discordia fit carior concordia*] Supra v. 23. *Amantium ira amoris integratio est.* [O.]

176. *Discute quod audis omne etc.*] Sic edidi auctore Tzschuckio. Antea: *quod audias omne*, nec sensu, nec metro postulante. *Discute* i. q. examina, diiudica, ut apud Catonem Lib. IV. Distich. IX.

Quod tibi suspectum est, confestim discute, quid sit.
Namque solent, primo quae sunt neglecta, nocere.

ubi vide Arntzen. pag. 266. Metaphora ducta a vestibus. Conf. Cannegieter. ad Avian. Fab. pag. 36. Sententiam quod attinet, comparanda verba Pauli Apostoli I. Thess. V, 21. *Πάντα δοκιμάζετε, τὸ καλὸν κατέχετε.* [O.]

177. *Diu apparandum est bellum etc.*] Sens. *Qui aggrediendo nimium properant, aliquando tardius conficiunt. Mora in apparando non dispendium est, sed lucrum ad negotium cito conficiendum.* [*Erasm.*]

ut vincas celerius] Sic editores omnes, excepto Tzschuckio, qui dedit: *ut vincas celebrius.* [O.]

178. *Dolor animi gravior est etc.*] Fateor in Palat. et Frising. membranis extitisse nonnunquam versus non magnae rei, qualis est et iste: sed omnes duxi repraesentandos, tanquam si Quaestor potius essem quam Censor aut Aedilis fastidiosus. Alioquin exturbassem et hunc:

Avarus damno potius quam sapiens dolet.

aliosque plures monetae minus probatae: nisi nesciremus, quid in Mimis praecesserit, a quo vires sumpsisse poterant. [*Gruter.*]

179. *Dolor decrescit etc.*] Sens. *Cum malum venerit ad summum, tum necesse est ut fiat remissius.* [*Erasm.*] Imo *quo crescat* in ablativo accipiendum hoc sensu: *Dolor decrescit* (fit remissior), *ubi non amplius habet id quo crescat*, i. e. causam, materiam, qua crescat, ut bene reddidit Schwarzius:

Der Schmerz nimmt ab, wenn ihm die Nahrung fehlt. [O.]

180. *Ducis in consilio etc.*] Sens. *Frustra sunt fortes milites, ni ducis prudentia regantur.* [*Erasm.*] Similiter Euripides in Phoeniss. v. 728.

Καὶ μὴν τὸ νικᾶν ἐστὶ πᾶν εὐβουλία. [O.]

182. *Dum vita grata est etc.*] Frising. ita habet:

Dum est vita grata, mortis conditio est optima.

Ab hac mente est, quod ait (Pseudo-) Seneca de remediis fortuitorum: *Optimum est mori, cum iucundum est vivere.* et ibidem: *Optimum est, antequam optes, mori.* Propterea dixit Martialis:

Rebus in angustis facile est contemnere vitam:
Fortiter ille facit, qui miser esse potest. [*Sartor.*]

Sic Theognis v. 1008.

Ὃς μάκαρ εὐδαίμων τε καὶ ὄλβιος, ὅστις ἄπειρος
Ἄθλων εἰς ᾅδου δῶμα μέλαν κατέβη,
Πρίν τ' ἐχθροὺς πτῆξαι καὶ ὑπερβῆναί περ ἀνάγκῃ,
Ἐξετάσαι τε φίλους, ὅντιν' ἔχουσι νόον etc.

et Euripides ap. Stobaeum p. 882.

Ἅλις, ὦ βιοτά, πέραινε, πρίν τινα συντυχίαν
Ἢ κτεάτεσσιν ἐμοῖς, ἢ σώματι τῷδε γενέσθαι.

Conf. Seneca in Consol. ad Marciam Cap. XX. [*Gruter.*]

183. *Effugere cupiditatem etc.*] Sens. *Vincere avaritiam et iram plus est quam regnum.* [*Erasm.*] Horatius Lib. I. Epist. 12.

Si ventri bene, si lateri est, pedibusque tuis, nil
Divitiae poterunt regales addere maius. [*Gruter.*]

Idem Lib. II. Od. 2.

Latius regnes, avidum domando
Spiritum, quam si Libyam remotis
Gadibus iungas, et uterque Poenus
Serviat uni. [*Accar.*]

184. *Eget minus mortalis etc.*] Nam, ut vere Claudianus I. in Rufin. v. 201.

Semper inops, quicunque petit. [*Grut.*]

185. *Eheu quam miserum est etc.*] Ovidius (Pedo Albinovan.) ad Liviam:

Hostibus eveniat longa senecta metu.

Nam, ut infra v. 517.

Nunquam non miser est, qui, quod timeat, cogitat.

ideo v. 769.

Ubi omnis vita metus est, mors est optima. [*Idem.*]

Sens. *Miserrimum est consenescere metu mali, quod nondum advenerit.* [*Erasm.*]

186. *Eodem animo etc.*] Seneca Epist. 81. *Errat, si quis beneficium libentius accipit quam reddit.* et I. de Benef. C. 1. *Si spes mihi praecidatur gratum hominem reperiendi, mallem non recipere beneficia quam non dare.* et Lib. II. Cap. 31. *Hoc ex paradoxis Stoicae sectae minime mirabile, ut mea fert opinio, aut incredibile est, eum, qui libenter accepit beneficium, reddidisse.* [*Gruter.*]

187. *Eripere telum etc.*] Erasmus et Zwinger. pag. 254. explicant: *Irato non est danda occasio nocendi, sed potius adimenda.* [*Idem.*] Simile praecipit Sophista Doricus Dissert. III. de iusto et iniusto (in Galei Opusc. Mytholog. pag. 718. ed. Amst.): *Αὐτίκα, αἴ τις λυπηθεὶς τι τῶν οἰκήων καὶ ἀχθεσθεὶς μέλλοι αὐτὸν διαφθείρειν ἢ ξίφει ἢ σχοινίῳ, ἢ ἄλλῳ τινὶ, δίκαιόν ἐστι ταῦτα κλέψαι, αἰ δύναιτο· αἰ δὲ ὑστερίξαι καὶ ἔχοντα καταλάβοι, ἀφελέσθαι βίᾳ.* [O.]

188. *Est cupiditati etc.*] Nam, ut infra v. 369.

Longinquum est omne, quod cupiditas flagitat.

Et hanc pulchre describit Claudianus Lib. I. de Rapt. Proserp. v. 137.

Haec ubi digreditur templis (sed nulla ruenti
Mobilitas), tardos queritur nunc ire iugales,
Immeritasque movens alterno verbere pinnas
Sicaniam quaerit, cum necdum ascenderit Idam. [*Gruter.*]

189. *Est socia mortis etc.*] Egregie Plinius Lib. V. Epist. V. *Mihi videtur acerba semper et immatura mors eorum, qui immortale aliquid parant. Nam qui voluptatibus dediti quasi in diem vivunt, vivendi causas quotidie finiunt: qui vero posteros cogitant, et memoriam sui operibus extendunt, his nulla mors non repentina est, ut quae semper inchoatum aliquid abrumpat.* [*Idem.*] Bene Schwarzius:

Unrühmlich leben ist so gut als todt seyn.

homini non habet Sartorii editio. [O.]

190. *Est turba semper argumentum pessimi*] Sensus: *Vulgus, multitudo probare solet fere pessima, unde talis favor pessimi argumentum.* [*Tzschucke.*] Accarias de Serionne in Nota versioni subiecta v. *turba* interpretatur de animi perturbatione, agitatione, haec observans: Je ne sçai, si cette Sentence ne seroit pas mieux traduite aussi: *Le trouble est toujours la preuve du crime.* Sed hoc sensu *turba* absolute positum frustra quaesivi. [O.] Sic et Plutarchus de puer. educat. Opp. pag. 6. dixit: τὸ γὰρ πολλοῖς ἀρέσκειν τοῖς σοφοῖς ἐστιν ἀπαρέσκειν. [*Gruter.*] Apud Tan. Fabrum sequitur versus:

Est vita misero longa, felici brevis.

quem infra habemus sub Litera O: *O vita etc.* [O.]

192. *Et deest et superat miseris cogitatio*] *Deest cogitatio miseris, quia non vident, quo pacto possint mederi malis, et superat* (sive superest), *quia intelligunt, quid debuerint cavere, sed sero.* [*Erasm.*] Erasmi interpretationem secutus Kremsier ita vertit:

Unglücklicher, du denkst zu viel,
Und vorher dachtest du zu wenig.

Propius ad verbum Schwarzius:

Ein Kind des Unglücks denkt zu wenig und zu viel.

In genere possis interpretari: Tanta variarum cogitationum ac dubitationum mole obruuntur miseri, ut consilium salutare vix reperiri possint. [O.] Bentleius invitis libris posuit *superest* pro *superat* sine idonea causa, cum sic saepe *superat* reperiatur, et in metro utrumque locum habere possit. [*Tzschuck.*] *Superare* pro *superesse, abundare* legimus ap. Livium III. Cap. 17. *Comitia interim in foro sunt, senatus in curia est, velut cum otium superat,* et Sallustium Iugurth. Cap. 64. *cui quamquam virtus, gloria atque alia optanda bonis superabant,* ubi vide Cort. pag. 703. et ad Cap. 70. pag. 728. Cum *deesse* (ut noster) iungit Cicero de Orat. II. Cap. 19. fin. *in quo deesse aliquam partem et superare mendosum est.* Conf. Arntzen. ad Caton. Distich. III, 10. pag. 219. seq. [O.]

193. *Etiam bonum saepius obest adsuescere*] Forte *bono*, ut Gruterus etiam coniicit, i. e. bonis rebus, laetis, ut supra v. 98.

Bonarum rerum consuetudo pessima est.

Absolute enim intelligi, ut sit: *in consuetudinem venire,* an usus patiatur, dubito, certe insolitum est. [*Tzschuck.*] Palatinus vitiosissime: *Etiam bonum saepe est adsuescere.* [*Gruter.*]

194. *Etiam capillus unus etc.*] Neminem contemni vult, et qui infirmi videntur, saepe esse pugnaces. Erasmus in Adag. Chil. III. Cent. V. 32. explicat: *pusillum commodum iuvat, exiguum delictum nocet.* et Zwingerus p. 1348. dicit: *nihil esse adeo minutum, quod non possit aliquid.* Umbram vero cum ait, videtur innuere, nihil tam vile esse, quod non aliquando usum praebere sui possit; et sic certe mus, infirmum animal, leonem corroso loro liberavit, ut narrat Aesopus. [*Idem.*]

195. *Etiam celeritas etc.*] *Cupienti enim festinatio videtur mora.* [*Erasm.*] Supra v. 180.

Est cupiditati et ipsa tarda celeritas.

et Seneca in Agamemn. v. 421.

Omnisque nimium longa properanti mora est. [*Gruter.*]

196. *Etiam hosti est aequus etc.*] Sens. *Qui sequitur quod dictat fides, non quod dolor, is etiam hostibus erit aequus.* [*Erasm.*] Bene Schwarzius:

Wer Treu und Glauben schützt, ist gegen Feinde billig. [O.]

Seneca Lib. II. de Clem. Cap. VII. de sapiente: *Hostes dimittet salvos, aliquando etiam laudatos, si honestis causis, pro fide, pro foedere, pro libertate in bellum accincti sunt.* [*Gruter.*] Sed proxime tamen ad nostrum Euripides in Heraclid. v. 998. ubi Alcmena:

— — — — — *καὶ γὰρ ἐχθρὸς ὢν*

Ἀκούσεται μὲν ἐσθλὰ, χρηστὸς ὢν ἀνήρ. [O.]

197. *Etiam innocentes etc.*] Sens. *In tormentis saepe mentiuntur et innocentes, adacti cruciatu.* [*Erasm.*] Weberus: *Die grosse Pein auszwingen kann die Lügen auch dem frommen Mann.* [O.]

198. *Etiam in peccato recte praestatur fides*] Erasmus et Zwingerus legunt *Etiam peccato*, omisso *in*, explicantes: *Adeo servanda est fides, ut etiam malis in rebus aliquando praestanda sit.* Bene Schwarzius:

Wort muss man auch, und wär' es Sünde, halten. [O.]

199. *Etiam oblivisci, qui sis, interdum expedit*] Adiunctum vides et alterum versum, qui nihil variat ab isto, quam voculis duabus *quod scis.* Et hoc et illud erat in MSStis nostris; estque utrique sua veritas, sua venustas. [*Gruter.*] *qui sis* edidit Bentleius e Codice Caiano. Gruter. *quod sis.* Cod. Frising. *quid sit.* Male. Sensus (ut bene Erasmus explicat): *Expedit aliquoties meminisse magis, quid praesens tempus et res postulet, quam tua dignitas.* [O.]

200. *Etiam oblivisci quod scis i. e.*] Sens. *Quaedam huiusmodi sunt, ut sint dediscenda vel potius obliviscenda.* [*Erasm.*] *Oblivisci quod scis* h. l. i. q. *simulare nescire* vel *oblitum esse quae sciveris, thun als wüsste man nicht was man weiss.* Ita Plautus in Milite Act. II. Scen. VI. v. 89.

Etiam illud quod scis, nesciveris.

et Terentius Heaut. IV. 4.

Tu nescis quod scis, Dromo, si sapies.

quae loca apposite citat Gruterus. [O.]

201. *Etiam qui faciunt oderunt iniuriam*] Frising. *Et qui faciunt etc.* [*Sartor.*] Nolunt sibi fieri iniuriam etiam qui faciunt aliis. [*Erasm.*] Sic Codd. plerique, *oderunt* penultima brevi vide supra ad v. 157. Erasmus et Scaliger *odio habent.* Bentleius correxit *oderint iniuriam*, i. e. odisse vellent, si ab alio fieret. Melch. Goldastus in Notis ad Parae-

neticos vet. Tom. I. pag. 249. in Codicibus quibusdam et editionibus vetustissimis reperisse se testatur *odiunt iniuriam,* quod non plane reiiciendum videtur tanquam formatio insolentior. Dixerunt enim vetustiores etiam *odio, ire,* pro *odi, isse.* Antonius Epistola ad Hirtium apud Cic. Philipp. XIII. Cap. 19. *Mihi quidem constat, nec meam contumeliam, nec meorum ferre: nec deserere partes, quas Pompeius odivit.* Conf. Festus in *Osi sunt.* [O.] Apud Tertullianum quidem legimus *oditur,* ap. Hieronym. *odiremur.* Sed *odiunt* nullum exemplum habet, quo se tueri possit. Unice verum itaque *oderint* vel, quod magis placet, *oderunt.* [*Casp. Orell.*] Seneca IV. de Benef. Cap. 17. *Quis est, qui non beneficus videri velit, qui non inter scelera et iniurias opinionem bonitatis affectet? qui non ipsis, quae impotentissime fecit, speciem aliquam induat recti? velit quoque iis videri beneficium dedisse, quos laesit?* [*Gruter.*]

202. *Etiam sanato etc.*] Suetonius in vita Claudii Cap. XVI. narrat de eo, quod, cum peroratus a quibusdam amicis dempsisset cuidam appositam notam, dixerit: *Litura tamen extstet.* Et bene ad Syrum nostrum Seneca de Benef. Cap. 26. *Nunquam cicatrix, nisi collato vulnere, placuit: quod ita coisse gaudemus, ut non fuisse mallemus.* [*Idem.*]

203. *Etiam tyrannus etc.*] Unde tyranni vox apud Senecam in Thyest. v. 215.

Ubicunque tantum honesta dominanti licent,
Precario regnatur.

et Alexander apud Curtium IX, 3. *Mori praestat, quam precario imperatorem esse.* [*Idem.*]

204. *Et miseriarum portus etc.*] Sirac. I, 21. *Ἕως καιροῦ ἀνθέξεται μακρόθυμος, καὶ ὕστερον αὐτῷ ἀναδώσει εὐφροσύνην.* [*Idem.*] Aliter vetus versus:

Λιμὴν ἀτυχίας ἐστὶν ἀνθρώποις τέχνη. [*Scaliger.*]

205. *Excelsis multo facilius etc.*] Sens. *Ex alto cadentibus periculosior est ruina. Ita periculosius deiicimur ex alta fortuna.* [*Erasm.*] Seneca in Hercule Oetaeo v. 691.

Male pensantur magna ruinis.

et v. 697. *Transit tutos Fortuna sinus,*
Medioque rates quaerit in alto,
Quarum feriunt suppara nubes.

Iuvenalis Sat. X. v. 105. de Seiano:

— — — *Nam qui nimios optabat honores*
Et nimias poscebat opes, numerosa parabat
Excelsae turris tabulata, unde altior esset
Casus et impulsae praeceps immane ruinae. [*Gruter.*]

Idem antea Apollodorus Comicus extulerat:

Οἴκου δὲ μεγάλου πτῶμα γίνεται μέγα. [*Scalig.*]

Elegantissime Horatius Lib. II. Od. X.

Saepius ventis agitatur ingens
Pinus, et celsae graviore casu
Decidunt turres, feriuntque summos
Fulmina montes. [*Accurs.*]

206. *Exeritur opere nequitia etc.*] Infra v. 447.

Naturam abscondit, cum recte improbus facit.

Sic Suetonius in Tiberio Cap. 57. iam in eo puero notatam fuisse scribit saevam ac lentam naturam, unde et Theodorus Gadarenus Rhetoricae praeceptor eum appellaverit

πηλὸν αἵματι συμπεφυρμένον. [*Gruter.*] Egregie hanc in sententiam Iuvenalis Sat. XIII. v. 208. seqq.

Has patitur poenas peccandi sola voluntas.
Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet. [*Açcar.*]

207. *Ex hominum quaestu etc.*] Sens. *Studium luci facit, ut fortuna credatur esse dea.* Aut legendum: *Ex questu i. e. querimonia.* Nam illi imputant, si quid acciderit adversi. [*Erasm.*] At unice verum *ex quaestu* i. e. ex lucri cupiditate ut bene Schwarzius:

Der Menschen Habsucht hob das Glück zur Göttin.

Nec male Weberus:

Der Wucher hats allein gemacht,
Dass man das Glück vor Göttin acht.

Ceterum comparandi cum hac sententia Iuvenalis versus elegantissimi Sat. X. 365. seq.

Nullum numen habes, si sit prudentia: nos te
Nos facimus, Fortuna, deam, coeloque locamus. [O.]

208. *Exilium patitur etc.*] Frising. *Exilium pati est, patriae qui se denegat.* Erasmus mutavit, sequente H. Stephano:

Se denegare patriae exilium est pati.

explicans: *Qui latet et non versatur in republica, sua sponte exul est.* [O.]

209. *Ex lite multa gratia fit formosior*] Nescio an verum dicat. Placeret magis: *Ex lite amantum gratia fit formosior.* Sed non ita est in libris, adstringendusque forsan ad hos sensus versus. [*Gruter.*] Supra v. 23.

Amantium ira amoris integratio est.

gratia itaque h. l. i. q. *reconciliatio.* Cicero pro Rabirio Cap. VIII. *Quem ex tantis inimicitiis receptum in gratiam summo studio defenderim.* [O.] Malim: *Ex lite multo gratia fit formosior* i. e. multo formosior quam fuerat ante litem. [*Casp. Orell.*]

210. *Ex praemii spe etc.*] Ut Iambus constituatur, legendum cum Iac. Thomasio praefat. ad Muret. Opera pag. XXXVI. ed. Ruhnken. *Ex spe praemi laboris fit solatium.* Vide infra ad v. 536. [O.]

211. *Extrema semper etc.*] Ita plane ex Procopio Stobaeus (imo Antonius et Maximus Serm. de virtute et vitio): Ἀνδρὸς ἀρετὴν οὐκ ἀρχόμεναι δηλοῦσιν αἱ πράξεις, ἀλλὰ τελευτῶσαι μηνύουσιν. [*Gruter.*] Sensus itaque: Ultima exspectanda et consideranda, si quis recte velit iudicare. [*Tzschuck.*]

212. *Ex vitio alterius etc.*] Horat. I. Serm. IV.

— — — *Avidos vicinum funus ut aegros*
Exanimat, mortisque metu sibi parcere cogit,
Sic teneros animos aliena opprobria saepe
Absterrent vitiis.

et Tibullus III. Eleg. VII.

— — — — — — *Felix quicunque dolore*
Alterius disces posse carere tuo. [*Gruter.*]

213. *Exigua pars est vitae etc.*] Languida sententia, quam a Grutero omissam subiicit Tan. Faber. [*Tzschucke.*] Imo elegantissima et viro sapiente dignissima sententia, cuius vim minime perspexit Tzschuckius. Dicere vult Publius: *Vitae nobis concessae exigua pars est, quam vere vivimus,* i. e. quam implemus (signamus quasi) bonis actionibus. *Nam,* inquit Seneca Epist. I. *quaedam tempora eripiuntur nobis, quae-*

dam subducuntur, quaedam effluunt — — — *et magna vitae pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.* [O.]

214. *Facilitas animi ad partem stultitiae rapit*] Sens. *Facile adducitur ad vitia, qui facilis est animo, ut Micio ille Terentianus, qui ob facilitatem sexagenarius novus factus est maritus.* [*Erasm.*] Contrarium habemus infra v. 267.

Gravis animus dubiam non habet sententiam. [*Gruter.*] *ad partem stultitiae* interpretor non *ad factionem quasi stultitiae* (*zu der Seite, Parthey der Thorheit*), sed proprio sensu: εἰς μέρος τι μωρίας. Verterim: *zu manchen dummen Streichen.* [O.]

215. *Facilius crescit etc.*] Sunt verba Senecae Epist. CI. *Senecionem Cornelium equitem Romanum splendidum et officiosum noveras. Ex tenui principio se ipse promoverat, et iam illi declivis erat cursus ad caetera. Facilius enim crescit dignitas, quam incipit.* [*Gruter.*]

216. *Facit gratum fortuna, quem nemo videt*] Sic Scaliger et Gruterus, ut sensus sit: *Fortuna facit invidiosum, nisi lateat, ergo dissimulanda est,* quod praecipit Thales apud Stobaeum Serm. III. Τὴν εὐτυχίαν κρύπτε φθόνον φέρειν, (Vide Opusc. vet. Graec. sententios. Tom. I. pag. 142.) interprete Erasmo. Scaliger autem explicat: Dives etiam ignotus de facie gratus est, h. e. Omnes favent divitibus, quantumvis alioqui non dignis ac ne notis quidem. *Fortuna* itaque h. l. i. q. ὄλβος. II. Stephanus edidit: *quam nemo videt*, et sic unus e Codd. Bentleii, i. e. occulta, latens fortuna cui contingit, eum gratum facit, quia sic aliorum effugit invidiam. Bentleius invitis Codd. ex ingenio reposuit:

Gratum facit Fortuna, cui nemo invidet.

Bipontini habent: *Facit gradum Fortuna, quem nemo videt.* quam lectionem secutus est Schwarzius vertens:

Des Glückes Schritt geschieht ganz unbemerkbar.

i. e. Fortuna eos, quibus favet, saepe per res minutas nulliusque oculis expositas ad summos honores et divitias evehit. [O.]

217. *Factum tacendo etc.*] Plinius Lib. IV. Epist. IX. *Praeterea rem manifestam inficiari, augentis erat crimen, non diluentis.* [*Gruter.*] Frising. *Ictum tacentem crimen f. a.* nullo sensu, ex quo tamen elicere possis veram lectionem:

Fictum tacendo crimen facias acrius.

vel, quod magis placet, quodque ex veteribus schedis protulit Salmasius ad Ael. Lamprid. Commod. Cap. VII. Hist. August. Tom. I. pag. 492. (ed. Lugd. Bat.)

Iactum crimen tacendo facias acrius.

Iacere crimen pro criminari eleganter et latine dictum. Vide Burmann. ad Sueton. Neron. 38. Tom. II. pag. 89. [O.]

218. *Falsum maledictum etc.*] Sens. *Qui conviciatur et mentitur, is malitiose mentitur.* [*Erasm.*] Frigida omnino sententia. [O.]

219. *Famam curant multi etc.*] Supra v. 129.

Conscientiae potius quam famae attenderis.

Egregie Seneca de vita beata C. XX. *Nihil opinionis causa, omnia conscientiae faciam: populo spectante fieri credam, quidquid me conscio faciam.* [*Gruter.*]

220. *Fatetur facinus is etc.*] *Qui detrectat iudicium,*

indicat se sibi male conscium esse. [*Erasm.*] Frising. *Fatetur facinus is, qui iudicium facit,* corrupte. [*Sartor.*]

221. *Felicitas nutrix est iracundiae*] Est Seneca II. de Ira Cap. 21. *Felicitas iracundiam nutrit, ubi aures superbas assentantium turba circumstetit.* [*Gruter.*]

223. *Felix improbitas etc.*] *Quoties fortuna favet improbis, boni atteruntur et minuuntur.* [*Erasm. et Tzschucke.*] Salomon Proverb. XXVIII. 28. *Erectis improbis abscondit se homo; sed pereuntibus illis augentur iusti.* [*Gruter.*]

224. *Fer difficilia, facilia levius perferes*] Sic Gruterus, metro repugnante. Scaliger hoc modo:

Fer difficilia, ut et facilia perferas.

Atque ita Sidneianus, nisi quod ante *perferas* inserat *levius.* Cottonianus autem:

Feras facilia, ut facilius levius perferas.

Credo ab Auctore fuisse:

Feras facilia, ut difficilia perferas. [*Bentlei.*]

Vulgata cum metro repugnet, defendi vix potest, quamvis multo sit exquisitior emendatione Bentleii, hoc sensu: *Assuefacias te ab initio ferre difficiliora, ut eo levius* (i. e. aequiore animo) *feras faciliora, quae in vita occurrunt.* Gruterus apposite citat locum Quintiliani Inst. Lib. II. Cap. 2. *Difficiliora enim debent esse, quae exercent, quo sit levius ipsum illud, in quod exercent, ut athletae ponderibus plumbeis assuefaciunt manus, quibus vacuis et nudis in certamine utendum est.* quare praefero equidem coniecturam patruelis mei Io. Caspari Orellii, legentis:

Fer difficilia, facilia leviter (vel *levius*) *feres.* [O.]

Eandem fere sententiam expressit Iuvenalis quoque Sat. XIII.

— — — — — — — — *Dicimus autem*
Hos quoque felices, qui ferre incommoda vitae
Nec iactare iugum vita didicere magistra. [*Accar.*]

225. *Feras, non culpes, quod mutari non potest*] Sens. *Quod mutari corrigique non potest, id tacite ferendum est, non vituperandum.* [*Erasm.*] Ita Macrobius II. Sat. Cap. 7. et Cod. Frising. Gellius Lib. XVII. Cap. XIV. citat *quod vitari non potest.* [*Sartor.*] Terentius in Adelph. IV. 7.

— — — — — — — D. *Caeterum*
Placet tibi factum, Micio? M. *Non, si queam*
Mutare: nunc cum non queo, aequo animo fero. [*Grut.*]

Similiter Euripides in Oreste v. 1023.

— — — οἰκτρὰ μὲν τάδ', ἀλλ' ὅμως
Φέρειν σ' ἀνάγκη τὰς παρεστώσας τύχας. [O.]

226. *Feras quod laedit etc.*] *Ut potiare commodo, feras incommodum.* [*Erasm.*] In Frising. vitiose legitur: *Feras quod laedit, ut quod prodest feras.* Godofredus ita habet:

Feras quod laedit, ut quod prodest perferas.

Non male, ut sit *perferas* i. q. ut eo diutius et ad finem usque bono fruaris. [O.] Similiter Plautus Asin. Act. II. Scen. II. 58.

Fortiter malum qui patitur, idem post patitur bonum. [*Gruter.*]

227. *Fidem nemo unquam perdit etc.*] Sens. *Pecuniam non perdit, nisi qui habuit. At fidem is dicitur per-*

didisse, *qui non habuit*, *i. e. qui perfidus fuit.* [*Erasm.*] *Unquam* omissum est in editione Sartorii. Male. [O.]

228. *Fidem qui perdit, perdere ultra nil potest*] Frising. et H. Steph. *F. q. p. nil potest ultra perdere.* [O.] *Omnia perdidit, qui fidem perdidit.* Nam, ut poeta canit,

Omnia si perdas, famam servare memento,
Qua semel amissa postea nullus eris. [*Erasm.* et *Gruter.*]

229. *Fidem qui perdit, quo se servet reliquo?*] Ita Bentleius, optime, i. e. *servari possit.* Gruter. *quo se servat reliquo?* ex MStp. Erasmus: *quo se servat in reliquum?* Frising. *quo se servet non est relictum.* [O.] Sens. *Qui perdit pecuniam, habet alia, in quae se servet, qui fidem, nihil habet, cui se servet.* [*Erasm.*] Atqui constructio est: *fidem qui perdit, quid habet reliquum, quo* (i. e. *per quod*) *se servet?* ut bene reddidit Schwarzius:

Womit schützt sich forthin, wer das Vertraun verlor? [O.]

230. *Fides ut anima etc.*] Sens. *Ut vita semel amissa nunquam revertitur, sic nec fides.* [*Erasm.*] Codex Frising. *Fides unanima etc.* vitiosissime et nullo sensu, quam tamen lectionem retinuit Scaliger in Graeca versione exprimens: ὁμόφρων πίστις. [O.]

unde abiit] *unde abit* in praesenti metri causa legendum est. [*Anton.*]

231, *Formosa facies muta commendatio est*] Aristoteles apud Laertium: τὸ κάλλος παντὸς ἐπιστολίου συστατικώτερον. [*Scalig.*]

232. *Fortuna cum blanditur etc.*] Sens. *Insidiatur Fortuna, cum blanda est, ita tum maxime habenda est suspecta, cum maxime prospera est.* [*Erasm.*] Quam ideo *nunquam simpliciter indulgere* dixit Curtius IV, 14. Eamque idcirco increpat Seneca in Octavia v. 378.

Quid me, potens Fortuna, fallaci mihi
Blandita vultu, sorte contentum mea,
Alte extulisti, gravius ut ruerem, edita
Receptus arce, totque prospicerem metus?

Conf. Boethius de Consol. Philosoph. Lib. II. Prosa VIII. [*Gruter.*] *Captatum venit* i. e. venit, ut captet et perdat. Sic supra v. 172. *Dies — cito raptum venit.* Eandem fere sententiam exprimit Iuvenalis Sat. VII.

Si fortuna volet, fies de rhetore consul;
Si volet haec eadem, fies de consule rhetor. [O.]

233. *Fortuna plus homini quam consilium valet*] Codices nostri *Fortuna homini plus* vel *homine.* Repone:

Fortuna in omni re plus quam consilium valet.

vel:

Fortuna ad omne plus quam consilium valet. [*Bentlei.*]

Hactenus tantum habuimus: *Fortuna nulli plus quam consilium valet.* Sed et alterum illud verum esse, omnia clamant, exstabatque diserte in MSS. tum Palat. tum Frising. [*Gruter.*] Cod. Frising. *Fortuna hominis plus etc.* Sartorius coni. *Fortuna nemini plus etc.* Mihi alterutra sententia suspecta videtur. Genuinam puto: *Fortuna plus homini etc.* De vi Fortunae in res humanas pleni sunt veterum libri. [O.]

234. *Fortuna ius etc.*] i. e. *Virtus auferri nequit.* Est autem Senecae Epist. 36. *In mores Fortuna ius non habet.* [*Gruter.*]

235. *Fortuna magna etc.*] Est Senecae in Consol. ad Polyb. Cap. 26. *Multa tibi non licent, quae humillimis et in angulo tacentibus licent. Magna servitus est magna fortuna. Non licet tibi quidquam arbitrio tuo facere.* [*Idem.*] Haud absimile dictum illud Antigoni regis ad filium violentius se et insolentius gerentem in subditos: *Οὐκ οἶσθα, ὦ παῖ, τὴν βασιλείαν ἡμῶν ἔνδοξον εἶναι δουλείαν;* teste Aeliano Var. Hist. II. 20. Nec abludunt Iuvenalis verba Sat. XIV.

— — — — misera est magni custodia census. [*Accar.*]

236. *Fortunam citius reperias quam retineas.*] *Difficillimum est retinere fortunam, ne mutetur: et maior virtus est tueri parta quam parare.* [*Erasm.*] Scaliger et Tanaquil. Faber ediderunt: *Fortunam citius vel rapias quam retineas,* quod mihi quidem videtur multo validius et significantius: *rapias* i. q. fugientem et quasi praetervolantem arripias. Verterem: *Du möchtest es eher im Flug erhaschen.* Scaliger in Append. edit. Havercamp. pag. 564. graece sic vertit:

Τύχης λαβέσθαι μᾶλλον ἔστιν, ἢ κρατεῖν. [O.]

237. *Fortuna nimium quem fovet etc.*] Sens. *Magnae felicitatis comites sunt stultitia et arrogantia.* [*Erasm.*] Infra v. 735.

Stultitiae partem interdum habet felicitas. [*Gruter.*]

238. *Fortuna nulli etc.*] *Consilium plus efficit quam felicitas.* [*Erasm.*] Pugnare videtur haec sententia cum v. 233. sed utroque modo probatur. Nempe: *Fortuna plus saepe efficit quam consilium, sed nemo temere illi quam huic plus tribuat.* [*Tzschucke.*] Sed vide quae ibi observavimus. [O.]

239. *Fortuna nos vincit etc.*] In hunc sensum Horatius I Epist. II. 63.

— — — — Animum rege, qui, nisi paret,
Imperat; hunc fraenis, hunc tu compesce catena. [*Gruter.*]

240. *Fortuna obesse nulli etc.*] *Nullum malum venit sine incursu alterius mali.* [*Erasm.*] In Monostichis 301. est:

Metue sinistram, sola namque non venit.

et Seneca in Troad. v. 425.

Exoritur aliquid maius e magno malum.
Nondum ruentis Ilii fatum stetit.

nec non Cicero pro Sylla: *Urget eadem fortuna, quae coepit; repetit novum moerorem; non patitur hominem calamitosum uno modo afflictum, uno in luctu perire.* [Gruter.] Tritum proverbium apud Germanos: *Das Unglück kommt nie allein.* [O.]

241. *Fortuna quo se, eodem et inclinat favor*] Non abludit Propertii illud Lib. III. Eleg. XII.

Aurea nunc vere sunt secula; plurimus auro
Venit honos,

et Petronii:

Cum fortuna manet, vultum servatis, amici,
Cum cecidit, turpi vertitis ora fuga,

Ovidii etiam Fast. I. v. 217.

In pretio pretium nunc est; dat census honores,
Census amicitias: pauper ubique iacet. [*Accar.*]

242. *Fortuna vitrea est etc.*] *Vitrum cum maxime lucet, tum facillime frangitur. Ita splendidissima fortuna minime durabilis est.* Sic Erasmus, qui dedit: *quae cum splendet*

frangitur. Weberus hunc versum reddidit proverbio illo tritissimo: *Glück und Glas, wie bald bricht das!* [O.] Seneca Epist. 91. *Quid enim est, quod non Fortuna, cum voluit, a florentissimo detrahat? quod non eo magis aggrediatur et quatiat, quo speciosius fulget.* et Augustinus de Civ. Dei IV. 3. *Ut vitro laetitia eorum comparetur fragiliter splendida.* Horatius quoque *Famam* vocat *vitream* II. Sat. III. 223.

— — — — — — *quem cepit vitrea Fama.* [*Gruter.*]

243. *Fortuna unde aliquid fregit, cassum penitus est*] Haec est scriptura Codd. meliorum. Hactenus circumlatum est *quassum.* [*Gruter.*] Godofredus *casus est.* Male. Schwarzius vertit:

Das, was das Glück zerbrach, ist ganz zerbrochen.

minus bene exprimens verba *unde aliquid fregit.* Verterem: *Wovon das Glück was abbrach*, vel, *Woran das Glück was brach, das bricht bald ganz in Stücken.* Nam, ut paulo ante dixerat Publius: *Fortuna obesse nulli contenta est semel,* et felix, si quando laeditur, animum despondet statim. Eandem sententiam exprimit Ovidius II. Trist. v. 83.

Cum coepit quassata domus subsidere, partes
In proclinatas omne recumbit onus;
Cunctaque Fortuna rimam faciente dehiscunt:
Ipsa suo quondam pondere tecta ruunt.

quem locum elegantissimum opportune citat Gruterus. [O].

244. *Fortuna usu dat etc.*] Hic versus vel ex Seneca pro Publiano mimo concinnatus est, vel ad Publianum mimum respexit Seneca Epist. 73. cum ait: *Nihil dat fortuna mancipio.* [*Sartor.*] Idem ad Polyb. Cap. 29. *Rerum natura illum tibi, sicut caeteris fratribus, non mancipio dedit, sed commodavit: cum visum est, deinde repetiit, nec tuam in eo satietatem secuta est, sed suam legem.* Conf. Boethius de Consol. Lib. II. Prosa 2. [*Gruter.*] *mancipio* itaque i. q. tanquam proprium et perenne. [*Tzschuck.*]

245. *Fraus est accipere etc.*] Sensus: *Dolus est accipere beneficium a quoquam, cui non possis tantundem reddere.* [*Erasm.*]

246. *Frequens vindicta etc.*] Sequor Scaligeri lectionem; nam Godofredus ita habet: *Frequens vindicta paucorum odium reprimit, omnium irritat.* Est autem Senecae de Clem. I. 8. [*Sartor.*]

247. *Frugalitas miseria est rumoris boni*] Hunc rursum addidi ex Gellio. *Esse frugalem rumor quidem bonus est: sed infelix et parum vulgo laudatus: cui profusio magis placet.* Nisi mavis *miseriam* accipere pro *penuria, inopia.* Nam tum erit sensus: *Qui laudatur frugalis, is non laudatur.* Tertius sensus argutissimus est: *Frugalitas est parsimoniae vitium, sed sub honesto laudatoque nomine.* [*Erasm.*] Haec est lectio vetustissimorum Codd. et editionum Gellii et Macrobii merito in textum revocata a Bentlejo, cuius annotationem, immixtis Scaligeri aliorumque interpretum nostrisque etiam observationibus, integram hic exscribere liceat. „Scaliger (ad Manilium pag. 411. ed. Boecler. e Codice MSto Excerptorum Gellii) edidit *Frugalitas est inserta rumoris boni*, ut sit *inserta* vel *emblema*, ut in annulo, vel *instita*, ut in veste. (Graece *κόσμος ἀπὸ τ' ἐσθῆτος.*) Frugalitas ergo est ornamentum vel accessio bonae famae. (Similiter infra in Publii Fragmento ex Petronio *probitas est carbunculus.* O.) Atqui illud *inserta, ae,*

nusquam alibi Latinis cognitum (praeterquam Tertulliano Lib. de Idololatria: *Si fidelis literas doceat insertas idolorum praedicationis.* et. ibid. *Caeterum purpura vel caeterae insignia dignitatum insertae dignitati et potestatibus idololatriae ab initio dicata.* quae loca citavit Scaliger. O.) nec sententia illa quidquam habet Publiani coloris. Plerique Codd. habent:

Frugalitas est incerta rumoris boni.

Atque hanc lectionem Salmasius ad Solinum p. 789. probat, quia Frugalitas nonnunquam Avaritiae famam habet, ab his laudatur, ab illis culpatur. Nec tamen aut bene Latine hoc dicitur, aut ad Publii acumen et elegantiam attingit. Repone, quod in Codice Macrobii Cottoniano mille annorum reperi:

Frugalitas miseria est rumoris boni.

Frugaliter nempe vivere perinde est ac parce, duriter, misere vivere, nisi quod cum rumore fit bono. (non malo, ut in avaro.) Ita hic accipitur miseria, ut apud Terent. Heautont. III. 2.

Sed habet patrem quendam avidum, miserum atque aridum.

et Plaut. *parce ac misere victitare. Miseria rumoris boni,* ut *Res ingentis exempli.* Porro in hac sententia non laudari sed infamari Frugalitatem, testem dico Io. Sarisberiensem, ante annos DCC seculi sui doctissimum, Policrat. VIII. 13. *Luxuriam persequi videor ad laudem Frugalitatis: mihique ab insulsis, inepte viventibus et indiscrete loquentibus illud Publii Clodii subsannando ingeritur, quia Frugalitas rumoris boni miseria est.* Sic ibi Codices, poscente etiam sententia. Editores tamen ibi quoque dederunt *Inserta.*" Haec Bentleius. Gronovius ad Gellium Lib. XVII. Cap. 14. leg. coni.

Frugalitas maceria (i. e. sepes quasi et munimentum) *est rumoris boni.*

idem vero testatur, in omnibus, quos consuluerit, Gellii codicibus legi *miseria*, quamvis in recentioribus et Gellii et Macrobii editionibus legatur *inserta* e correctione Scaligeri, quam secuti sunt et Germani interpretes, Weberus et Schwarzius, vertentes ille:

Im guten Nahm' die Mässigkeit
Ist wie die Borte auf dem Kleid.

hic vero:

Des guten Rufes Krone bleibt die Mässigung.

Ipse Scaliger graece reddidit:

Λιτὴ δίαιτα πάρυφός ἐστ' εὐδοξίας.

Kremsier tandem secutus lectionem Erasmi, *miseria*, duplicem addidit versionem, primam:

Sey sparsam: und wer rühmt es nicht?
Doch viel musst du dabey verleugnen.

alteram autem minus bonam:

Du Armer! sparsam nur darfst du
Mit deinem guten Rufe wuchern. [O.]

248. *Frustra rogatur etc.*] Sens.: *Qui non potest mollescere precibus, quid opus est hunc rogare?* [*Erasm.*] Ita Hector, nolens preces suas apud Achillem frustra perire, dicit secum apud Homerum Il. X. 123.

Μή μιν ἐγὼ μὲν ἵκωμαι ἰών, ὁ δέ μ' οὐκ ἐλεήσει. [*Gruter.*]

249. *Furor fit laesa saepius patientia.*] Et hoc carmen citatur a Gellio (et Macrobio). Sens.: *Lenes cum saepius provocantur, tandem irritati gravius irascuntur, quia rarius et serius commoventur.* [*Erasm.*] Apud Ioannem Sarisbe-

riensem Policrat. VIII. Cap. XIV. legitur *lata patientia* i. e. nimia, *zuweit ausgedehnt*, qua improbi abutuntur. [O.]

250. *Futura pugnant, ne se superari sinant*] Sic Gruterus. Non intelligo, nisi sensus insit: *Futurum tempus eadem refert, ne a praeterito superetur.* [*Tzschuck.*] Weberus vertit: *Das Unglück, so nachschleicht, nimmer dem ersten weicht.* At multo melior sensus exit, si cum Erasmo legamus: *Futura pugnant, ut se superari sinant*, i. e. ut ipse interpretatur: *Sic instant futura mala, ut tamen vinci vitarique possint prudentia.* Schwarzius vertens:

Was uns bevorsteht, kämpft, damit wir es besiegen.

in notis sic explicat: Futura (mala quae exspectamus) pugnant cum nobis vires nostras acuentia et exercentia, ut ea superare possimus. Nec male Kremsier:

Die Zukunft drohet dir mit Kampf.
O zweifle nicht, sie zu besiegen. [O.]

251. *Geminat peccatum etc.*] Nilus in Paraenesi §. 95. (in Opusc. Graec. vet. sententios. Tom. I. p. 330.) Ὅταν φαῦλα πράττων ἐπ' αὐτοῖς μὴ αἰσχύνεται, βαρύνει τὸ τραῦμα, καὶ τὸ πτῶμα εἰς ἀπόγνωσιν ἔρχεται. [*Gruter.*]

253. *Grave crimen etc.*] Suspectum enim hominem facit, ut ei in posterum diffidatur. Veluti si quis apud Anglos vel ioco vocet aliquem proditorem, non caret periculo ob odium criminis. [*Zwinger. et Erasm.*]

cum leviter est dictum, nocet] Lege *quum leve est dictum.* Nam Adverb. *leviter*, quod vulgo legitur, non convenit huic loco. [*Anton.*]

254. *Grave iudicium est quod praeiudicium non habet*] Multum nempe refert, qua vitae fama, quo favore vel odio ——— quis in iudicium descenderit, sed nisi excutias iudicio, id ipsum facit cupidum et temere vel laedit vel ornat eum, de quo iudicatur. Itaque et hic versus et sequens stare potest. Contra Tan. Faber alterutrum tollendum censebat. Mallet tamen priorem. [*Tzschuck.*] Sensus itaque: Grave i. e. iniquum iudicium est, quod fit ab instanti, nec ullo praeiudicio (vel praecognitione) antegressa, i. e. non diligentissime antea considerata in utramque partem causa rei vel nocentis vel insontis. Minus bene Schwarzius:

Ein Urtheil ohne Vorurtheil ist wichtig. [O.]

255. *Grave praeiudicium est, quod iudicium non habet*] Post praeiudicia sequuntur iudicia, in quibus excutiuntur praeiudicia. At *grave est illud praeiudicium, quod non sequitur aliud iudicium, sed ipsum iudicii loco est, neque excutitur melius:* veluti, si princeps prae se ferat animum inimicum in quempiam, nullus est iudex, qui secus ausit iudicare. [*Erasm.*] Minus bene Schwarzius:

Ein Vorurtheil, dem's Urtheil fehlt, ist schwer.

Kremsier:

Hart ist's, muss Vorurtheil den Richter machen.

Melius Weberus:

Urtheil ohn' ordentliches Recht
Thut zu viel manchem armen Knecht. [O.]

256. *Gravis animi poena est, quem post facti poenitet*] Sen.: *Magnam poenam dedit, quem poenitet facti.* [*Erasm.*] Ita Scaliger cum Grutero. Godofredus autem et H. Stephan. *quem post factum poenitet.* [O.]

257. *Gravis animus dubiam etc.*] Nam, ut Terentius in Andr. I. v. 31.

Dum in dubio est animus, paulo momento huc illuc impellitur.

Virum autem certum et constantem certa habere consilio dicunt Erasmus et Zwinger. De tali viro ita Seneca de vita beata Cap. VIII. *Fiducia eius non sine scientia sit, non sine constantia. Maneant illi semper placita, nec ulla in decretis eius litura sit. Gravis animus* itaque h. l. i. q. *firmus, constans.* [*Gruter.*] Sic apud Cic. pro Roscio Comoed. C. 12. *Quod apud omnes leve et infirmum est, id apud iudicem grave et sanctum esse ducetur.* [O.]

258. *Gravior est inimicus etc.*] Ita Cod. Frising. et Scaliger. Erasmus et Godofredus: *Gravior inimicus, qui latet sub pectore,* i. e. ut bene explicat Erasmus: *Affectus vitiosus maxime nocet homini; at is latet sub* (vel *in*) *pectore, nec potest excuti.* Bene Kremsier: *In unsrer eignen Brust lauscht unser ärgster Feind.* Sic Demophilus Sent. 31. Ὅσα πάθη ψυχῆς, τοσοῦτοι οἱ ὠμοὶ δεσπόται. et Persius Sat. V.

— — — — — — *intus et in iecore aegro*
Nascuntur domini. [O.]

259. *Graviora quaedam sunt remedia periculis*] Concinnius hoc modo:

Graviora quaedam sunt periclis remedia. [*Bentlei.*]

Seneca in Med. v. 433.

Remedia toties invenit nobis Deus
Periculis peiora.

et in Oedip. v. 518.

Ubi turpis est medicina, sanari piget. [*Gruter.*]

260. *Gravissima est etc.*] Sens. *Vir bonus, ut tardior est ad iram, ita gravius irascitur, si victa sit illius bonitas.* [*Erasm.*] Talis fuit Cato Uticensis, qui haud facile ad iram prolabebatur, iratus placari aegre poterat, ut in vita eius narrat Plutarchus Cap. I. [*Gruter.*]

261. *Gravissimum est imperium consuetudinis*] Sens. *Consuetudo plane tyrannidem quandam obtinet in rebus humanis, adeo ut stultissima quaeque, si semel adoleverint, revelli non possint.* [*Erasm.*]

262. *Gravius malum omne est, quod sub adspectu latet*] Sens. *Malum illud est immedicabile, quod praetextu bonae rei personatum est.* Nam hic *adspectum* vocat *personam.* [*Idem.*] Ita Gruterus e Cod. Palat. Antea *Grave est malum omne* etc. *Aspectus,* ut *vultus* infra v. 362.

Libido cunctos etiam sub vultu domat.

est *persona, la masque,* προσωπεῖον. Vide, qui de h. v. multus est, Salmas. ad Solin. pag. 461. Minus bene itaque Tzschuckius explicat: *quod adspectum fugit.* Schwarzius:

Verborgne Schäden sind nur um so schwerer.

Melius Kremsier:

Das Böse hinter einer Larve verborgen setzt sich fest. [O.]

263. *Gravius nocet, quodcunque inexpertum accidit*] Sens. *Nova mala gravius doleut.* [*Erasm.*] Cicero Tusc. Quaest. *Videntur omnia repentina graviora; sed praemeditatio futurorum malorum lenit eorum adventum, quae venientia longe ante videris.* [*Gruter.*] *Inexpertum* itaque h. l. significatione passiva, ut apud Livium III, 52. *novam inexpertamque eam potestatem* (tribunorum plebis) *eripuere patribus nostris, ne nunc, dulcedine semel capti, ferant desiderium.* et Virgil. Aen. IV. 415.

Ne quid inexpertum frustra moritura relinquat.

Scaliger vertens in Nota ἀπροσδόκητος συμφορά legisse videtur *quodcunque inspexatum accidit.* [O.]

264. *Habent locum maledicti crebrae nuptiae*] *Vulgus male sentit de muliere saepius nupta.* [*Erasm.*] Plutarchus in Quaest. Rom. Opp. pag. 289. *Ζηλωτὸς ὁ πρῶτος γάμος, ὁ δὲ δεύτερος ἀπευκταῖος· αἰσχύνονται γὰρ, ἂν ζώντων τῶν προτέρων ἑτέρους λαμβάνωσιν· ὀδύρονται δὲ, ἂν ἀποθανόντων.* [*Gruter.*]

265. *Habet suum venenum blanda oratio*] Sens. *Insidiosa est blandiloquentia et melle litum venenum.* [*Erasm.*] Hinc Plautus in Aulul. Act. II. Scen. II.

Nemini credo, qui large blandus est pauperi. [*Gruter.*]

Non male Weberus:

Des Schmeichlers Wort
Ist Gift und Mord. [O.]

266. *Heredem ferre utilius est quam quaerere*] Quidam Codices habent *scire* pro *ferre*, quod si legas, sensus erit: *Praestat habere liberos, quibus tua relinquas, quam circumspicere alienos, quibus tua relinquas.* Sin legas *ferre*, dixerit Publius: *Satius est ferre qualemcunque heredem, quam nullum habere.* [*Erasm.*] Sensus est: Utilius est ferre heredem, quem cognatio constituit, quam alium vel non meliorem vel incerta spe quaerere, in quo facile ingratum invenire possis. *Utilius est* legunt Erasmus et Bentleius. *Honestius est* ex uno Cod. Palatino dedit Gruterus. [O.] Infra v. 372.

Mage fidus heres nascitur, quam scribitur.

Quod comprobatum fuit exemplo Iugurthae, quem ad concordiam cum Adherbale et Hiempsale filiis suis adhortatus Micipsa hoc argumento utitur: *ne ego meliores filios sumpsisse videar, quam genuisse.* [*Gruter.*]

267. *Heredis fletus sub persona risus est*] Hic quoque versus citatur a Gellio (et Macrobio). Sensus: *Fletus heredis est risus personatus, id est dissimulatus: gaudet enim, etiamsi fleat.* [*Erasm.*] Cod. Frising. *Heres fictus sub persona risus est*, vitiose. [O.] Similiter Lucretius Lib. III. 72.

Crudeles gaudent in tristi funere flentes.

et Turpilius apud Nonium v. *Carere:*

Dolentis persona meos parentes careo.

Sic et Lucanus de Caesare allato capite Pompeii illacrymante Lib. IX. v. 1040.

— — — lacrymas non sponte cadentes
Effudit, gemitusque expressit pectore laeto,
Non aliter manifesta putans abscondere mentis
Gaudia, quam lacrymis. [*Gruter.*]

268. *Heu quam conscientia animi gravis est servitus*] Cod. Frising. *Haec conscientia animi gravior est servitute.* Male. [O.]

269. *Heu quam difficilis gloriae custodia est*] Sens. *Fama honesta facillime contaminatur, et difficilius est eam tueri quam parare.* [*Erasm.*] Nam, ut infra v. 356.

Laus nova nisi oritur, etiam veterem amittimus. [*Grut.*]

Godofredus et H. Stephanus: *Heu quam difficile est gloriae custodia!* [*Sartor.*]

270. *Heu quam est timendus etc.*] *Qui mortem contemnit, is vehementer est timendus, propterea quod alienae vitae dominus est, quisquis suae contemtor est.* [*Erasm.*] Nam, ut infra v. 435.

Mortem ubi contemseris, omnes viceris metus. [*Gruter.*]

Qui mori tutum putat, i. e. qui mortem non timet, *der im Tode nichts zu verlieren glaubt.* Schwarzius:

Wie furchtbar ist der, der den Tod verachtet.

Cod. Frisingensis vitiosissime: *Heu quam est timidus, qui mori tutum putat.* [O.]

271. *Hominem etiam frugi etc.*] In eandem sententiam Plautus in fine Asinariae:

Quis est tam ingenio duro, tamque firmo pectore,
Quin, ubi quidquam occasionis est, sibi faciat bene?

et Sallustius Iugurth. Cap. VI. *Opportunitas - - - - - - etiam mediocres viros spe praedae transversos agit.* [*Gruter.*] Est idem sonans proverbium apud Germanos: *Die Gelegenheit macht Diebe.* [O.]

272. *Hominem experiri multa paupertas docet*] Sensus: *Paupertas ingeniosa est, et artium repertrix,* et: *Ingenium mala saepe movent* juxta Nasonem. [*Erasm.*] Haec in malam partem poni putat Zwingerus pag. 6., ut dicat *latrocinium, furtum, dolum*, et id genus alias artes pravas. Sed vel in genere de quibuslibet conatibus dictum interpretari possumus, prout est apud Plautum in Stich. Act. II. Scen. I. *Illa omnes artes perdocet.* [*Gruter.*] Theocritus Idyll. XXI. init.

Ἁ πενία, Διόφαντε, μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει
Αὐτὰ τῶ μόχθοιο διδάσκαλος. [O.]

273. *Homini consilium tunc deest etc.*] Dicere vult Publius, homines multitudine consiliorum saepius offundi quasi et impediri, ut, quod optimum sit, dignoscere non possint. Gruterus apposite citat Isocratis verba pag. 403. *Ἐμπειρότατοι δὲ λόγων καὶ πραγμάτων ὄντες, οὕτως ἀλογίστως ἔχομεν, ὥστε περὶ τῶν αὐτῶν τῆς αὐτῆς ἡμέρας οὐ ταὐτὰ γινώσκομεν· ἀλλ᾽ ὧν μὲν, πρὶν εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἀναβῆναι, κατηγοροῦμεν, ταῦτα συνελθόντες χειροτονοῦμεν· οὐ πολὺν δὲ χρόνον διαλείποντες, τοῖς ἐνταῦθα ψηφισθεῖσιν, ἐπειδὰν ἀπίωμεν, πάλιν ἐπιτιμῶμεν.* Bene Schwarzius:

Oft fehlt der Rath, wenn man am mehrsten hat. [O.]

274. *Homo extra corpus est suum etc.*] Frising. *Homo extra corpus suum est, cum irascitur.* [*Sartor.*] Sensus: *Non est apud se, quisquis irascitur.* Respondet cum illo superiori v. 4. *Absentem laedit, cum ebrio qui litigat.* [*Erasm.*]

275. *Homo ne sit sine dolore, fortunam invenit*] Ita Scaliger et Gruter. e MS. Frising. ut sensus sit: Si homines contenti essent se, neque quaererent adventitia, viverent beati. At dum divitias, dum honores (quae dona sunt fortunae) quaerunt et inveniunt, infelices sunt. Schwarzius vertit:

Der Mensch erfand das Glück, dass ihm der Schmerz
nicht fehle.

Melius Weberus:

Damit der Mensch nicht sey ohn Müh,
Sucht er das Glück und findt Unruh.

At plane aliter haec sententia legitur in editionibus Erasmi, Godofredi et H. Stephani, ita scilicet:

Homo nescit, si dolore fortunam invenit,

i. e. ut Erasmus explicat: *Non sentitur dolor, quo paratur aliquid commodi.* Kremsier vertit:

Vor allen Thränen siehst du, Mensch,
In Leiden nicht dein nahes Glück. [O.]

276. *Homo semper in os fert aliud, aliud cogi-*

tat] Sic maximus Scaliger (e Codice Frising.) et perplacet. Si cui tamen magis sapiet lectio vetusta, eam reperiet inter Trochaicos (v. 817.). [*Gruter.*] *in os fert* pro *in ore fert* more Graecorum praepositiones εἰς et ἐν saepissime permutantium. Sic *in mentem esse, in potestatem esse, in tantum honorem esse* apud Terent. Eunuch. Act. II. Scen. II. v. 29. ubi vide Ruhnken. pag. 180. ed. Bruns. Conf. Vechner. Hellenolex. pag. 258 seq. ed. Heusinger. [O.]

277. *Homo toties moritur etc.*] Orbitas enim mors quoedam est, et, ut Iuvenalis ait, Sat. X. *Haec data poena diu viventibus.* [*Erasm. et Zwinger.*]

278. *Homo vitae commodatus etc.*] Sensus: *Vita datur ad tempus, ut, qui dedit, exigat iure suo, quandocunque velit.* [*Erasm.*] Bene Schwarzius:

Dem Leben ist der Mensch geliehen, nicht geschenkt. [O.]

279. *Honesta lex est temporis necessitas*] Ita ut, quidquid iubeat, defendat. Huc faciunt Iambi illi Cleanthis ap. Epictetum Enchirid. Cap. ult. in latinum conversi a Seneca Epist. 107.

Duc me, parens celsique dominator poli,
Quocumque placuit; nulla parendi mora est.
Adsum impiger: fac nolle; comitabor gemens;
Malusque patiar, quod bono licuit pati. [O.]

280. *Honeste parcas improbo, ut parcas probo*] Sic optime correxit Iac. Thomasius in Praefat. ad Mureti Opera pag. XXXVI. ed. Ruhnken. Antea *ut non careas probo*, quod versum vitiat. Sensus: *Ne innocentem opprimas, potius parce nocenti*, vel, ut noster infra v. 399.

Malo etiam parcas, si una est periturus bonus.

In eandem sententiam egregie Aristoteles Problem. *Ἕκαστος ἡμῶν μᾶλλον ἂν προέλοιτο τοῦ ἀδικοῦντος ἀποψηφίσασθαι, ὡς οὐκ ἀδικεῖ, ἢ τοῦ μὴ ἀδικοῦντος καταψηφίσασθαι, ὡς ἀδικεῖ.* et Stobaeus Serm. XLIV. ex Antiphonte: *Εἰ δέοι τι ἁμαρτάνειν, τὸ ἀδίκως ἀπολῦσαι ὁσιώτερον, ἢ τὸ ἀδίκως ἀπολέσαι· τὸ μὲν γὰρ ἁμάρτημά ἐστι, τὸ δ' ἀδίκως ἀποκτεῖναι ἀσέβημα.* Huc spectat etiam Parabola illa Divini Salvatoris Matth. XIII. v. 28, 29. Conf. Forner. ad Cassiodor. Var. Lib. III. Epist. I. [O.]

281. *Honeste servit etc.*] Sens.: *Honestum est servire tempori et cedere fortunae ad tempus.* [*Erasm.*] In Antholog. Lib. I. Cap. XXXVIII. Epigr. 9.

Καιρῷ δουλεύειν καὶ θεὸς ὢν ἔμαθεν. [*Gruter.*]

Cod. Frising. *Honeste serviet* etc. [O.]

283. *Honestus rumor etc.*] *Tantundem fere valet honesta fama, quantum patrimonium.* [*Erasm.*] Similiter Salomo Proverb. XI, 1. *Melius est nomen bonum quam divitiae multae.* [*Gruter.*]

284. *Honos honestum decorat, inhonestum notat*] Sensus: Honos ornat vel decorat eum, qui honore dignus sit, indignum autem idem honos notat ignominia. Bene Schwarzius:

Den Ehrenmann schmückt Ehre, die den Schurken brandmarkt. [O.]

285. *Humanitatis etc.*] Dio Chrysostomus Orat. Tars. II. pag. 427. (*Tom. II. p. 57. ed. Reisk.*) *Τὸ μὲν γὰρ ἁμιλλᾶσθαι πρὸς ἅπαντας ἀνθρώπους ὑπὲρ δικαιοσύνης καὶ ἀρετῆς καὶ φιλίας καὶ ὁμονοίας ἄρχειν, καὶ τούτοις περιεῖναι τῶν ἄλλων καὶ κρατεῖν, ἡ καλλίστη πασῶν νίκη καὶ ἀσφαλεστάτη.* [*Idem.*] Bene Schwarzius:

Es ist der schönste Streit, der Streit der Menschlichkeit. [O.]

286. *Iacet omnis virtus etc.*] Hoc ipsum est, quod dicit Tacitus, *contempta famae contemni virtutes*, Lib. IV. Annal. C. 38. cum quo egregie concinit Silius Lib. IX. v. 376.

— — — — — *nam virtus futile nomen,*
Ni decus adfuerit patiendo. [*Gruter.*]

Pro *nisi late patet*, ut est in Frising., Sartorius edidit *nisi lata pateat.* [O.]

288. *Ibi pote valere populus etc.*] Aeschines in Timarch. p. 171. C. (Wolf.) *Ἐντεῦθεν γὰρ ἰσχύσετε, ὅταν εὐνομῆσθε, καὶ μὴ καταλύησθε ὑπὸ τῶν παρανομούντων καὶ ἀσελγῶς βιούντων.* idem contra Ctesiph. pag. 275. *Ὅταν διατηρηθῶσιν οἱ νόμοι τῇ πόλει, σώζεται καὶ ἡ δημοκρατία.* [*Gruter.*] *pote*, quod metrum patitur, pro *potest*, ut saepe. Exempla in Sanctii Minerva IV, 17. et infra in litera Q. [*Tzschucke.*]

289. *Id agas etc.*] Similiter D. Hieronymus ad Celant. *Nos modo id agamus, ut de nobis loqui male nemo sine mendacio possit.* [*Gruter.*] Erasmus legit *Ita agas* etc. addens: *Odium effugere non possumus: ne quis nos merito oderit, id cavere possumus.* [O.]

290. *Ignis suum calorem etiam in ferro tenet*] Imo diutius tenet, quam in aliis. Forte ex amoris mentione ductum, qui etiam duros alioquin homines occupat. [*Tzschucke.*]

291. *Ignis probat aurum etc.*] Frequens comparatio, v. c. Iesu Siracidae II, 5. *Ὅτι ἐν πυρὶ δοκιμάζεται χρυσὸς, καὶ ἄνθρωποι δεκτοὶ ἐν καμίνῳ ταπεινώσεως.* Sic etiam Isocrates ad Demonicum: *Δοκίμαζε τοὺς φίλους ἔκ τε τῆς περὶ τὸν βίον ἀτυχίας καὶ τῆς ἐν τοῖς κινδύνοις κοινωνίας· τὸ μὲν γὰρ χρυσίον ἐν τῷ πυρὶ δοκιμάζομεν, τοὺς δὲ φίλους ἐν ταῖς ἀτυχίαις διαγινώσκομεν.* et Cicero IX. ad Fam. Epist. 16. *Non facile diiudicatur amor verus et fictus, nisi aliquod incidat eiusmodi tempus, ut, quasi aurum igni, sic benevolentia fidelis periculo aliquo perspici possit.* [*Gruter. et O.*]

292. *Ignoscere hominum est, ubi pudet cui ignoscitur*] Sensus: *Non ignoscendum est, nisi poeniteat facti.* [*Erasm.*] Claudian. in Epist. ad Hadrianum v. 12.

En adsum et veniam, confessus crimina, posco. [*Gruter.*]

Ita Scaliger. Erasmus autem, H. Stephanus et Godofredus: *Ignoscere humanum, ubi pudet.* Kremsier:

Schämst du dich innig deiner Fehler,
Wer Mensch ist, wird sie dann verkennen.

At plane aliter MS. Frising.:

Ignoscere hominum est, nisi pudet ignoscitur.

quam vitiosam lectionem Sartorius sic correxit:

Ignoscere hominum est, nisi pudet cui ignoscitur.

i. e. nisi is, cui ignoscendum est, prae falso pudore veniam detrectet. [O.]

293. *Ignoscito saepe alteri, nunquam tibi.*] Plinius Lib. VIII. Epist. XXII. *Atque ego optimum et emendatissimum existimo, qui caeteris ita ignoscit, tanquam ipse quotidie peccet: ita peccatis abstinet, tanquam nemini ignoscat. Proinde hoc domi, hoc foris, hoc in omni vitae genere teneamus, ut nobis implacabiles simus, exorabiles istis etiam, qui dari veniam, nisi sibi, nesciunt.* [*Gruter.*]

294. *Illo nocens etc.*] Sens. *Quisquis admittit scelus, illico sibi damnatus est iudice conscientia, etiamsi iudex nemo pronuntiet.* [*Erasm.*] Macrobius in Somn. Scip. Lib. I. Cap.

10. *Iudice ipso nemo nocens absolvitur, nec de se quam vitare potest sententiam.* Seneca in Hippol. v. 161.

Quid poena praesens conscia mentis pavor
Animusque culpa plenus et semet timens?
Scelus aliqua tutum, nulla securum tulit. [*Gruter.*]

295. *Imperium habere vis magnum etc.*] *Rectius enim appellabitur* (sapiens, qui sibi moderatur) *rex quam Tarquinius; qui nec se nec suos regere potuit: rectius magister populi* (*is enim est dictator*) *quam Sulla, qui trium pestiferorum vitiorum, luxuriae, avaritiae, crudelitatis, magister fuit: rectius dives, quam Crassus, qui, nisi eguisset, nunquam Euphratem, nulla belli causa, transire voluisset.* Verba sunt Ciceronis Lib. III. de Finn. Cap. XXII. Pluribus hanc sententiam exsequitur Seneca in Epist. CXIII. circa fin.: [*Gruter.*]

296. *Imprudens peccat etc.*] Cod. Frising. *Imprudens peccavit, quem facti poenitet.* Huc faciunt illa alia infra v. 721.

Sibi ipsi dat supplicium, quem admisit pudet.

item v. 478.

Nihil est miserius, quam ubi pudet quod feceris. [*Idem.*]

297. *Impune pecces in eum, qui peccat rarior*] Ita, ut vulgo fertur, aut nulla sententia, aut improbissima, Codd. nostri *pecces in eum.* Repone:

Impune pecces in eum, qui peccat prior.

Terentius Prolog. Eunuchi:

Tum siquis est, qui dictum in se inclementius
Existimavit esse, sic existimet,
Responsum, non dictum esse, qui laesit prior. [*Bentlei.*]

Erasmus edidit: *Impune peccat, cum quis peccat rarior.* in nota tamen legendum existimat *rarius*, ut videtur, hoc sensu: *Qui rarius peccat, is plerumque impune peccat*, i. e. facilius quam alii inveniet peccatorum veniam. Equidem non ausim mutare lectionem Codicis Frisingensis, quam Gruterus dedit, hoc sensu: In hominem iustum et innoxium, qui adeo peccat rarior, impune pecces, quia scil. potentes plerumque sceleratis favent eosque adiuvant. Improba omnino scelesti hominis sententia, qui haec prolocutus est in Mimo deperdito, e quo excerptus est hic versus. Gruterus apposite citat Salvianum pag. 168. ed. Rittersh. *Imo in hoc scelus res devoluta est, ut, nisi quis malus fuerit, salvus esse non possit:* quod plerumque fit in populi seditionibus rerumque publicarum commotionibus. Bene Weberus:

Wer fromm ist, recht und schlecht,
Kann man thun viel Unrecht. [O.]

At *qui peccat rarior* metrum respuit, quare praeferenda videtur emendatio Bentleii. [*Casp. Orell.*]

298. *In amore semper etc.*] Eadem est sententia, quam ante (v. 16.) dixerat:

Amans iratus multa mentitur sibi. [*Erasm.*]

I. e. *Amans non vere irascitur.* Nam v. 23. *Amantium irae amoris integratio.* [*Gruter.*] H. Steph. *In amore semper mendax iracundus est.* [*Sartor.*]

299. *In amore forma etc.*] Id est: Si parens moneat filium quae deceant, plus eum trahit forma amasiae, quam patris auctoritas. Potest etiam accipi: Si cui forma est, plus perficiet per eam, quam auctoritate. [*Gruter.*] *In amore est* e correctione Sartorii. Codex Frisingensis, qui unus serva-

-vit hunc versum, habet *In amorem*, quod tolerari possit, sit i. q. *ad amorem excitandum.* [O.]

300. *In amore semper causa damni quaeritur* Schwarzius:

Des Schadens Ursach sucht man immer in der Liebe.

ad verbum quidem, sed minus bene. Sensus esse videtur *In amore semper causa damni alicuius, vel divitiarum, vel honoris et famae, vel bonae valetudinis, vel tandem tranquillitatis animi quaerenda est.* Gruterus apposite citat verba Horatii I Epist. XVII.

Nota refert meretricis alumina, saepe catellam,
Saepe periscelidem raptam sibi flentis, uti mox
Nulla fides damnis verisque doloribus adsit. [O.]

301. *In calamitoso etc.*] Sens. *Miseri risu etiam offenduntur, et quibus sunt res minus secundae, ad suspicionem mali rapiunt etiam casu dicta.* [*Erasm.*] Bene monet itaque Isocrates ad Demonicum: *Μηδενὶ συμφορὰν ὀνειδίσῃς· κοινὴ γὰρ ἡ τύχη καὶ τὸ μέλλον ἀόρατον.* et Nilus Patriarcha Sent. 135. *Μὴ γελάσῃς ἐπὶ πτώματι ἑτέρου, ἵνα μὴ γελασθῇς ἐφ' ἃν σὺ θέλεις.* [*Gruter.*]

302. *Incertus animus remedium est sapientiae*] *Remedium* offendit in re bona, nisi argute dixit. Sensus est: *expellit sapientiam.* [*Tzschucke.*] Schwarzius vertens:

Ein zweifelhaft Gemüth ist Mittel klug zu werden.

incertum animum videtur accepisse de animo omnia in utramque partem considerante, adeoque assensionem cohibente: quo autem sensu num *animus incertus* latine dici possit, dubito equidem maximopere. Potius intelligo de animo, qui prae nimia dubitatione, haesitatione consilium salutare capere non potest: *das immer zweifelt, sich bedenkt, zu keinem Entscheid, festen Entschluss kommen kann,* ut infra in Sententiis a G. Fabricio collectis No. 115.

Incertus animus scire cum cupiat, timet.

qualis animus recte dicitur *remedium sapientiae* i. e. contra sapientiam, *Mittel nie weise zu werden.* [O.]

304. *Inertia iudicatur etc.*] Pessime Schwarzius:

Mit Trägheit wird geurtheilt, wenn man Arbeit scheut.

Cum sensus sit: *Qui laborem fugit, is merito iudicatur iners ac piger.* Cod. Frising. *Inertia cum iudicatur, cum fugitur labor.* [O.]

305. *Inertia est laboris excusatio*] Metrum restituit Sartorius. Cod. Frising. *Inertia laboris est excusatio.* [O.]

306. *Inferior rescit quidquid peccat superior*] Sic Scaliger et Gruter. Sed illud *rescit* in nullo Codice comparet. Ex nostris duo *Horrescit*, Caianus *Crescit*; Leidensis *Nescit*, Cottonianus *Casat.* Repone: *Inferior discit quidquid peccat superior.* Eiusdem sententiae est, quod postea sequitur:

Ubi peccat aetas maior, male discit minor. [*Bentlei.*]

Erasmus edidit: *Inferior horrescit etc.* explicans: *Quod principes peccant, recidit in malum plebis. Rescit* est e correctione Scaligeri, qui in suo Codice habuit *nescit.* Quae lectio duplicem interpretationem admittit, vel: Quidquid superior peccat, id animadvertit (et imitatur quoque) inferior, ut Iuvenalis dixit Sat. VIII. 140. seq.

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto maior, qui peccat, habetur.

vel etiam eandem plane explicationem, quam lectio: *Inferior horrescit etc.* Sic Horatius I Epist. II, 10.

Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi.

Et eodem sensu *rescire* vel *resciscere* dixit Terentius Adelph. Act. IV. Scen. II. v. 8.

Me credo huic natum esse rei, ferendis miseriis
Primus sentio mala nostra, primus rescisco omnia.

Sic et simplex *scire* et *nosse* pro *experientia nosse*, i. e. pati, ut nos dicimus *entgelten, inne werden.* Vide N. Heinsii Adversar. Lib. III. Cap. III. pag. 417. et Observationes nostras ad Arnobium Tom. I. pag. 296. Quare recipere malui correctionem Scaligeri tanquam lenissimam. *Inferior nescit etc.* tuetur Schwarzius vertens:

Der Niedrige weiſs oft nicht, was der Hohe sündigt. [O.]

307. *Infirmi animi est etc.*] Est Senecae Epist. V. [*Gruter.*]

308. *Ingenuitas non recipit contumeliam*] Zwinger. p. 679. interpretatur: *Ingenuus animus affligi potest, laedi non potest.* Idque de viro etiam probo Plato dixit, *neminem nisi a se ipso laedi posse* professus. Zwingerus interpretatur pag. 881. *Quia nequit* (scil. contumeliam facere), *negligit.* Melius pag. 871. ait: *Generosus animus impatiens est contumeliae* verbis Senecae Lib. IX. Controv. I. [*Gruter.*] Et hanc postremam explicationem unice veram sequuntur Weberus et Schwarzius vertentes, ille:

Ein redlich tapfrer Mann
Kein Unglimpf ertragen kann.

hic:

Ein edler Geist erduldet keine Schmach.

Abstractum pro concreto. [O.]

309. *Ingenuitatem laedis, cum indignum rogas*] Ita Godofredus, Stephanus, Scaliger et Gruterus. Sartorius: *Ingenuitatem laedas — — — — roges,* [O.] Sens. *Servile est, supplicem esse homini indigno: laeditur enim ingenuitas.* [*Erasm.*]

310. *vocis verbera*] i. e. obiurgationes. Sic Horatius III. Od. XII. 2.

— — — — aut examinari metuentis
Patruae verbera linguae.

Eodem sensu Graeci dixerunt ῥάβδος, v. c. in N. Test. I Cor. IV, 21. ἐν ῥάβδῳ ἔλθω πρὸς ὑμᾶς. Vide Schleusner. in Lexic. h. v. et quae observavimus ad Gregor. Nazianz. Monostich. in Opusc. Vet. Graec. sententios. Tom. I. pag. 651. [O.]

311. *Ingrata sunt beneficia etc.*] Bene igitur mus rusticus ad urbanum apud Horatium II. Sat. VI.

— — — — — — — — Haud mihi vita
Est opus hac, ait, et valeas: me sylva cavusque
Tutus ab insidiis tenui solabitur ervo. [*Gruter.*]

312. *Ingratus unus etc.*] Sens. *Unius hominis ingratitudo facit, ut nec gratis succurratur, cum egent.* [*Erasm.*] Egregie hanc in sententiam Cicero de Offic. Lib. II. Cap. XVIII. *Omnes immemorem beneficii oderunt, eamque iniuriam in deterrenda liberalitate sibi etiam fieri, eumque, qui faciat, communem hostem deteriorum putant.* Opportuna igitur haec est admonitio Xysti Pythagorei §. 319. *Ne te impediat a benefaciendo homo ingratus.* [*Gruter.*]

313. *Nullae conveniunt preces*] Inversa forma pro *nullas accipit preces*. [*Tzchucke*.]

314. *Inimico exstincto exitium lacrymae non habent*] *exitium* h. l. i. q. *exitum*. Utraque vox saepe commutatur in Codd. (Vide Burmann. ad Sueton. Tom. I. pag. 449. et 566. O.) Hic autem metrum tuetur. [*Idem*.] Festus: *Exitium antiqui ponebant pro exitu: nunc exitium pessimum exitum dicimus*. Sic etiam Sallustius Catil. Cap. LV. *de Lentulo dignum moribus factisque suis exitium vitae invenit*, ubi vide Cort. pag. 357. Ex qua primaria significatione fluxit deinceps altera mortis sive leti, teste Varrone de Ling. Lat. Lib. IV. pag. 17. (ed. Dordrac.) *Animae et corporis discessus, quod natis sit exitus, inde exitium; ut, cum in unum ineunt, initia*. Bene itaque Schwarzius:

Des Feindes Tod bahnt Thränen keinen Ausfluss.

Gruterus observat, vocabulum isthoc inprimis familiare esse Apuleio Madaurensi, in quo tamen illud hoc sensu frustra me quaesivisse fateor, sed tantummodo significatione mortis sive interitus, τοῦ ὀλέθρου. [O.]

315. *Inimicum quamvis humilem etc.*] Idem, quod dicit Phaedrus Lib. I. Fab. XXVIII.

Quamvis sublimes debent humiles metuere. [*Gruter*.]

Sensus: *Sapientis est non contemnere hostem quantumvis humilem: potest enim per occasionem nocere*. [*Erasm*.] *est metuere* pro *metuere est* dedi cum Erasmo et Bentleio, flagitante metro. *docti* i. e. prudentis, cati, ut saepius. [O.]

316. *Inimicum ulcisci etc.*] Sens. *Iucundissima res est vindicta, et velut altera vita. Primum vitam tuetur suam; deinde capit voluptatem ex ultione*. [*Erasm*.]

317. *In vindicando criminosa est celeritas*] Quidam habent: *In iudicando*. Sens. *Ne sis praeceps vel ad ultionem, vel ad iudicandum*. [*Erasm*.] Scaliger et Gruterus: *In iudicando*. Sed Codices nostri magno consensu: *In vindicando*. Recte. Horatius I Epist. II, 59.

— — — — — Qui non moderabitur irae,
Infectum volet esse, dolor quod suaserit et mens,
Dum poenas odio per vim festinat inulto.

At illud alterum, *In iudicando*, supra habuimus melioribus verbis v. 6.

Ad poenitendum properat, cito qui iudicat. [*Bentlei*.]

318. *Iniuriam aures etc.*] Hinc praeceptum format Quinctilianus Instit. Lib. VI. Cap. I. *Non solum autem dicendo, sed etiam faciendo quaedam lacrymas movemus, unde et producere ipsos, qui periclitentur, squallidos ac deformes, et liberos eorum ac parentes institutum, et ab accusatoribus ostendi cruentum gladium, et lecta e vulneribus ossa, et vestes sanguine perfusas videmus, et vulnera resolvi, et verberata corpora nudari; quarum rerum ingens plerumque vis est, velut in rem praesentem animos hominum ducentium*. [*Gruter*.] Hinc in causa Virginii, ut Livius testatur Lib. III. Cap. XLVII. *comitatus muliebris plus tacito fletu, quam ulla vox (animos) movebat*. [O.]

319. *Iniuriam facilius facias quam feras*] I. e. Inferre iniuriam facilius est, quam inlatam tolerare. [*Tzschucke*.] Gruterus putat his verbis alludi ad cinaedos. [O.]

320. *Iniuriarum remedium est oblivio*] Sens. *Vindicta non medetur iniuriis tibi factis, sed oblivio optime*

[*Erasm.*] Hunc versum citat Seneca Epist. XCV. *Numquid rationem exiges, cum tibi aliquis hos dixerit versus: Iniuriarum remedium est oblivio: Audentes fortuna iuvat: Piger sibi ipse obstat.* [*Sartor.*] Noster infra v. 410.

Medicina sola miseriarum oblivio est. [*Gruter.*]

321. *Iniuriam ipse facias etc.*] Ut sane non multum praestes ipsi, qui perpetravit iniuriam; quod egregie in Oratione adversus Pisonem exprimit Cicero: *Nondum dico, quae feceris, sed quae fieri passus sis, dico: neque vero multum interest praesertim in Consule, utrum perniciosis legibus, improbis contentionibus rempublicam vexet, an alios vexare patiatur.* Quocirca bene Demonicum suum admonet Isocrates, ne malos in ministerium adsciscat: Εἰς ἀρχὴν καταστάθεὶς μηδενὶ χρῶ πονηρῷ πρὸς τὰς διοικήσεις· ὧν γὰρ ἂν ἐκεῖνος ἁμάρτοι, σοὶ τὰς αἰτίας ἀναθήσουσι. [*Idem.*]

322. *In miseri vitia nulla contumelia est*] Hoc carmen varie reperi depravatum. Et haud scio an recte divinarim: Non videtur contumelia, quam facias in hominem malum et infelicem. Nisi sic mavis: *In vitia miseri contumelia est dicere*, i. e. Contumeliae genus est insectari vitia hominis miseri, qui magis eget consolatione. [*Erasm.*] Varie legitur et explicatur hic versus, v. c. *In miseri vita nulla contumelia est*, quod Schwarzius vertit:

Des Armen Leben ist befreyt von Schmach.

ut sensus sit: Miseri i. e. pauperis hominis vita nullam ipsi adfert contumeliam vel ignominiam, *Armuth schändet nicht.* Gruterus coni. *In miseri vitio nulla contumelia est*, hoc sensu: Etiamsi contumeliosum quid faciat miser, non est tamen contumelia, quia vere animus contumeliam faciendi ei non adfuit. Codex Frising. habet:

In misera vita etiam contumelia est.

Amicus quidam Gruteri legendum coniicit: *In misera vita vita contumelia est.* Mihi maxime placet vulgata lectio, ut dixerit Publius: In vita miseri nulla est (i. e. non valet) contumelia, quia scil. miser homo vel pauper non potest honorem suum defendere et δίκην ὕβρεως inferre conviciatori. [O.]

323. *In misero facile fit potens iniuria*] Nam, ut supra dictum v. 5.

Ad calamitatem quilibet rumor valet.

et v. 301.

In calamitoso risus etiam iniuria est.

et Plinius Lib. IX. Epist. 81. *tanto graviores iniurias*, inquit, *quanto est infirmior, patitur.* [*Gruter.*]

324. *In nullum avarus bonus est etc.*] Sens. *Nulli benefacit avarus, se vero etiam discruciat custodia rerum suarum.* [*Erasm.*] Ita etiam citat hunc versum Seneca Epist. 108. [*Sartor.*]

325. *Inopiae desunt pauca, avaritiae omnia*] Erasmus habet: *Inopiae parva desunt etc.* haec annotans: „Videtur hic versus depravatus. Nam in Controversiis Seneca „citat huiusmodi Publii carmen:

„*Luxuriae desunt multa, avaritiae omnia.*

(et Seneca Philosophus Epist. CVIII.

Desunt inopiae multa, avaritiae omnia. O.)

„Quamquam hic quoque versus constabit, si legas *desunt parva* „sive *pauca*, quod ego malim. Sensus: Multa desiderat „pauper ad vitae usum, sed avarus magis eget, qui nec id

„habet, quod habet." Haec Erasmus. Scaliger defendit τὸ *parva*, tanquam sit Hellenismus (παῦρα) pro paucis, ut apud Lucanum Phars. II. v. 128. — — — *parvum sed fessa senectus*
Sanguinis effudit iugulo.
ubi cave legas *parum*. Vide Oudendorp. pag. 113. Zwingerus citat: *Inopiae desunt multa*. Male. Nec enim multa, sed pauca tantum inopi desunt ad bene beateque vivendum, si scil. sapiens sit et frugi, neque pravis incitetur cupiditatibus. Bene itaque Weberus:

Dem Armen mangelt nicht gar viel;
Dem Geizigen aber ohne Ziel.

Nec non Kremsier:

Der Arm' entbehrt und wünscht nur wenig,
Der Geiz'ge klagt, es mangl' ihm alles. [O.]

326. *Inopi beneficium bis dat etc.*] Sens. *Bis gratum est beneficium, quod statim prompteque datur egenti.* [*Erasm.*]

327. *Insanus omnis etc.*] Ita Menaechmus Plautinus Act. V. Scen. II. v. 90.
Hei mihi, inquit, *insanire me aiunt; ultro cum ipsi insaniant.* [*Gruter.*]

328. *In rebus dubiis plurimi est audacia*] Forte legendum est *plurimum* vel *plurimi.* Sensus: Multum valet audacia, cum res est dubia h. e. periculosa. [*Erasm.*] Sic ut edidit Gruterus, et nostri Codices: sed legendum *Plurimi est*, hoc est *plurimum valet.* [*Bentlei.*] Similiter Seneca in Agamemn.
Capienda rebus in malis praeceps via est. [*Gruter.*]

329. *Instructa inopia est etc.*] Sens. *Cupere, cum abundes, inopia quaedam est, non expedita, sed instructa et onusta;* quasi dicas: *dives inopia.* [*Erasm.*] Sic Bentlei. Antea: *Inopia instructa est. instructa* i. e. exornata, *aufgeputzte Armuth.* Male itaque Schwarzius: *Begierd im Reichthum ist studierter Mangel.* nec melius Kremsier:
Ganz drückend arm macht, Reicher, Habsucht dich.
Bene contra Weberus:

Gleichsam eine reiche Armuth
Ist Geiz in grossem Geld und Gut. [O.]

330. *Intellige ecquae sunt, ut et bene agas bona*] Tan. Faber emendat: *Intellige quae mala sint, ut et bene agas bona*, dubito an metro probante. [*Tzschuck.*] Nec etiam sensu probante. Dicere vult Publius: Eum tantummodo bene agere posse bona, qui pretium illorum recte aestimaverit. Bene itaque Schwarzius:
Das Gute gut zu thun, vernimm was gut ist.
Nec male Weberus:

Lerne ja wohl, was da sey gut,
Dass du es thust mit freyem Muth. [O.]

331. *In turpi re peccare bis delinquere est*] Hinc Seneca in Epistola XCII. voluptatem ne quidem bonum hominis, sed pecoris bonum esse dicit, eumque, cuius summum bonum saporibus et coloribus ac sonis constet, non tantum inter viros habendum esse, sed ne inter homines quidem. *Excedat*, inquit, *ex hoc animalium numero pulcherrimo, ac diis secundo, mutis aggregetur animal pabulo natum.* Ceterum Palatinae schedae Venereum quid produnt scribendo:
In turpem peccare bis delinquere est. [*Gruter.*]

332. *In Venere semper certat etc.*] Cod. Fris. *In Venerem.* Male. [O.]

333. *In Venere semper dulcis est dementia*] Idem considerat Quinctilianus Declam. XV. *Ex omnibus tamen, quae nobis patientibus extorquet affectus, hoc saevissimum patimur, quod nemo vult in amore sanari.* [*Grut.*]

334. *Invidia loquitur id quod obest etc.*] Ita Scaliger. Zwingerus autem (et Godofredus) citant: *Invidia loquitur non quod est, sed quod subest,* scil. in animo suo. Sartorius edidit:

Invidia id, quod videt, loquitur, non quod subest.

Male. Noster infra v. 342.

Iratus nil non criminis loquitur loco. [*Gruter.*]

335. *Invidiam ferre etc.*] Sens. Fortunati negligunt invidiam; vir fortis contemnit. [*Erasm.*] Cod. Frising. *Invidiam ferre an fortis, an felix potest?* Vitiose. [*Sartor.*]

336. *Invidia tacite, sed inimice irascitur*] Ita Scaliger, Gruterus et Bentlei. Erasmus autem et Godofredus ediderunt: *Invidia tacite sed minute irascitur,* quod Erasmus durissime sic explicat: *Invidus habet iram suam, sed dissimulatam et minutam,* h. e. de re nihili. Sed unice vera vulgata lectio. [O.]

337. *Invitat culpam etc.*] Sens. *Qui dissimulat peccatum, is invitat, ut iterum peccetur.* [*Erasm.*] Codex Frising. vitiose: *In se vitat culpam, qui peccatum praeterit.* [O.]

praeterit] i. e. dissimulat, tegit. Bene Schwarzius:

Das Uebergehn der Schuld reizt Andre zum Verbrechen. [O.]

338. *Invitum cum retineas, exire incites*] Ita rectius Cod. Trin. (cum Frisingensi). Antea *exire incitas.* [*Bentlei.*] Sens. *Qui non cupit manere, hunc quo magis retines, eo magis cupit abire.* [*Erasm.*]

339. *Iratum breviter vites etc.*] Sens. *Ira statim subsidit, odium diuturnum est.* Odit autem, quisquis est inimicus. Ab hoc igitur diu cavendum est, imo semper. Hoc ipsum monet sapiens Hebraeus (Iesus Siracides), ab hoste reconciliato esse cavendum. [*Erasm.*]

340. *Iratus cum ad se rediit etc.*] Sic et Horatius Lib. I. Epist. II. v. 60.

— — — — — *qui non moderabitur irae,*
Infectum volet esse, dolor quod suaserit et mens,
Dum poenas odio per vim festinat inulto.

Irato itaque *spatium* modo *dandum, quo dispicere, quid fecerit, possit: se ipse castigabit; denique dabit poenas:* sunt verba Senecae Lib. III. de ira Cap. 25. [*Gruter.*]

341. *Iratus etiam facinus consilium putat*] I. e. ut bene interpretatur Tzschuckius: Iratus in consilio quaerit facinus: *Er hält die Absicht schon für ein Verbrechen.* Sic etiam Weberus:

Ein Zorniger hält für eine That,
Was man nur im Sinn g'habt hat.

Male contra Erasmus explicat: *Qui irascitur, etiam scelus putat consilio recteque fieri,* et eum secutus Schwarzius vertens:

Der Zornige hält auch Verbrechen für gerecht.

At pessime omnium Kremsier:

Der Zornige erlaubt sich auch wohl einen Bandtenstreich. [O.]

343. *Iratus nil non criminis loquitur loco*] Sensus est ex interpretatione Gruteri: *Quidquid iratus loquitur, crimen vel convicium est.* Schwarzius minus bene: *Was man im Zorne redt, klingt wie Verbrechen.* potius: *klingt wie Beschuldigung.* [O.]

344. *Is minimo eget etc.*] Sic edidit Sartorius ex Seneca Epist. 109. Cod. Frising. *Is minimum eget.* Male. [O.] Horatius Lib. I. Epist. XII. 5.

Si ventri bene est, si lateri pedibusque tuis, nil
Divitiae poterunt regales addere maius. [*Gruter.*]

344. *Ita crede amico etc.*] Frising. *Ita credas amico.* [*Sartor.*] Melius esset:

Ita crede amico, ut ne sit inimico locus. [*Bothe.*]

Bene Schwarzius: *Glaub' so dem Freund, dass für den Feind nicht Raum bleibt.* [O.]

345. *Ita habeas amicum, posse inimicum fieri ut putes*] Ita citatur hic versus a Macrobio Saturn. Lib. II. Cap. VII. Gellius Lib. XVII. Cap. XIV. ita citat:

Ita amicum habeas, posse ut fieri hunc inimicum putes.

Aliter Scaliger:

Ita habeas amicum, posse ut fieri inimicum putes.

ut sit Trochaicus. (Vide infra in Trochaicis v. 824.) Aliter etiam Codex Frising.

Ita amicum habeas, posse ut facile fieri putes hunc inimicum. [*Sartor.*]

Et hic citatur a Gellio. Sensus: *Sic ama tanquam osurus. Ita confidas amico, ut, si fiat inimicus, non multum possit laedere.* Gellius hanc sententiam Chiloni, Cicero in Laelio (ubi dictum hoc tanquam verae amicitiae maxime pestiferum damnat) adscribit Bianti. [*Erasm.*] Et vicissim inimicum habeas ita, posse amicum fieri ut putes. Utrumque praeceptum eleganter exprimit Sophocles in Aiace v. 747. et seqq.

Ὅ τ' ἐχθρὸς ἡμῖν, ἐς τοσόνδ' ἐχθραντέος,
Ὡς καὶ φιλήσων αὖθις· ἔς τε τὸν φίλον
Τοσῷδ' ὑπουργῶν ὠφελεῖν βουλήσομαι,
Ὡς αἰὲν οὐ μενοῦντα — — — — [*Gruter.*] Vide inprimis notam I. I. Ochsneri viri doctissimi ad Ciceronis Eclogus e collectione Oliveti in usum scholarum Turicensium editas p. 182. ed. 2. [O.]

346. *Iter est etc.*] Sensum duobus verbis possis exprimere: *Exempla trahunt.*

347. *Iucunda est macula etc.*] Sic noster infra (inter Trochaicos v. 864.):

Sine dolore est vulnus, quod ferendum in victoria. [*Grut.*]

348. *Iucundum nihil est etc.*] Sens. *Nihil tam dulce, quod non pariat satietatem, nisi varietate condiatur.* [*Erasm.*] Egregie Cassiodorus Lib. VII. Epist. 36. *Nemo dubitat homines sua varietate recreari, quia in continuatione rerum magnum fastidium esse constat. Dulcedo mellis si assidue sumatur, horrescit: serena ipsa quamvis magnopere desiderentur, iugiter adepta sordescunt.* [*Gruter.*]

349. *Iudex damnatur etc.*] Sens. *Cum absolvitur nocens, tunc iudex non innocens sit oportet.* [*Erasm.*] Sic infra (v. 709.):

Se damnat iudex, innocentem qui opprimit. [*Gruter.*]

350. *Ius omne supra omnem etc.*] Zwingerus pag. 2149. citat ceu Incerti:

Ius omnem supra iniuriam positum scias.

Sic et Godofredus. Quantum supra iniuriam iustitia sit posita, manifestum inprimis est ex eo, quod habet Seneca in libro de iniuria in sapientem non cadente Cap. VII. in fine: *Praeterea nihil iniustum iustitia pati potest, quia non coeunt contraria: iniuria autem non potest fieri non iniuste. Ego sapienti iniuria non potest fieri.* [*Idem.*] *Ius omne* i. e. omne quod iustum est. Male itaque Schwarzius:

Das ganze Recht ist über alles Unrecht. [O.]

351. *Ita agas, ne quis etc.*] Sens. *Odium effugere non possumus: ne quis nos merito oderit, id effugere possumus.* [*Erasm.*] Sententiam, quae deerat apud Gruterum, ex editione Erasmi addidit Tan. Faber. [O.] Praeceptum salubre, sed sine acumine sententiae. [*Tzschuck.*]

352. *Laeso doloris remedium etc.*] Sens. *Suum malum minus sentit, qui potest ulcisci.* [*Erasm.*] Schwarzius non male:

Der Schmerz des Feindes ist für den Gekränkten Pflaster. [O.]

353. *Lapsus semel etc.*] *Semel* sic offendit. Forte: *Lapsus simul fit culpa.* [*Tzschuck.*] Nil mutandum, nec lapsus h. l. substantivum est, sed participium verbi *labor*, *labi*, hac scil. constructione: *Si lapsus semel iterum cecideris, culpa fit.* [O.]

354. *Lascivia et laus nunquam habent concordiam*] I. e. non conveniunt, consociantur, alterum alterum expellit. Similis sententia infra v. 728.

Solet sequi laus, cum viam fecit labor. [*Tzschuck.*]

Sens. *Intemperantia semper obnoxia est infamiae.* [*Erasm.*]

355. *Late lucere ignis etc.*] Sensus esse videtur: Potest aliquis ignis ad instar (qui proxima, materiam tantum ipsi subiectam adurit, remotiora illustrat) late lucere cum dignitate sua tum ingenii animique virtutibus ita, ut nulli damnum afferat. Gruterus comparat verba Cassiodori Var. Lib. VIII. Epist. X. *Per omnes est nimirum splendor refusus, quem praesens potest habere patritius. Quoniam illa est natura purissima luminis, quae relucet et proximis.* [O.]

356. *Laus nova nisi oritur etc.*] Comparari potest D. Salvatoris dictum Matth. XIII, 11. "Ὅστις γὰρ ἔχει, δοθήσεται αὐτῷ καὶ περισσευθήσεται· ὅστις δὲ οὐκ ἔχει, καὶ ὃ ἔχει, ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ. Gruterus opportune citat verba Isidori Pelusiotae Lib. II. Epist. 300. ἡ γὰρ ῥᾳθυμία τοὺς προγεγενημένους πόνους, κἂν λαμπροὶ εἶεν, σβέσει. nec non Silii Italici Lib. IV. v. 746.

Ire iubet, prior exstingui labique videtur
Gloria, post Alpes si stetur montibus ullis.

Plane aliter citat hanc sententiam Erasmus:

Laus ubi nova oritur, etiam vetus admittitur.

explicans: Si iterum recte facies, efficies, ut superiori de te famae habeant homines. (?) Malim explicare: *Etiam laus eorum, quae prius recte feceris, una perdurabit.* [O.]

357. *Legem nocens veretur etc.*] Sensus: *Innocens etsi non veretur leges ut nocens, tamen timet fortunam, quae nonnunquam opprimit innocentem.* [*Erasm.*] Ita Symmachus Lib. III. Epist. XLV. *Erat* (in literis tuis) *fiducia conscientiae bonae, sed cum laude iustitiae publicae. Nam et principibus*

maximis gratias, ut absolutus, egisti, et de sola fortuna, ut innocens, conquestus es. [*Gruter.*]

358. *Legem solet obliviscier iracundia*] De *iudice* hic versus intelligitur; sequens,

Lex videt iratum, iratus legem non videt,

de *reo*. Quam sit iniquum et foedum inter iura publica privatis odiis licentiam dare, dicat Cassiodorus Lib. IV. Ep. X. *Iniquum nimis est, quod delectat iratum. Furentes iusta non sentiunt, quia, dum commoti animo in vindictam saeviunt, rerum temperantiam non requirunt.* [*Idem.*]

359. *Levis est Fortuna etc.*] Sensus: *Fortuna inconstans statim repetit et aufert, si quid dedit.* [*Erasm.*] Seneca ad Helviam Cap. V. *Nunquam ego Fortunae credidi, etiamsi videretur pacem agere: omnia illa, quae in me indulgentissime conferebat, pecuniam, honores, gloriam eo loco posui, unde posset ea sine motu meo repetere.* [*Gruter.*]

quae dedit] Sartor. *quod dedit.* [O.]

360. *Lex videt iratum, iratus legem non videt*] Sensus esse videtur: Lex speculatur quasi et observat iratum, ut scil. ab illo poenas reposcat, quando iracundia sua ad scelus prolabitur; iratus contra legem non videt, eius plane immemor est, (faciens ea quae lege vetantur). Ὀργὴ γὰρ ἀνδρὸς δικαιοσύνην Θεοῦ οὐ κατεργάζεται, ut loquitur Iacobus Apostolus I. v. 20. Non male Schwarzius:

Den Zornigen sieht das Gesetz; er sieht es nicht. [O.]

361. *Lex universi est etc.*] Sensus: *Necessitas nascendi et moriendi neminem non complectitur.* [*Erasm.*] Manilius:

Nascentes morimur finisque ab origine pendet. [*Gruter.*]

Cod. Frising. *Lex universa quae iubet* etc. vitiose. [O.]

362. *Libido cunctos etiam sub vultu domat*] Non video, quomodo heic subsistat illud aliorum *sub vultu damnat:* ei si nihil aliud, at vocaliter adversatur ratio carminis: cuius mens, eam esse vim libidinis, ut homines superet ipso adspectu, nedum ut necesse habeat expedire aut artes, aut arma, aut manus. Metaphora sumta a re militari. Consulatur Prudentius Duello Luxuriae et Castitatis. Ita aliquando sensi de isto loco. Nunc displicet. Video enim, illud *sub adspectu* aliter sumi supra (v. 261.), item *sub vultu* infra (v. 524.). Esset ergo summa, libidinem etiam eis dominari, qui alia omnia vultu prae se ferunt, scil. gravitatem et frontem severam, hoc est, *qui Curios simulant. Vultus* ergo et *adspectus* usurpat pro persona et larva, ut v. 261. Sic *sub vultu odia habere* intelligendum. [*Gruter.*] *sub vultu* i. e. *sub persona*, *sous le masque*, graece ὑπὸ τῷ προσωπείῳ. Vide Salmasium ad Solinum pag. 46., qui pro *cunctos* legendum coniicit *cinctos*, qui opponuntur *discinctis* i. e. iis, qui fluxioris solutiorisque vitae sunt, quique toto vultu et habitu libidinem et luxuriam prae se ferunt. *Cincti* contra modestiam et severitatem prae se ferunt (vultu saltem et habitu, licet intus sint saepissime discincti nepotes). Ita Seneca Epist. XCII. de Maecenatis versu: *alte cinctum putes dixisse*, i. e. hominem industrium, gravem, fortem, (metaphora ducta a militibus, qui alte cincti ad proelium procedebant,) non molliculum et effoeminatum, qualis erat Maecenas. Porro Sidonius Apollinaris Lib. V. Epist. VII. dicens *Hi sunt, qui invident — — — cinctis iura, discinctis privilegia,* distinguit *cinctos*, i. e. iudices in actu positos, a *discinctis*, qui potestate exierunt. Vide ibi Savaron. p. 319. No-

lim tamen lectionem veterem *cunctos*, quae sensum praebet satis probabilem, mutare invitis Codd. Lectionem MSti Frisingensis *sub vultu damnat* Sartorius defendere conatur loco Senecae de Ira Lib. I. Cap. I. *Nec ignoro, caeteros quoque affectus vix occultari, libidinem metumque et audaciam dare sui signa, et posse praenosci. Neque enim ulla vehementior intra cogitatio est, quae nihil moveat in vultu.* Sed frustra, repugnante metro. Schwarzius vertit:

Begierde zwingt den Mann auch mit dem Amtsgesicht.

Weberus: *Die bös' Begierd' den Mann Mit Augen zwingen kann.* Male. [O.]

363. *Libido, non iudicium est, quod levitas sapit*] Sic fere libri. Alio sensu, vivido tamen, alii: *Libido indicium est eius, quod levitas sapit.* [*Gruter.*] Vide versum sequentem. Equidem utrumque retinui secutus Scaligerum. *Sapit*, ut explicat Tzschuckius, h. l. est i. q. *probat, praefert, appetit*, cuius significationis exempla desidero, et puto esse pro *cogitat.* Nihil amplius. [O.]

364. *Libido indicium est etc.*] Hic versus est nonnisi varians lectio proxime antecedentis sententiae. Bipontini: *Libido non indicium est* etc. Male. Bene Schwarzius:

Des Leichtsinns sichres Zeichen ist Gelust. [O.]

365. *Licentiam des linguae etc.*] Εἰ θέμις εἰπεῖν, θέμις καὶ ἀψευδεῖν ὑπὲρ ἀληθείας ἀγωνιζόμενον, inquit Isidorus Pelusiota Lib. II. Epist. XIV. [*Gruter.*]

367. *Locis remotis etc.*] Ita Seneca Epist. X. cuidam solitudinem eligenti scribit: *Sic est, non muto sententiam: fuge multitudinem, fuge paucitatem, fuge etiam unum. Non habeo, cum quo te communicatum velim: et vide, quo iudicium meum abeat: audeo te tibi credere.* et Epist. XXV. *Sed ego etiam hoc contentus sum, ut sic facias quaecunque facies, tanquam spectet aliquis.* [*Idem.*]

368. *Loco ignominiae est etc.*] Sens. *Honor commissus indigno non honestat eum, sed magis dedecorat.* [*Erasm.*] Bene Weberus:

Wer Ehr' anthut dem, der's nicht werth,
Ihn nur damit mehr verunehrt. [O.]

369. *Longinquum est omne etc.*] Supra v. 188. dixit:

Est cupiditati et ipsa tarda celeritas. [*Gruter.*]

Sensus est: Cupiditas respuens ea, quae prope et in promtu sunt, desiderat tantum e longinquo petenda immensoque pretio comparanda, v. c. aves Numidicas, margaritas Indicas, vestes Sericas. [O.]

370. *Lucrum sine damno etc.*] Sensus: *Unius lucrum damnum est alterius;* at non item in rebus animi. [*Erasm.*] Idem dicit Seneca II. de Ira Cap. VIII. *nulli nisi ex alterius damno quaestus est.* Quod ipsum quodammodo explicat in Epist. XXXII. *Optaverunt tibi alia parentes; sed ego tibi contra omnium eorum contemptum opto, quorum illi copiam. Vota illorum multos compilant, ut te locupletent. Quicquid ad te transferunt, alicui detrahendum est.* Et hisce opibus opponit illas, quas philosopho tribuit in libro de Vita beata Cap. XXIII. *Habebit philosophus amplas opes, sed nulli detractas, nec aliorum sanguine cruentas, sine cuiusquam iniuria partas, sine sordidis quaestibus.* [*Gruter.*]

371. *Luxuriae desunt multa etc.*] Sens.: *Multis eget profusor, avarus eget omnibus. Illi multum est opus, qui mul-*

tum absumit; huic nihil est satis, cum sit insatiabilis. [*Erasm.*] Publio tribuit Seneca pater Controv. III. 17. sed hoc ordine: *Desunt luxuriae.* Pro *luxuriae* Seneca filius Ep. 108. habet *Inopiae.* Vide supra v. 325. [*Tzschuck.*] Eleganter quoque Seneca in Expertis §. 12. *Multum habet. Utrum avarus, an prodigus est? Si avarus; non habet; si prodigus, non habebit.* [*Gruter.*]

372. *Mage fidus heres etc.*] *Filius nascitur heres, heredipeta scribitur.* [*Erasm.*] Insaniunt itaque, qui, neglectis iis, quos natura facit heredes, alios quaerunt, illorum decepti blanditiis. [*Zwinger.*] Hinc est, quod supra dixit v. 266.

Heredem ferre utilius est quam quaerere.

Idem vult Gregorius Nazianzenus Tom. II. pag. 150.

Καὶ γραπτῶν παίδων πολὺ φέρτεροι οὓς ἐφύτευσα,
Καίπερ ἀρειοτέρων οἵγε χερειότεροι.

Contrarium statuit Hieronymus Tom. II. pag. 51. *Heredes meliores ac certiores amici sunt et propinqui, quos iudicio deligas, quam quos velis nolis habere cogaris.* [*Gruter.*] Nec non Democritus in Fragmento apud Stobaeum (insert. Opusc. vet. Graec. sententios. Tom. I. pag. 108. No. 88.): *Ὅτεῳ χρήματά ἐστι, παῖδα ποιήσασθαι ἐκ τῶν φίλων ἐμοὶ δοκεῖ ἄμεινον εἶναι. Καὶ τῷ μὲν παῖς ἔσται τοιοῦτος, οἷον ἂν βούληται· ἔστι γὰρ ἐκλέξασθαι, οἷον ἐθέλει, καὶ ὃς ἂν δοκῇ ἐπιτήδειος εἶναι, καὶ μάλιστα κατὰ φύσιν ἕπηται* (l. *ἕληται*). *Καὶ τοῦτο τοσοῦτον διαφέρει, ὅσον ἐνταῦθα μέν ἐστι τὸν παῖδα λαβεῖν καταθύμιον, ἐκ πολλῶν ὧν ἂν δεῖ· εἰ δέ τις ποιεῖται ἀπὸ ἑωϋτοῦ, πολλοί εἰσι κίνδυνοι· ἀνάγκη γὰρ, ὃς ἂν γένηται, τούτῳ χρῆσθαι.* Ceterum h. l. Publius non distinguere videtur filios naturales ab adoptivis, sed potius heredes, quos natura fecit, ab heredipetis. Pro *Mage* Cod. Frising. *Magis. fidus heres* est is, cui fidere possis, ut tuum commodum respiciat, non suum. Bene Schwarzius:

Geburt macht treu're Erben, als ein Testament.

Pessime contra Kremsier: *Geburt macht sich'rer dich zum Erben, als ein Testament.* [O.]

373. *Mage valet etc.*] *Valet* i. e. *potens, firmus est.* In posteriori loco usitatius, et hinc melius aliquis putet *valeat.* Illud metrum obtinet. [*Tzschucke.*] Sartor. *Magis valet.* [O.]

374. *Magnam fortunam etc.*] Plautus in Stich. Act. II. Scen. I.:

Secundas fortunas decent superbiae. [*Gruter.*]

etiam omittunt Godofred. et Sartor. [O.]

375. *Magnanimo iniuriae remedium etc.*] Supra v. 320. habuimus:

Iniuriarum remedium est oblivio. [O.]

376. *Magnum crimen secum adfert indignatio*] *Indignatio* h. l. bono sensu et boni hominis, quae comperta re scelerata, indigna — — — — oritur. [*Tzchucke.*] Qualis illa, quam describit Claudianus I. in Rufin. v. 258.

— — — — — delecerat omnes
Occultis odiis terror, tacitique sepultos
Suspirant gemitus, indignarique verentur. [*Gruter.*]

Sensum non male reddidit Schwarzius:

Unwillen äussern deutet auf Verbrechen.

Ceterum post hunc versum inserendus alius, quem tanquam Publii citat Michael Neander in Aristologia Euripidea p. 146. ad verba Euripidis ex Oreste v. 695.

Συμπορεῖται μὲν γὰρ τὰ μεγάλα πῶς ἴλοι τὶς ἂν Πόνοισιν.
hic scil.:
Magnum periclum vix sine magno periclo vincitur.
quem tamen in omnibus Publii editionibus frustra quaesivi. [O.]

377. *Mala causa est etc.*] Sens.: *Innocentia non eget misericordia, sed aequum desiderat iudicem. At cum fiducia rei tota est in misericordia iudicis, pessimam habet causam.* [*Erasm.*] Optime Weberus:
Wer suchet Gnad, bös' Sachen hat. [O.]

378. *Malae naturae etc.*] Sens.: *Ad mala vel citra doctorem sumus idonei; virtus discitur.* [*Erasm.*] Eleganter Theognis v. 1023.
Ῥηϊδίη τε πρῆξις ἐν ἀνθρώποις κακότητος,
Τοῦ δ' ἀγαθοῦ χαλεπὴ, Κύρνε, πέλει παλάμη. [*Gruter.*]
Frising. *doctore.* Steph. *doctrina.* [*Sartor.*]

379. *Mala est medicina etc.*] Sens.: *Medicina, quae laedit naturam, dura est, velut quae membrum aufert.* [*Erasm.*]

380. *Mala est voluptas etc.*] Cod. Frising. *voluntas.* Male. [O.] Sens.: *Dulcis est cibus alienus (vel furto abreptus, vel, ut a parasitis, adulatione quaesitus), sed foeda voluptas est adsuescere.* [*Idem.*] Hinc Phocylides praecipit v. 4.
Ἀρκεῖσθαι παρεοῦσι καὶ ἀλλοτρίων ἀπέχεσθαι. [*Gruter.*]
Pessime Kremsier: *Ist dein Geschmack verdorben, jede Freude verbittert er.* Atqui *aliena* h. l. quae alterius sunt, ut infra v. 400. *Malum alienum ne feceris tuum gaudium. Fremdes Gut, fremdes Brodt.* Verterem:
Von fremdem Gute zehren ist ein schlecht Vergnügen. [O.]

381. *Mala mors etc.*] Est Senecae Epist. 70. de quodam e Germanis in ludo bestiariorum foedam mortem sibi consciscente. [*Gruter.*]

383. *Maledictum interpretando etc.*] Sens. *Quidam excusant convicium interpretatione, atque ita magis irritant.* [*Erasm.*] Quidam maledicunt directe, alii oblique, vel maledictum alienum provocando, interpretando, defendendo, vel etiam suum frigide excusando. [*Zwinger. p.* 301.] Pulcre rem tetigit Seneca de Iniuria in sapientem non cadente Cap. X. *Nimio otio ingenia natura infirma et muliebria, inopia verae iniuriae lascivientia his commoventur, quorum pars maior constat vitio interpretantis.* [*Gruter.*] Bene Kremsier:
Du bist Dollmetscher der Verläumdung, und
Beleidigst mehr, als der Verläumder selbst.
Nec male Weberus:
Wer Scheltwort will beschönen,
Nur noch mehr thut verhöhnen. [O.]

384. *Malefacere qui vult, nunquam non causam invenit*] Sensus: *Malis non deest occasio malefaciendi.* [*Erasm.*] Alii *nusquam non,* scriptura utraque vera. Ita Suetonius de Tiberio Cap. 61. *In omne genus crudelitatis erupit, nunquam deficiente materia.* et Ovidius II. Trist. 301.
Omnia perversas possunt corrumpere mentes. [*Gruter.*]

385. *Male geritur, quicquid geritur Fortunae fide*]. Sens.: *Quod a fortuna pendet, id parum est firmum.* [*Erasm.*] Broukhusius ad Tibulli III. Eleg. III. v. 20. *geritur* dictum putat pro *gubernatur.* Male, cum sensus sit: *Male ge-*

rimus, quicquid gerimus forti fortunae fidentes. Bene ad sensum Weberus: *Wer dem Glück traut, Auf den Sand baut.* et propius ad verbum Schwarzius:

Was auf gut Glück betrieben wird, geht schlecht. [O.]

386. *Male imperando etc.*] Sens.: *Summum imperium est bene imperare; id amittitur male imperando.* Sive: *Nullum imperium tam potens, quod non amittatur, si tyrannice imperes.* [*Erasm.*] Egregie Sallustius in principio belli Catil.: *Imperium facile iis artibus retinetur, quibus initio partum est: verum ubi pro labore desidia, pro continentia et aequitate lubido atque superbia invasere, fortuna simul cum moribus immutatur.* [*Gruter.*] Sic apud Euripidem in Supplic. v. 196. Adrastus dicit ad Theseum:

Ἔχει σε (scil. *πόλις σή*) *ποιμέν' ἐσθλόν, οὗ χρείᾳ πόλεις*
Πολλαὶ διώλοντ' ἐνδεεῖς στρατηλάτου. [O.]

387. *Male secum agit aeger etc.*] *Invitat enim, ut occidat.* [*Erasm.*] Elegans est Martialis Epigramma, affine periculum ab rivali medico esse docens, Lib. XI. Ep. 74.

Curandum penem commisit Bacchara Graecus
Rivali medico: Bacchara Gallus erit. (i. e. spado.) [*Gruter.*]

388. *Male vincet is etc.*] Huiusce rei et Nicoclem suum admonet Isocrates: *Φαύλους ἡγοῦ μὴ τοὺς συμφερόντως ἡττωμένους, ἀλλὰ τοὺς μετὰ βλάβης περιγιγνομένους.* [*Gruterus.*] Intelligit Publius victoriam vel cruentam, vel reportatam de civibus et propinquis, quos oportuisset servari incolumes, v. c. in bellis civilibus. [O.]

389. *Male vivet etc.*] Est Senecae de Tranquill. Cap. XI. [*Gruter.*]

390. *Male vivunt etc.*] Sens.: *Semper enim prorogant in crastinum, si quid est utilis aut bonae rei.* [*Erasm.*] Transsumptum ex Seneca Epist. XXIII. qui dicit: *Male vivunt, qui semper vivere incipiunt.* [*Gruter.*]

391. *Malevolus animus abditos dentes habet*] I. e. Malevolus clanculum et in secreto, abdito alios calumniatur. *Dens* metaphorice de livore, invidia, calumnia, quod notissimum. Ita Horatius Epod. VI, 15. *Si quis atro dente me petiverit.* et Phaedr. Lib. IV. Fab. VIII. *Mordaciorem qui improbo dente appetit,* ubi vide intpp. [O.]

392. *Malevolus semper sua natura vescitur*] Sens.: *Etiamsi deest praemium maleficii, tamen malevolus fruitur sua malitia et vel gratis malus est.* [*Erasm.*] Talis est, de quo loquitur Sallustius Cat. Cap. XVI. *Gratuito malus atque crudelis potius, scilicet ne per otium torpescerent manus.* Ita pastor ille Virgilianus adversario multa obiiciens tandem et addit Eclog. III. v. 15.

Et, si non aliqua nocuisses, mortuus esses. [*Gruter.*]

Bene Kremsier:

Von seiner Lasterhaftigkeit lebt stets
Der Bösewicht, er weidet sich daran.

Schwarzius vertens: *Der Menschenfeind nagt immer an sich selbst,* verba *sua natura vescitur* intelligere videtur de invido et malevolo, qui cor suum edit, i. e. animum suum curis et aerumnis excruciat, *carpit et carpitur una,* ut loquitur Ovidius Met. II. 782. [O.] Hic *sua* in unam syllabam est contrahendum, uti in Terentio. [*Anton.*]

393. *Malignos fieri etc.*] Sens.: *Ingrati faciunt, ut, qui benigni fuerint, contractius donent.* Hos enim *malignos* vocat, i. e. parcos. [*Erasm.*] Ita *malignus* opponitur *largo* apud Plautum in Bacchid. Act. III. Scen. II. v. 17.

Iustus, iniustus; malignus, largus; commodus, incommodus. ubi vide Lambin. Sic et *malignitas* apud eundem Captiv. Act. III. Scen. I. v. 5.

Ita malignitate oneravit omnes mortales mihi.

i. e. ita omnes homines reddidit in me illiberales et malignos. [O.] Supra v. 310. dixerat:

Ingratus unus omnibus miseris nocet. [*Gruter.*]

Godofr. *Malignum etc.* [*Sart.*]

394. *Malitia unius etc.*] Ita Terentius in Hecyr. Act. III. Scen. III. 2.

Nos mulieres aeque omnes iniquè viris sumus
Invisae propter paucas, quae omnes faciunt
Dignae ut videamur malo.

et Seneca in Hippol. v. 563.

Cur omnium fit culpa paucarum scelus? [*Gruter.*]

395. *Malitia ut peior veniat etc.*] Vide infra ad v. 405. [O.]

396. *Malo in consilio etc.*] Sens.: *In rebus malis plus sapiunt foeminae, quam viri.* [*Erasm.*] Sic Euripides in Ino apud Stobaeum Serm. LXXI.:

Φεῦ· ὅσῳ τὸ θῆλυ δυστυχέστερον γένος
Πέφυκεν ἀνδρῶν· ἔν τε τοῖσι γὰρ καλοῖς
Πολλῷ λέλειπται, κἀπὶ τοῖς αἰσχροῖς πλέον.

et Plautus in Truc. Act. II. Scen. V. v. 12.

Male quid mulier facere incepit, nisi id efficere perpetrat,
Id illi morbo, id illi senio est, ea illi miserae miseria est.
[*Gruter. et O.*]

Non male Weberus: *Ein böses Weib mehr böses kann ausdenken als ein böser Mann.* [O.]

397. *Consultori est pessimum*] Ita Bentleius. Antea *pessimum est*, repugnante metro. [O.]

398. *Malum consilium est, quod mutari non potest*] Sens.: *Nunquam te involvas huiusmodi nodo, ut te explicare non possis.* Hunc versum adiecimus ex A. Gellio. [*Erasm.*] In talibus enim consiliis nullus spei locus est, quae animum hominis erigere possit. Quod dicit Sophocles in Trach. v. 731.

Οὐκ ἔστιν ἐν τοῖς μὴ καλοῖς βουλεύμασιν
Οὐδ' ἐλπίς, ἥτις καὶ θράσος τι προξενεῖ.

et Damocles praetor Aetolorum apud Livium Lib. XXXI. *praecipitata raptim consilia neque revocari, neque in integrum restitui possunt.* [*Gruter.*]

399. *Malo etiam parcas etc.*] Idem praecipit dominus ille agri in divini Salvatoris parabola Matth. XIII. v. 29. interrogantibus servis: *Θέλεις οὖν ἀπελθόντες συλλέξωμεν αὐτά* (τὰ ζιζάνια); respondens: *Οὔ, μήποτε, συλλέγοντες τὰ ζιζάνια, ἐκριζώσητε ἅμα αὐτοῖς τὸν σῖτον.* [O.]

402. *Malus animus in secreto peius cogitat*] Hinc laudabatur Drusus, ut scribit Tacitus Annal. III. Cap. 37. *ab eo in urbe inter coetus et sermones hominum obversante secreta patris mitigari. Neque luxus in iuvene adeo*

displiceebat. Huc potius intenderet, diem editionibus (i. e. spectaculis), *noctem conviviis traheret, quam solus et nullis voluptatibus avocatus moestam vigilantiam et malam curam exerceret.* [*Gruter.*]

403. *Malus bonum ubi se simulat etc.*] Sens. *Dissimulatio malitia pessima est.* [*Erasm.*] Supra v. 102.

Bonitatis verba imitari maior malitia est.

et v. 395.

Malitia, ut peior veniat, se simulat bonam.

Sic et Plato dixit: *Ἐσχάτης ἀδικίας εἶναι δοκεῖν δίκαιον μὴ ὄντα,* teste Plutarcho de discrim. amici et adulat. Opp. p. 50. E. et Menander apud Stobaeum p. 829.

Ἀνὴρ κακοῦργος πρᾶον ὑπελθὼν σχῆμα
Κεκρυμμένη πρόκειται παγὶς τοῖς πλησίον. [*Grut.*]

404. *Malus est vocandus, qui sui causa est bonus*] *sui* est e correctione Bentleii. Codd. omnes *sua causa.* [O.] Sens. *Qui benefacit sui commode causa, is malefacit.* [*Erasm.*]

406. *Malus quicumque in poena est etc.*] E contrario autem, ut supra v. 101.

Bonis nocet, quisquis pepercerit malis.

Bene itaque Cassiodorus XII. Var. Epist. V. *Tunc libertas gaudet, si scelera non laetentur.* [*Gruter.*]

praesidium est bonis] i. e. bonos tuetur, confirmat. [*Tzschuck.*]

407. *Manifesta causa secum habet sententiam*] I. e. iam involvit sententiam, iudicium, *Entscheid, Ausspruch. Sententia* h. l. de decreto iudicis, quo reum vel damnat, vel absolvit, quod notissimum. Ita Suetonius in Domit. Cap. XI. *Nunquam tristiorem sententiam sine praefatione clementiae pronuntiavit.* Similiter Aristophanes in Vespis v. 918.

Τὸ πρᾶγμα φανερόν ἐστιν· αὐτὸ γὰρ βοᾷ.

quem locum apposite citavit Gruterus. Bene itaque Schwarzius:

Die offne Sache führt ihr Urtheil mit sich. [O.]

408. *Mansueta tutiora sunt, sed serviunt*] Sic infra v. 747.

Summissum imperium non tenet vires suas.

De rectoribus scil. civitatum loquitur. Contra tyranni. Ita Lampridius refert, Alexandrum Severum, cum ei obiicerent quidam nonnulla et saepe dicerent: *Molliorem tibi potestatem et contemptibiliorem imperii fecisti,* respondisse: *Sed securiorem atque diuturniorem.* [*Gruter.*]

409. *Medicina calamitatis etc.*] *Medicinam* vocat, quam Plautus *condimentum* vocat in Rud. Act. II. Scen. III. 71. *Animus aequus optimum est aerumnae condimentum.* Minuit nimirum calamitatem levatque. Quod idem Comicus alibi significat in illo:

Bonus animus in re mala dimidium est mali.

et Silius Ital. XV. 823.

— — compressit lacrymas minuitque ferendo
Constanter mala.

Seneca tandem in Troad.

Vires pepulit pondusque mali,
Casus animo qui tulit aequo. [*Idem.*]

410. *Medicina sola miseriarum oblivio*] Amoebaeum illi v. 320.

Iniuriarum remedium est oblivio.

Verbum de verbo expressit Appianus (Pun. C. 88.): *Φάρμακον δὲ κακῶν ἀκεστήριον λήθη.* [*Idem.*]

411. *Meretrix est instrumentum contumeliae*] Intellige per quam exerceamus contumeliam. [*Idem.*] Immo per quam nobismet ipsis concitamus contumeliam, quod liquet ex loco Quintiliani Declam. XIV. Cap. 8. ab ipso Grutero citato: *Meretricem, inquit, amaveras. Dii Deaeque, quantum in hoc est contumeliae, quod sibi meretrix videtur adamata? Tu tibi cuiusquam affectus censoria gravitate praestabis?* [O.]

413. *Metus respicere non solet, quicquid iuvat*] Tzschuckius explicat: Ne metus quidem animi libidines coercet. Malim equidem: Homines metu perculsi respicere nequeunt, quod ipsis saluti esse possit. In alia omnia abit Schwarzius subiectum faciens v. *quicquid iuvat*, ut constructio sit: *Quicquid iuvat non respicere solet metus*, i. e. metuenda. Vertit enim:

Bey dem was nützt pflegt man nicht an die Furcht zu denken. [O.]

415. *Metus cum venit etc.*] Erasm. legit *Metus ubi venit etc.* explicans: *Timor abigit somnum*, aut: *Non est dormitandum in periculo.* [O.] Iustinus Lib. II. Cap. XIII. de copiis Xerxis fusis: *Quotidiano labori* (*neque enim ulla metuentibus quies*) *etiam fames accesserat.* Sic et Ammianus Lib. XXV. ipso princ. *Et hanc quidem noctem nullo siderum fulgore splendentem, ut solet in arctis rebus et dubiis, exegimus, nec sedere quoquam auso, nec flectere in quietem lumina prae timore.* [*Gruter.*]

417. *Minus decipitur etc.*] Sens. *Minus enim diu sperat et frustratur laevius.* [*Erasm.*] Infra v. 537.

Pars beneficii est, quod petitur, si cito neges.

Martialis Lib. VII. Epigr. 42.

Primum est, ut praestes, si quid te, Cinna, rogabo:
Illud deinde sequens, ut cito, Cinna, neges.
Diligo praestantem; non odi, Cinna, negantem:
Sed tu nec praestas, nec cito, Cinna, negas. [*Gruter.*]

418. *Minus est quam servus etc.*] Sens. *Infra servos est, qui servos suos timet, nempe male sibi conscius.* [*Erasm.*] Talis enim eos, quos sceleris alicuius fecerit conscios, magni facere debebit, et quamvis humiliores, quamvis servos semper metuet. Quo pertinet locus Iuvenalis Sat. III. v. 49.

Quis nunc diligitur, nisi conscius? et cui fervens
Aestuat occultis animus, semperque tacendis?
Nil tibi se debere putat, nil conferet unquam,
Participem qui te secreti fecit honesti.
Carus erit Verri, qui Verrem tempore quo vult
Accusare potest. [*Gruter.*]

Non male Weberus: *Der Herr, der sich fürcht vor dem Knecht, Ist mehr dann Knecht und dienet recht.* [O.]

419. *Minus saepe pecces etc.*] Sens. Pleraque peccata ex inscitia oriuntur. Bene Schwarzius:

Du fehltest seltner, wenn du wüsstest was du nicht weisst. [O.]

420. *Misera est voluptas, ubi pericli memoria est*] Imo periculorum malorumque praeteritae vitae, quae exantlavimus, iucundissima est. Quod testatur Euripideum illud a Macrobio VII. Sat. Cap. II. laudatum: Ὡς ἡδύ τοι, σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων! nec non Aeneas Virgilianus Aen. II. 203. — — — — — — — *Forsan et haec olim meminisse iuvabit*, ubi vid. Heyne. Et omnino videntur mihi verba haec in deperdito Mimo Publiano fuisse mollis cuiusdam et voluptarii, voluptatem perpetuam, nec ulla sive praeteritorum malorum memoria sive futurorum exspectatione turbatam desiderantis. [O.]

421. *Miser dici bonus vir*] Refert Seneca de Provid. Cap. III. *Bonus vir* est subiectum sive notio prima. [*Tzschucke.*]

422. *Miseri est nescire etc.*] Hic versus nihil aliud est, nisi varians lectio proxime sequentis, qui ex illo depravatus erat. Sed veram et egregiam servavit Commelini MStus Gallicus. Respicitur scil. inquietum illud hominum genus, quod fortunae suae secundae semper instat, negotia quaerit e negotiis, bella e bellis. Talis enim, etsi felices, miseros vocat auctor; quia semper circa pericula. Huius animi hominem unum pro multis graphice nobis depinxit Cornelium Fuscum Lib. II. Historiarum Tacitus: *Non tam praemiis periculorum quam ipsis periculis laetus: pro certis et olim partis nova ambigua ancipitia malebat etc.* [*Gruter.*] V. *nescire sine periculo vivere* Tzschuckius explicat nunquam periculo sapere, sed novum iterum iterumque incurrere. Pessime Schwarzius:

Wer elend ist, weiss nicht, wie man gefahrlos lebt.

cum *nescire etc.* subiectum sit. [O.]

423. *Miseriam est nescire etc.*] Erasmus legens *Miseriam nescire sine periculo est vivere* sic explicat: *Qui sine periculo vivit, is feliciter vivit.* Vita tuta quamvis humilis felicissima est. Languida omnino sententia et, ut iam observavimus, e proxime antecedenti depravata. [O.] Godofredus et H. Stephanus faciunt Trochaicum legentes:

Miseriam nescire propriam est sine periculo vivere. [*Sartor.*]

424. *Misericors civis etc.*] Facit huc et v. 573.

Potens misericors publica est felicitas. [*Gruter.*]

425. *Miserrima est fortuna, quae inimicos latet*] Et istum produxi et reliqui tamen alterum: *Miserrima est fortuna, quae inimico caret*, quod uterque elegans esset, nosterque adeo nervosior isto. [*Gruter.*] Ut sensus insit commodus, *fortuna* bono sensu intelligi debet, quam si inimici ignorant, deprimitur. Augetur nempe felicitas, quam scientibus inimicis nacti sumus. Sic etiam *fortuna* in sequenti versu. [*Tzschucke.*]

426. *Miserrima est fortuna, quae inimico caret*] Sens. *Felicitas incitat inimicitias. Ergo cui nullus invidet, is miserrimus sit oportet.* [*Erasm.*]. Ista fuit fortuna Neronis ab omnibus destituti, quam miseriam declarat eius illa vox, quam habet Suetonius Cap. XLVII. *Ergo ego nec amicum habeo, nec inimicum?* Hinc quam sit absurdum miserum talem et abiectum hominem adhuc odisse, qui misericordia potius sit dignus, docet nos Quintilianus Declam. IX. *Unde*, inquit, *tantum misero boni, ut inimicus sit? Adspice solum, egentem, senem, omnibus praesidiis destitutum: nonne con-*

amelium fortunae tuae facis, si hunc odisti, et adhuc tua putas interesse, ut vivat? Nulla tibi contingere maior ultio potest, quam si talis est, ut illius etiam nos misereamur. [*Gruter.*]

428. *Miserum est tacere cogi, quod cupias loqui*] Sens. *Durum est, cum non licet loqui, quod velis. Nam illic multo minus licebit facere, quae velis, si loqui non licet.* [*Erasm.*] Cod. Frising. *Miserum est agere cogi etc.* Vitiose. [*Sartor.*] Infra v. 811.

Heu dolor quam miser est, qui in tormentis vocem non habet.

et v. 812.

Heu quam miserum est ab eo laedi, de quo non ausis queri. [*Grut.*]

430. *Mora cogitationis diligentia est*] Forte legendum *diffidentia.* Qui enim diffidit, consilia multa cogit intra pectus, sed nullum audet sequi. [*Gruter.*] Non male. Potest tamen *diligentia*, i. e. *accurata rei cura et intentio*, cogitationem morari. Igitur et sic apte. [*Tzschucke.*] Sic et Schwarzius vertens:

Beym Denken sich verweilen, das ist Fleiss. [O.]

431. *Mora omnis odio est etc.*] Sens. *Molesta est mora in omni re, tamen ea nos reddit sapientes, ne quid agamus temere et inconsulto.* [*Erasm.*]

432. *Mori est felicis etc.*] Sens. *Ille feliciter moritur, qui tum moritur, dum adhuc iucunda est vita ac nondum huius taedio mortem optat.* Quidam pro *felicis* habent *felicius.* [*Erasm.*] Pro *invocet* MS. Frising. *invoces.* Non male. [O.] Est autem Senecae Consol. ad Marc. Cap. XX. Causam explicat idem Senecae egregie in hanc sententiam disputans Epist. XCIX. *Propone*, inquit, *profundi temporis vastitatem et universum complectere, deinde hoc, quod aetatem vocamus humanam, compara immenso: videbis, quod exiguum sit, quod optamus, quod extendimus. Ex hoc quantum lacrymae, quantum sollicitudines occupant, quantum mors ante quam veniat optata, quantum valetudo etc.* Conf. Plin. Hist. Nat. VII. Cap. I. [*Gruter.*]

433. *Mori necesse est etc.*] Sens. *Aliquando optant mortem homines, cum mori non possint. Nec oportet, quoties aliquid in vita molesti acciderit, mortem petere, quasi liceat reviviscere.* [*Erasm. et Zwinger.*] Potius: *Mors semel homini oppetenda, non quoties optaverit illam aerumnis pressus.* Et bene Schwarzius:

Mensch, du musst sterben, nur so oft nicht, als du willst. [O.]

434. *Mortem timere etc.*] Sic apud Ausonium Periander:

Mortem optare malum, timere peius.

Cicero item Tusc. Quaest. Lib. I. *Quae enim potest esse in vita iucunditas, cum dies et noctes cogitandum sit, iam iamque esse moriendum.* nec non Poeta vetus in Anthologia Lib. I. Tit. 30.

Τοὺς καταλείψαντας γλυκερὸν φάος οὐκ ἔτι θρηνῶ·
Τοὺς δ' ἐπὶ προσδοκίῃ ζῶντας ἀεὶ θανάτου. [*Gruter.*]

435. *Mortem ubi contemnas etc.*] Supra v. 270.

Heu quam est timendus, qui mori tutum putat!

Egregie Seneca ad Helv. Cap. XIII. *Ex quo pectore mortis metum eieceris, in id nullius rei timor audebit intrare.* et Ar-

rianus ad Epict. (Lib. II. Cap. XVIII. §. 30.) *Ἐπεὶ τοί ἄρον τὸν φόβον τοῦ θανάτου, καὶ φέρε ὅσας θέλεις βροντὰς καὶ ἀστραπὰς, καὶ γνώσῃ, ὅση γαλήνη ἐστὶν ἐν τῷ ἡγεμονικῷ καὶ εὐδία.* [*Gruter.*] Metrum restituit Sartorius. Nam in MS. Frising. verba sic erant transposita:

Mortem ubi contemnas, metus viceris omnes. [O.]

436. *Muliebris lacryma etc.*] Supra v. 171.

Didicere flere feminae in mendacium.

Eleganter hunc locum expressit Achilles Tatius Lib. VI. *Ἔστι μὲν γὰρ φύσει δάκρυον ἐπαγωγὸν ἐλέου τοῖς ὁρῶσιν· τὸ δὲ τῶν γυναικῶν μᾶλλον, ὅσῳ θαλερώτερον, τοσούτῳ καὶ γοητότερον.* [*Gruter.*]

437. *Mulier cum sola cogitat, male cogitat*] Sens. *Mulier apud se cogitabunda aliquid mali volvit in animo: pudor enim cohibet eum sexum qui abest in solitudine.* [*Erasm. et Zwinger.*] Malim: *Mulier, quae sola cogitat nec consilia sua cum marito communicat, male cogitat. Mulier* de uxore, ut saepius. Sic Cato Distich. I. 8.

Nil temere uxori de servis crede querenti;
Saepe etenim mulier, quem coniux diligit, odit.

ubi vide inspp. pag. 66. ed. Arntzenii. Schwarzius in Notis versioni suae subiectis sexum muliebrem defendere conans verba haec interpretatur: Mulier, quae sola nec a viro adiuta cogitat, minus apte ac distincte cogitat, *denkt nicht richtig, nicht in der gehörigen logischen Form.* Sed Publius noster (feminarum osor, ut Euripides et Comici quotquot exstant omnes) sine dubio v. *male cogitat* intellexit de malo consilio. Vide v. praecedentem. Weberus:

Nur arge böse Tück und List der Weiber heimlich
Denken ist. [O.]

438. *Mulier, quae multis nubit etc.*] Sens. *Male audiunt vulgo, quae saepius mutant maritum: aut infelices sunt, aut incontinentes, aut inconstantes, aut morosae.* [*Erasm.*] Conf. v. 441.

439. *Multa ignoscendo etc.*] E contrario autem, ut dicit infra v. 746.

Suis qui nescit parcere, inimicis favet. [O.]

440. *Multis minatur etc.*] Sens. *Omnes exspectant iniuriam ab eo, qui uni fecerit.* [*Erasm.*] Apposite Seneca I. de Clem. Cap. VIII. *Frequens vindicta paucorum odium reprimit, omnium irritat.* [*Gruter.*] MS. Frising. *qui vi facit iniuria*, vitiose. Scalig. *qui facit uni iniuriam.* [*Sart.*]

441. *Multis placere quae cupit, culpam cupit*] Ita Sartor. sequentibus Bipontinis et Tzschuckio. Optime Gruterus et reliqui *culpam capit*, quomodo legisse videtur etiam Ios. Scaliger vertens: *ὑπαίτιος* et in Scholiis *οὐκ ἂν αἰτίαν φύγῃ.* Sed *cupit* multo acutius et venustius. Quid quod *cupere* et *capere* saepissime confunduntur in MSStis. Vide Drackenborch. ad Sil. Ital. XVII. 167. pag. 854. et qui nubem exemplorum citat N. Heins. in Adversar. Lib. I. Cap. V. pag. 53. [O.] Supra v. 438.

Mulier, quae multis nubit, multis non placet.

et infra v. 599.

Quae vult videri bella nimis, nulli negat.

Sic et Plautus in Poenul. Act. V. Scen. IV. 53.

Multa sunt mulierum vitia, sed hoc e multis maximum est,
Cum sibi nimis placeant, nimisque operam dant, ut placeant viris. [*Grut.*]

443. *Multa ante tempus etc.*] E contrario autem, ut dicit infra v. 507.

Nulli facilius quam malo invenias parem.

Pittacus dicenti, virum bonum quaerendum esse, respondit: *ἂν λίαν ζητῇς, οὐχ εὑρήσεις*, teste Diogene Laertio in eius vita. Talem virum inquit Seneca *tanquam phoenicem semel anno quingentesimo nasci* Epist. XLII. Huc facit illud Iuvenalis Sat. XIV.

— — — — — — — — — — — — — Catilinam
Quocunque in populo videas, quocunque sub axe.
Sed nec Brutus erit, Bruti nec avunculus usquam.

nec non Antiphanis Comici apud Athenaeum p. 654.

Χρηστὸν ἄνθρωπον δὲ γ᾽ ἄν τις ἕνα μόνον ζητῶν ἴδῃ,
Ὄψει᾽ ἐκ τούτου παῖδας πονηροὺς πέντε γεγονότας. [*Grut.*]

ante tempus i. q. *cito* (non diu quaerendo). Germ. *vor der Hand.* (Oppositum *post tempus.* Vide infra v. 630.) Et supplendum *potius.* Sed dubito, annon legendum sit: *Multo ante tempus quam virum invenies bonum,* hoc sensu: *Multo ante* (i. e. citius) *invenies tempus bonum quam virum bonum.* [O.] Probo tuam coniecturam. [*Casp. Orell.*]

444. *Multos timere debet etc.*] Sens. *Quem multi timent, hunc pauci amant. Is igitur vicissim eos timeat oportet, a quibus timetur.* [*Erasm.*] Nam, ut Ennius apud Cic. de Offic. II. Cap. VII.

Quem metuunt, odere: quem quisque odit, periisse expetit.

Quo pertinet etiam hoc Senecae I. de Clem. Cap. XII. *Nam et invisus est, quia timetur, et timeri vult, quia invisus est, Nec illas ipsas manus, quibus se commisit, secure adspicit: et illo execrabili versu, qui multos dedit praecipites, utitur: — Oderint dum metuant.* nec non Tragici in Oedip. v. 706.

Timet timentes, metus in auctorem redit.

et Ausonii: *Multis terribilis caveto multos.* [*Gruter.*] Versus Laberii vid. infr. v. 448. [O.]

445. *Muneribus, non lacrymis etc.*] Unde, si nihil illis attuleris, ibis videlicet foras. Sic illa in Plaut. Asinar. Act. III. Scen. I. v. 30.

Nunc adeo, nisi huc mihi argenti affert viginti minas,
Nec ille ecastor hinc trudetur largus lacrumarum foras.

Nec minus egregie ludit servus ille in Pseud. Act. I. Scen. I. 99.

Nisi tu illi drachmis fleveris argenteis,
Quid tu istis lacrumis te probare postulas?

Sic ibid. Scen. III. v. 76. leno

— — — cum argentea accedito querimonia.

Egregie etiam huc allusit Poeta in Anthol. Lib. I. Tit. XXVIII. Ep. 6.

Μὴ κλαίων τὸν ἔρωτα δόκει, Τηλέμβροτε, παύσειν,
Μηδ᾽ ὀλίγῳ παύσειν ὕδατι πῦρ ἀπνοεῖν.
Χρυσὸς ἔρωτος ἀεὶ παιώνιος· ἐσβέσθη δὲ
Οὐδὲ ποτ᾽ ἐν πολλῷ τικτόμενος πελάγει. [*Gruter.*]

446. *Mutat se bonitas irritata iniuria*] Cod. Frising. Erasm. Scalig. *cum irritatur iniuria.* Godofred. et H. Steph. *cum irrites iniuria.* [*Sartor.*] Sens. *Boni fiunt mali, si provoces.* [*Erasm.*]

447. *Naturam abscondit etc.*] Sic supra v. 206.

Exeritur opere nequitia, non incipit. [*Gruter.*]

Sartorius legit:

Naturam abscondit improbus, cum recte facit. [O.]

448. *Necesse est multos timeat etc.*] Est versus Laberianus citatus a Macrobio II. Sat. Cap. VII. nec non a Seneca de Ira II. Cap. XI. Uterque narrat, hunc versum medio civili bello in theatro dictum totum populum in Iulium Caesarem convertisse. [O.] Supra v. 444.

Multos timere debet, quem multi timent.

Nec minus acute Seneca I. de Clem. Cap. XIX. *Errat, si quis existimat, tutum esse ibi regem, ubi nihil ab rege tutum est.* [*Gruter.*]

449. *Necessitas ab homine etc.*] Huc facit egregie Quintilianus in Declam. XII. ubi loquitur de fame, quam *magistram peccandi* et durissimam *necessitatem* vocat: *Haec*, inquit, *ad humile opus nobiles manus mittit; haec alienis pedibus mendicantes prosternit; haec saepe sociorum fidem fregit; haec venena populis publice dedit; haec in parricidium pios egit.* [*Gruter.*] Conf. Horat. I. Od. XXXV. v. 17. et seqq. [O.]

450. *Necessitas dat legem etc.*] Nam, ut mox dicturus est v. 456.

Necessitas quodlibet telum utile est. [*Gruter.*]

454. *Necessitas quod poscit etc.*] Hinc bene Cassiodorus IX. Var. Epist. 13. dicit: *sub quadam excusatione peccare creditur, cui necessaria non praebentur.* [*Idem.*]

455. *Necessitatem ferre, non flere addecet*] Videtur sumptum ex Seneca de Tranq. Cap. XV. *addecet* verbum Plautinum, v. c. Bacchid. Act. I. Sc. II. v. 20.

Qui si decem habeas linguas, mutum esse addecet.

et Rud. I. Sc. II, v. 27. *Impudentem hominem addecet modestum ultro advenire ad alienam domum.* [O.]

456. *Necessitati quodlibet telum utile est*] Supra v. 450.

Necessitas dat legem, non ipsa accipit. [*Gruter.*]

457. *Necessitati sapiens etc.*] Simplicius ad Epictet. Cap. LIII. pag. 523. ed. Schweigh. *Ἀνάγκη ἐστὶν ἡ ἐπὶ τὸ ἄνω καὶ τὴν θείαν αἰτίαν πάντα ἄγουσα ἑκόντα τε καὶ ἄκοντα· καὶ ὁ ταύτῃ συμφωνεῖν, καὶ ἀκολουθῶν, καὶ μὴ ἀντιτείνων, ἀλλ' ἀόκνως ἑπόμενος, σοφὸς ὄντως ἐστί.* [O.]

458. *Necessitatis est remedium parcitas*] Sens. Si parseris rei tuae, medeberis necessitati, i. e. non incides in necessitatem. Sic supra v. 302.

Incertus animus remedium est sapientiae,

i. e. non incides in sapientiam, si semper incerto sis animo. Dixit heic ergo (quod Seneca Epist. I.): *sera esse in fundo parsimoniam.* [*Gruter.*] *Necessitas* itaque h. l. de inopia, indigentia rerum ad vitam necessariarum: quo sensu singularis numerus insolentior, pluralis haud infrequens, apud Suetonium v. c. Caesar. Cap. LXVIII. *Famem et ceteras necessitates, non quum obsiderentur modo, sed et si alios ipsi obsiderent, tantopere tolerabant etc.* ubi vid. Bremi pag. 78. [O.]

460. *Nec vita nec fortuna hominibus perpes est*] Utriusque et *vitae* et *fortunae* hanc considerationem muri suo urbano tribuit Horatius II, Sat. VI, v. 95. quum ita loquitur:

— — — — — — — — — — terrestria quando
Mortales animas vivunt sortita, neque ulli est
Aut magno, aut parvo leti fuga. Quo bene circa,
Dum licet, in rebus iucundis vive beatus. [*Gruter.*]

Perpes — Festus: *Perpetem pro perpetuo* (iugi) *dixerunt poetae. Pacuvius in Iliona: Fac, ut coepisti, hanc operam mihi des perpetem.* ubi observat Dacerius, *perpes* proprie fuisse vocabulum augurale. Apud Plautum eiusque imitatores, Appuleium inprimis et alios, satis frequens. Sartorius: *Nec vita nec fortuna perpetua est hominibus.* Male. [O.]

461. *Negandi causa etc.*] Sens. *Qui non dat libenter, semper aliquam invenit causam, cur non det.* [*Erasm.*] Sartorius aliam etiam lectionem adfert e Cod. Frising. sensu cassam:
Negandi causa avarum nunquam facit. [O.]

462. *Negata est magnis sceleribus semper fides*] Sumptum ex Seneca in Hippolyt. v. 160. Idem Thyeste v. 759.
— — — — — — — — O nullo scelus
Credibile in aevo, quodque posteritas negat.
et in Troad. v. 165.
Maiora veris monstra vix capiunt fidem. [*Gruter.*]

463. *Negat sibi ipse etc.*] Martialis Lib. III. Epigr. 51.
Cum dare non possim, quod poscis, Galla, rogantem
Multo simplicius, Galla, negare potes.
idem Lib. IX. Epigr. 37.
Non ego, quod poscis, res negat ipsa tibi. [*Gruter.*]
ipse abest in MSto Frising. Male. Ceterum bene *sibi ipse*, non *sibi ipsi.* Vide Arntzen. ad Dion. Cat. Lib. I. Distich. IV. pag. 58. nostri loci non immemorem et inprimis amiciss. Ochsner. ad Cicer. Eclog. e collect. Oliveti pag. 34. ed. noviss. [O.]

464. *Nemo, qui coepit ex se, risum praebuit*] Eadem sententia legitur apud Senecam de Const. sap. Cap. XVII. unde forte huc translata est, sic: *Nemo aliis risum praebuit, qui ex se cepit,* et explicat ante: *Materia petulantibus et per contumeliam urbanis detrahitur, si ultro illam et prior occupes.* [*Tzschuck. et O.*] Idem de Augusto loquens Lib. I. de Clem. Cap. X. bonum illum principem non aliam ob causam fatetur, quam quod *contumelias quoque suas, quae acerbiores principibus solent esse quam iniuriae, nulla crudelitate exsequebatur, quod probrosis in se dictis arrisit.* [*Grut.*]

466. *Nemo ita pauper vivit, quam pauper natus est*] Nota *ita* — — *quam* pro *tam* — — *quam* usus rarissimi, in hoc quidem nexu. Sic quoque *ita* — *quam* apud Propert. El. V, 11.
Non ita Carpathiae variant Aquilonibus undae
— — — — — — — — — — — — —
Quam facile irati verbo mutantur amantes. [*Tzschucke.*]
Sententiam quod attinet, comparandus cum nostro locus Pauli Apostoli I Tim. VI, 7. *Οὐδὲν γὰρ εἰσηνέγκαμεν εἰς τὸν κόσμον, δῆλον, ὅτι οὐδὲ ἐξενεγκεῖν τι δυνάμεθα.* [O.]

467. *Nemo timendo etc.*] Timor enim homines parendi potius quam imperandi studiosos facit, quum contraria omnia agat animi fiducia. Sic Xenophon Memorabb. III. Cap. V §. 5. *Τὸ μὲν γὰρ θάρσος ἀμέλειάν τε καὶ ῥᾳθυμίαν καὶ ἀπείθειαν ἐμβάλλει, ὁ δὲ φόβος προσεκτικωτέρους τε καὶ εὐπειθεστέρους καὶ εὐτακτοτέρους ποιεῖ.* [*Gruter.*]

468. *Nequitia poena maxima ipsamet sui est*] Cod. Frising. et Godofredus: *Nequitia ipsa poena sui est. Nam mala conscientia saepe tuta est, secura nunquam,* ut sit sententia prosaica. [O.] Egregie Seneca Epist. LXXXI. *Minimum ex nequitia levissimumque ad alios redundat: quod pessimum est, et (ut ita dicam) spississimum, domi remanet, et premit habentem.* [Gruter.]

469. *Nescio quid cogitat etc.*] Tunc est *pessimus*, ut supra dixit v. 403. [*Idem.*]

470. *Nil agere semper etc.*] Sens. *Qui infortunatus est in rebus gerendis, huic optimum est in otio vivere et a negotiis plane abstinere.* [Erasm.] Hinc Horatius I Epist. XVII.

Sedit, qui timuit, ne non succederet.

Omnino autem quicunque fuerit, *qui multa agit, saepe fortunae potestatem sui facit, quam tutissimum est raro experiri*, ut docet Seneca de Tranq. Cap. XIII. [*Gruter.*] Quod hic de infelice dictum, Graecus versiculus de peregrino extulit:

Ξένος ὢν ἀπράγμων ἴσθι, καὶ πράξεις καλῶς. [*Scalig.*]

infelix h. l. is, cui, quidquid conatur, in irritum cadit, *dem nichts gelingt, der kein Glück, Geschick hat.* Bene itaque Schwarzius:

Dem, der kein Glück hat, ist nichts thun das Beste.

nec non Weberus: *Wer kein Glück hat, am besten thut,*
Wenn er nichts vornimmt, sondern ruht. [O.]

471. *Nil aliud scit necessitas, quam vincere*] Haec enim etiam timidos fortes facit. Catilina apud Sallustium Cap. LVIII. *Cum vos considero, milites, et cum facta vestra aestumo, magna me spes victoriae tenet. Animus, aetas, virtus vestra hortantur, praeterea necessitudo, quae etiam timidos fortes facit.* [Gruter.]

472. *Nihil eripit Fortuna etc.*] Est Senecae de iniuria in sapientem non cadente Cap. V. Hinc igitur doctrinam non eripit nec virtutem, ut ait Sallustius in Iugurtha Cap. I. (Fortuna) *probitatem, industriam, alias artes bonas neque dare, neque eripere potest.* [*Idem.*] Addit Seneca: *virtutem autem non dat.* [Tzschucke.]

473. *Nil est miserius etc.*] Infra v. 721.

Sibi ipsi dat supplicium, quem admissi pudet. [Gruter.]

475. *Nil non acerbum prius quam maturum fuit*] Ita omnino legendum, non *siet* (ut edidit Sartorius). [*Idem.*] MS. Frising. *sit.* *Acerbus* de fructibus, qui acerbi sunt, quamdiu immaturi. Vid. Bremi ad Cornel. Nep. Cimon. Cap. IV. pag. 86. ed. noviss. Hinc translatum ad homines nondum ad humanitatem excultos. Non male Schwarzius:

Jedwede Frucht ist vor der Reife bitter. [O.]

476. *Nil non aut lenit etc.*] Potest intelligi: Dolor pusillus tempore vanescit, grandis occidit. [*Gruter.*]

477. *Nil peccent oculi etc.*] Sens. *Oculos incusamus, quasi ministrent occasionem malarum cupiditatum. At animus in culpa est, qui oculis non imperat.* [*Erasm.*] Erasm. *Nil peccant.* Sed praeferendum *peccent* potentiale, quod revocavit Bentleius. [O.]

479. *Nil proprium ducas etc.*] Sens. *Nil existimes vere tuum ac perpetuum, quod possit auferri.* [*Erasm.*] *Possiet* (quae formatio est apud Plautum aliquoties obvia) cum Erasmo revocavi. Sartor. et Gruter. *potest*, Godofred. *possit.* Pro *mutari* Weberus ed. *mutarier.* [O.]

480. *Nil turpe ducas pro salutis remedio*] *Remedium salutis* pro via seu ratione salutis consequendae plane insolitum: imo apud scriptores probatae Latinitatis *salutis remedium* est remedium contra salutem, ut supra v. 301. habuimus:

Incertus animus remedium est sapientiae.

Quamobrem equidem cum Tzschuckio spurium et ab homine barbaro Publianis intrusum hunc versum putaverim, quem unus servavit Codex Frisingensis, ubi ita legitur: *Nil tpe* (per compendium scripturae pro *tempore*) *ducas pro salutis remedio*, nullo sensu. unde Sartorius effecit: *Nil tempora ducas etc.* fortasse hoc sensu: *Ne producas tempora*, vel: *Ne cunctare pro salutis remedio.* Sed sensum vulgatae lectionis bene reddidit Schwarzius:

Halt nur nichts Schändliches für Wohlfahrtsmittel. [O.]

481. *Nil turpius etc.*] Seneca de Tranq. Cap. III. *Nihil turpius est, quam grandis natu senex, qui nullum aliud habet argumentum, quo se probet diu vixisse, praeter aetatem.* [*Gruter.*] Conf. Senec. Epist. 23. [O.]

482. *Nimium altercando veritas amittitur*] Sens. *Moderata disceptatione veritas excutitur, at immoderata perditur*, id quod prorsus accidit sophisticis quibusdam ac rixosis disputatoribus. Hic versus a Gellio citatur (Lib. XVII. Cap. XIV. et Macrobio II. Sat. Cap. VII. Laberio adscriptus). [*Erasm.*] MS. Frising. *veritas evertitur.* Non male. Bene Weberus: *Durch zuviel und stark Disputieren Thut man die Wahrheit auch verlieren.* [O.]

483. *Nimium est in morte boni etc.*] Cicero de Senect. *O miserum senem, qui mortem esse contemnendam in tam longa aetate non viderit. Quae aut plane negligenda est, si omnino exstinguit animum, aut etiam appetenda, si aliquo eum deducit, ubi sit futurus aeternus.* [*Gruter.*] Ita correxit Sartorius depravatam lectionem Cod. Frising. *Nimirum est etc.* Idem Cod. pro *inest* habet *sit* vel *slet*, ut edidit idem Sartorius. [O.]

484. *Nisi per te sapias etc.*] Hinc illa:

Nullius rei est mathesis, mens nisi adsit, quae sapit.

et: *Absque mente disciplina nil valet discentium.*

Conf. Quintil. in Praefat. Inst. Or. et Lib. I. Cap. ult. item Lib. II. Cap. XIX. [*Gruter.*]

485. *Nisi qui scit facere etc.*] Inde quis de Thessalis, *esse stupidiores, quam ut decipiantur*, testatus est. Huc referendum et illud, quod est apud Sallust. in Orat. II. ad Caesar. *Hostem adversum opprimere strenuo homini haud difficile est: occulta pericula neque facere neque vitare bonis in promptu est.* [*Idem.*]

486. *Nisi vindices delicta etc.*] Huc spectant illa v. 101.

Bonis nocet, quisquis pepercerit malis.

v. 440.

Multis minatur, qui uni facit iniuriam.

et v. 660.

Qui culpae ignoscit uni, suadet pluribus.

tandem v. 699.

Saepe ignoscendo das iniuriae locum. [*Idem.*]

487. *Nocens precatur, innocens irascitur*] Et ultro quidem ille supplex est. Plautus in Bacch. Act. V. Scen. IX. v. 101.

Ut, qui deliquit, supplex est ultro omnibus.

Qui vero non deliquit, *hunc decet audacem esse, et confidentem pro se, et proterve loqui*, ut loquitur idem in Amph. Act. II. Scen. II. v. 206. [*Idem.*]

488. *Nocentem qui defendit etc.*] Infra v. 724.

Socius fit culpae, qui nocentem sublevat. [*Idem.*]

Pro *crimen sibi* Sartor. *sibi crimen.* [O.]

489. *Nocere casus etc.*] Infra v. 501.

Non novit virtus calamitati cedere. [*Gruter.*]

490. *Nocere posse et nolle etc.*] Ausonius:

Quod sapientis opus? cum possit, nolle nocere. [*Idem.*]

491. *Noli contemnere ea etc.*] Nam, ut mox v. 497.

Non est pusillum, si quid maxime est minus:

et, ut Quintilianus Inst. (Lib. X. Cap. I.): *ut pervenire ad summa nisi ex principiis non potest, ita procedente iam opere minima incipiunt esse, quae prima sunt.* Unde nec parvum dici vult parvum, unde magnum quid provenit, Nazianzenus Tom. II. p. 186. (Bill.)

Τὸ μικρὸν οὐ μικρὸν, ὅταν ἐκφέρῃ μέγα. [*Idem.*]

Pessime itaque Schwarsius:

Verachte nicht, was Höhere erheben. [O.]

492. *Non cito ruina perit is, qui rimam timet*] Elegantissimam sententiam dissimulabat vulgata lectio et quidem ineptissima:

Non cito ruina cadit vir, qui primam timet. [*Scalig.*]

Sunt qui ita corruperunt: *Non cito ruina cadit vir, qui ruinam timet.* Godofredus hoc modo legit: *Non cito perit ruina, qui ruinam timet.* Cod. Frising. et H. Steph. sic habent:

Non cito ruina perit, qui ruinam timet. [*Sartor.*]

Erasmus Trochaicum efficit legens:

Non cito perit ruina vir, ruinam qui timet.

et explicat: *Non facile opprimitur incommodo, qui praecavet incommodum*, et non facile opprimitur periculo, qui periculum observat. Zwingerus pag. 878. citat:

Non cito ruina perit, qui ruinam praetimet.

Sed unice vera summi Scaligeri correctio. [O.]

493. *Non corrigit, sed laedit etc.*] Eleganter Nazianzenus Tom. I. pag. 8. id, cui vis adhibetur, comparat plantae manibus inflexae, quae, simulac dimissa fuerit, ad se mox redibit. [*Gruter.*]

494. *Non est beatus etc.*] Est apud Senecam Epist. IX. in fin. [*Idem.*]

495. *Non est bonitas etc.*] Est Senecae Epist. LXXIX. §. 3. Bene hoc considerat et Horatius I. Epist. XVI.

Nec furtum feci, nec fugi, si mihi dicat
Servus: habes pretium, loris non ureris, aio.
Non hominem occidi. Non pasces in cruce corvos.
Sum bonus et frugi, renuit, negat atque Sabellus.

Quod egregie etiam urget Lib. II. Epist. II. v. 204. et seqq.

Extremi primorum, extremis usque priores.
Non est avarus: abi. Quid, caetera iam simul isto
Cum vitio fugere? Caret tibi pectus inani
Ambitione etc.

Talis plane existimandus est, in quem Martialis scripsit L. XII. Epigr. 36.

Non es, crede mihi, bonus. Quid ergo?
Ut verum loquar, optumus malorum.
Pisones, Senecasque, Memmiosque
Et Crispos mihi redde, sed priores,
Fies protinus ultimus bonorum. [*Idem.*]

496. *Non est pusillum etc.*] Est Senecae Epist. C. Huc spectat, quod supra dixit v. 491.

Noli contemnere ea, quae summos sublevant. [O.]

497. *Non est cicatrix turpis etc.*] Sic Plutarchus de virt. Alexandri Tom. II. pag. 331. C. testatur, Alexandrum vulnera sua circumtulisse ὥσπερ εἰκόνας ἐγκεχαραγμένας ἀρετῆς καὶ ἀνδραγαθίας. [*Gruter.*]

498. *Non est tuum etc.*] Hic non est versus Publii, sed Lucilii (iunioris) ad imitationem Publiani Mimi factus, teste Seneca Epist. VIII. [*Sartor.*] Seneca ad Helv. Cap. V. *Nunquam ego Fortunae credidi, etiamsi videretur pacem agere: omnia illa, quae in me indulgentissime conferebat, pecuniam, honores, gloriam eo loco posui, unde posset ea sine motu meo repetere.* [*Gruter.*]

499. *Non facile de innocente etc.*] Fama non nascitur de nihilo. Aeschines adv. Timarch. pag. 187. in fin. (ed. Hier. Wolf.): Περὶ δὲ τὸν τῶν ἀνθρώπων βίον καὶ λόγον καὶ τὰς πράξεις ἀληθής τε καὶ ἀψευδής ἀπὸ ταὐτομάτου πλανᾶται φήμη κατὰ τὴν πόλιν. [*Idem.*]

501. *Non novit virtus calamitati cedere*] Supra v. 489.

Nocere casus non solet constantiae. [*Gruter.*]

502. *Non pote non sapere etc.*] Cod. Frising. *Non potest non etc.* Bene Schwarzius:

Wer einsieht, dass er Thor ist, kann kein Narr seyn. [O.]

503. *Non quam multis placeas, sed qualibus stude*] Forte *vide.* [*Grut.*]

504. *Non semper aurem facilem habet felicitas*] Antea *facilitas,* quod Gruterum offendit tanquam sensum efficiens subfrigidum: correxit itaque *felicitas,* quod sensum quidem habet probabilem, quia felices (i. e. beati, divites, opulenti), ut inquit Terentius in Hecyra, *sublati sunt animo* nec facile monitoribus aurem praebent. At minime frigida, immo elegantissima mihi videtur vulgata lectio, quam sic interpretor: *Facilitas,* i. e. *qui faciles videntur et humani* (abstractum pro concreto), *non semper aurem habent facilem* (vel in exaudiendis supplicum precibus vel in audiendis conviciis in ipsos iactatis). Ludit nempe in verbis *facilem* et *facilitas.* [O.] At *facilitas* metro adversatur. Praeferendum itaque *felicitas* Gruteri. [*Casp. Orell.*] De confusione haud infrequenti horum vocabulorum in Codd. MSStis vide Ruhnken. ad Vellei. Paterc. II. 53. pag. 257. [O.]

505. *Non vincitur, sed vincit etc.*] Sic Calpurnius Flaccus Declam. XXI. *Cede, frater, cede vel patri, victor eris, mihi crede, si cesseris.* [*Gruter.*]

508. *Nulli impones*] Bipontini *imponas.* [O.] Quod observans Lycurgus *non habentibus Spartanis leges instituit, non inventione earum magis quam exemplo clarior: siquidem nihil lege ulla in alios sanxit, cuius non ipse primus in se documenta daret,* ut loquitur Iustinus Lib. III. Cap. II.

Contrarium fecerunt Pharisaei; de quibus divinus Servator Matth. XXIII. 4. *Δεσμεύουσι γὰρ φορτία βαρέα καὶ δυσβάστακτα, καὶ ἐπιτιθέασιν ἐπὶ τοὺς ὤμους τῶν ἀνθρώπων· τῷ δὲ δακτύλῳ αὐτῶν οὐ θέλουσι κινῆσαι αὐτά.* [*Gruter.*]

509. *Nullo in loco male audit misericordia*] I. e. Nusquam infamatur vel vituperatur misericordia (vel homo misericors). Male itaque Schwarzius:

Barmherzigkeit hat nimmer hart Gehör, [O.]

510. *Nullum sine teste putaveris suo locum*] Egregie Demophilus in Sentent. Pythag. No. 13. (Opusc. vet. Graec. sentent. pag. 38.): *Ἐὰν ἀεὶ μνημονεύῃς, ὅτι, ὅπου ἂν ᾖ ἡ ψυχή σου, καὶ τὸ σῶμα ἔργον ἀποτελεῖ, θεὸς ἐφέστηκεν ἔφορος, ἐν πάσαις σου ταῖς εὐχαῖς καὶ πράξεσιν, αἰδεσθήσῃ μὲν τοῦ θεωροῦ τὸ ἄληστον, ἕξεις δὲ τὸν θεὸν σύνοικον.* [O.] Corrupte citat Martinus (Pseudo-Seneca) libro de moribus: *Nullum putaveris locum sine teste,* licet et in MS. Frising. sint perperam transpositae voces hoc modo: *Nullum putaveris esse locum sine teste.* [*Sartor.*]

511. *Nullum sine auctoramento est magnum malum*] i. e. *sine mercede et pretio* quod patet ex Seneca Epist. LXIX. ubi sententia haec ita legitur: *Nullum sine auctoramento magnum malum est. Avaritia pecuniam promittit, luxuria multas ac varias voluptates, ambitio purpuram et plausum et quidquid potentia potest. Auctoramentum* proprie est merces auctorati, h. e. qui se vendidit ad ludum gladiatorium; 2) pretium, quo se quis cui ad gladium inferendum addixit, *Banditensold,* ut ap. Vellei. Paterc. II. Cap. XXVIII. auctoramentum iugulati civis Romani; hinc 3) in gen. *merces, praemium,* ut h. l. et apud Apulei. Apolog. pag. 4. *ob mercedem et auctoramenta impudentiae,* ubi vid. Pricaeus. Add. Krause ad Vellei. Pat. l. l. p. 170. Heusinger ad Cic. de Offic. I. Cap. XLII. 3. Bremi ad Sueton. Tiber. Cap. VII. et, qui de hac voce multus est, I. Lips. Saturnal. II. 5. Bene itaque Schwarzius:

Kein Uebel ist so gross, es hat auch seinen Nutzen.

Male contra Weberus:

Kein gross Unglück oder Ungeheur
Kommt, das man nicht muss b'solden theur.

quasi sensus sit, nullum magnum malum venire sine aliorum malorum vel damnorum accessione. [O.]

512. *Nullus sapientum proditori credidit*] Sumtum est ex illo Ciceronis in Verr. p. 69. *Nemo unquam sapiens proditori credendum putavit.* [*Gruter.*]

513. *Nullus tantus quaestus etc.*] Godofredus:

Nullus est tantus quaestus, quam eo quod habes parcere (*carere*).

ut sit pars Trochaici tetrametri. Codex Frising. vitiose:

Nullus est tantus quaestus quam quod habeas arcere. [*Sartor.*]

514. *Nunquam facilius culpa etc.*] Livius Lib. XXVIII. Cap. 24. *Mors Scipionis falso credita occaecabat animos: sub cuius vulgatam mox famam non dubitabant totam Hispaniam arsuram bello. In eo tumultu et sociis pecunias imperari, et diripi propinquas urbes posse, et turbatis rebus, quum omnia omnes auderent, minus insignia fore, quae ipsi fecissent.* Idcirco etiam Vegetius de Re Milit. Lib. III. Cap. IV. non supersedit monere, *nunquam non ad contumaciam pari consensu multitudinem prorumpere, sed incitari a paucis, qui vitiorum scelerumque impunitatem sperent peccare cum plurimis.* [*Gruter.*]

515. *Nunquam periclum sine periclo vincitur*] Et hic versus citatur a Gellio (Libro XVII. Cap. XIV. et Macrobio II. Sat. Cap. VII.) Sens.: *Audendum est aliquo pacto, si cupias effugere periculum. Nam qui timet omnia, nunquam sese explicabit.* [*Erasm.*] Ita Herodot. Lib. VIII. *Μεγάλα γὰρ πρήγματα μεγάλοισι κινδύνοισι ἐθέλει καταιρέεσθαι.* [*Gruter.*] Cod. Frising. *periculum sine periculo*, contra metrum. [O.]

516. *Nunquam satis est, quod improbae spei datur*] *improbae spei* i. e. nimiae, modum excedenti, temerariae, ut ap. Quintilian. Inst. Lib. XII. Cap. I. §. 13. *Nam sicut in vita* (mali homines) *in causis quoque spes improbas habent.* ubi vid. Spalding. Conf., qui de h. v. multus est, Salmas. ad Ael. Spartian. Pescenn. Nigr. Cap. VI. in Script. Hist. August. Tom. I. pag. 655. ed. Lugd. Bat. Duker. ad Flor. Lib. III. 10, 17. Burmann. ad Sueton. Vesp. XXIII. Tom. II. pag. 261. Oudendorp. ad Lucan. VII. 760. pag. 586. [O.]

517. *Nunquam non miser est etc.*] Quia millecuplo plura cogitat, quam est necesse: omne illud scilicet et quod meruit, teste conscientia, et quod potest ei accidere. De primo Petronius: *Dii Deaeque, quam malum est extra legem viventibus! quicquid meruerunt, semper exspectant.* De altero Micio ille Terentianus in Adelph. Act. I. Scen. I.

Ego, quia non redit filius, quae cogito?
Quibus nunc sollicitor rebus? ne aut ille alserit,
Aut uspiam ceciderit, aut perfregerit
Aliquid etc.

et senex Plautinus in Mil. Act. III. Scen. I.

Pol, si habuissem, satis cepissem miseriarum liberis,
Censerem emori: cecidissetne ebrius, aut de equo uspiam,
Metuerem, ne ibi defregisset crura aut cervices sibi:
Tum ne uxor mihi insignitos pueros pariat postea,
Aut varum, aut valgum, aut compernem, aut paetum, aut broncum filium. [Grut.]

518. *Nunquam secura est etc.*] Exspectat enim semper quod meretur, ut loco modo citato loquitur Petronius. Inprimis hic spectari meretur exemplum Neronis, interempta matre sua impotis, de quo Tacitus Annal. Lib. XIV. Cap. X. *Sed a Caesare, perfecto demum scelere, magnitudo eius intellecta est: reliquo noctis, modo per silentium defixus, saepius pavore exsurgens, et mentis inops lucem opperiebatur, tanquam exitium allaturum.* [*Idem.*]

519. *Nunquam, ubi diu fuit ignis, deficit vapor*] Ita Gruter. Cod. Frising. *cecidit vapor*, quod non plane improbandum videtur, ut sit i. q. *desinit*, ut in locutionibus: *Venti, Aquilones cadunt*, ut apud Ovid. Met. VIII. 2. — — — — *cadit Eurus et humida surgunt Nubila.* Sartor. mavult *defuit vapor.* [O.] Ita de Amoris flammis Ovidius de Remed. Amor. Lib. II.

Ut pene exstinctum cinerem si sulphure tangas,
Vivet, et ex minimo maximus ignis erit. [*Gruter.*]

520. *Obsequium nuptae cito fit odium pellicis*] Sensus esse videtur: Obsequium, quod nupta, i. e. iusta et legitima uxor, marito praestat, cito facit, ut is odio habeat pellicem, quam antea amaverat, vel potius: *Obsequium nuptae marito praestitum facit, ut pellex discrucietur odio et ira.* Bene Schwarzius:

Der Frau Gehorsam ist des Kebsweibs Aerger.

Elegantissima hanc in sententiam verba sunt Theanus in Epistola 2. ad Nicostratam zelotypia laborantem pag. 56. et seq. edit. nostrae post Epistolas Socraticorum. *Γαμετῆς*, inquit illa, *ἀρετή ἐστιν οὐχ ἡ παρατήρησις τἀνδρὸς, ἀλλ' ἡ συμπεριφορά· συμπεριφορὰ δέ ἐστι τὸ φέρειν ἄνοιαν. Εἶθ' ἑταίρᾳ μὲν πρὸς ἡδονὴν ὁμιλεῖ, γαμετῇ δὲ πρὸς τὸ συμφέρον. Συμφέρον δὲ κακοῖς κακὰ μὴ μίσγειν, μηδὲ παρανοίᾳ παράνοιαν ἐπάγειν. Ἔνια δὲ ἁμαρτήματα, φίλη, ἐλεγχόμενα μὲν ἐπιπλέον ἐρεθίζεται, σιωπώμενα δὲ παύεται μᾶλλον· ὡς τὸ πῦρ ἡσυχίᾳ φασὶ σβέννυσθαι. Ἐὰν γὰρ βουλόμενόν σε λεληθέναι ἐλέγχουσα ἀφαιρῇς τὸ παρακάλυμμα τοῦ πάθους, καὶ φανερῶς ἁμαρτήσεται. Σὺ δὲ τὴν φιλίαν ἡγοῦ τοῦ ἀνδρός σου ἐν τῇ καλοκἀγαθίᾳ· τοῦτο γὰρ ἡ χάρις τῆς κοινωνίας. Νόμιζε οὖν πρὸς μὲν τὴν ἑταίραν ῥᾳθυμήσοντα πορεύεσθαι ἐκεῖνον, σοὶ δὲ συμβιώσοντα παρεῖναι· καὶ σὲ μὲν φιλεῖν κατὰ γνώμην, ἐκείνην δὲ τῷ πάθει· βραχὺς δὲ ὁ τοιοῦτος καιρός· ἅμα γάρ ποτε ἔχει καὶ κόρον καὶ περίσταται ταχὺ καὶ παύεται. Ὀλιγοχρόνιος γὰρ ὁ καιρός ἐστι πρὸς ἑταίραν ἀνδρὶ μὴ σφόδρα κακῷ· τί γάρ ἐστι ματαιότερον ἐπιθυμίας ἀπολαυούσης ἀδίκου; διὸ καὶ μειῶν τὸν βίον καὶ διαβάλλων τὸ εὔσχημον αἰσθήσεταί ποτε. Οὐδεὶς γὰρ ἐπιμένει φρονῶν αὐθαιρέτῳ βλάβῃ. Καλούμενος οὖν ὑπὸ τῶν πρός σε δικαίων, καὶ τὰς περὶ τὸν βίον ἐλαττώσεις ὁρῶν, αἰσθήσεταί ποτέ σου, καὶ τὴν ἀπὸ τῆς καταγνώσεως ὕβριν οὐ φέρων, ταχὺ μεταγνώσεται.* et quae sequuntur pulcherrima lectuque dignissima. [O.]

521. *Occasio aegre offertur etc.*] Seneca Epist. XXII. *Non tantum praesentis, sed et vigilantis est occasionem observare properantem. Itaque hanc circumspice, hanc, si videris, prende: et toto impetu, totis viribus id age, ut te istis officiis exuas.* [*Gruter.*]

522. *Occasio receptus difficiles habet*] Sensus: *Occasio difficulter adiri et exquiri potest, ubi se recepit.* [*Tzschuck.*] Potius: Difficulter recipi potest, ubi semel effluxit. Huc pertinet proverbium illud:

Fronte capillata, post est occasio calva.

Male itaque Schwarzius: *Gelegenheit hat sichre Zufluchtsörter.* [O.]

523. *Occidi pulchrum etc.*] Pulchre Siracides Cap. XXV. v. 1. hunc inter beatos numerat, *ὃς οὐκ ἐδούλευσεν ἀναξίῳ αὐτοῦ.* [*Gruter.*]

524. *Odia alia sub vultu, alia sub osculo latent*] Ita Gruterus. Sartorius e MSto Frising. dedit: *Odia multorum sub vultu, multorum sub osculo latent,* adversante metro. [O.] Ita Seleucus Callinicus rusticum, ad quem e fuga cum paucis diverterat, quum ab eo discedens *Rex* salutatus esset, tanquam osculaturus ad se trahens, uni comitum innuit, ut cervicem homini praecideret, referente Plutarcho de Garrul. Cap. XVIII. Non aliter in S. Scriptura Joab Amasam occidit II. Sam. XX, 9. et in historia passionis Dominicae Judas proditorem egit Matth. XXVI. 49. [*Gruter.*]

525. *Officium benevoli animi finem non habet*] Apte ad mentem huius sententiae scribit apud Cassiodorum rex Theodoricus: *Servare terminos ignorat humanitas et novellis decet blandiri beneficiis post longa tempora restitutis.* Et Symmachus Lib. II. Epist. 89. *Amor officiorum modum non tenet.* [*Idem.*]

526. *Omnes aequo animo parent etc.*] Xenophon

Lib. I. Cyropaed. Cap. VI. §. 18. *Ὃν γὰρ ἂν ἡγήσωνται περὶ τοῦ συμφέροντος ἑαυτοῖς φρονιμώτερον ἑαυτῶν εἶναι, τούτῳ οἱ ἄνθρωποι ὑπερηδέως πείθονται.* et Lib. VIII. Cap. I. *ὅτι ἐν παντὶ πράγματι οἱ ἄνθρωποι τούτοις μάλιστα ἐθέλουσι πείθεσθαι, οὓς ἂν ἡγῶνται βελτίστους εἶναι.* Huc spectat etiam v. 742.

Stultum imperare reliquis, qui nescit sibi. [*Idem.*]

527. *Omne vitium etc.*] Est Senecae Epist. CXVI. [*Idem.*]

528. *Omnis dies etc.*] Sunt verba Senecae Epist. XII. item de Brev. vit. Cap. VII. Nam, ut Cicero loquitur de Senect. Cap. XIX. *Quis est tam stultus, quamvis sit adolescens, cui sit exploratum se ad vesperam esse victurum?* [*Idem.*]

529. *Omnis voluptas, quemcunque arrisit, nocet*] *Arrisit* cum accusativo insolentius. Habet tamen Valerius Cato in Diris v. 107 seq.

Vos nunc illa videt, vobis mea Lydia ludit.
Vos nunc alloquitur, vos nunc adridet ocellis.

si sana est lectio. Alii enim legunt *vobis adridet.* Vide P. Burmann. II. in Antholog. Lat. Tom. II. pag. 668. [O.] Huc facit egregie, quod dicit Synesius pag. 282., Sirenas significare illas voluptates docens, quibus fruimur: *τὰς ἀπολαυστικὰς ἡδονάς, αἳ τοὺς εἴξαντας καὶ καταγοητευθέντας αὐτῶν τῇ προσηνείᾳ κατὰ μικρὸν ἀπολλύουσι.* [*Gruter.*] Legendum videtur *quamcunque* (i. e. quantumcunque) *arrisit.* [*Casp. Orell.*]

530. *O pessimum periculum etc.*] *Latior enim ex incerto metus*, ut inquit Tacitus Annal. IV. de ruina Amphitheatri Fidenarum, et facta inde hominum strage. [*Idem.*]

531. *O tacitum tormentum etc.*] Egregie auctor Libri Sapientiae XVII. 10. *Δειλὸν γὰρ ἰδίᾳ πονηρία μάρτυρι καταδικαζομένη· ἀεὶ δὲ προσείληφε τὰ χαλεπὰ συνεχομένη τῇ συνειδήσει.* [*Grut. et O.*]

532. *O vita misero longa, felici brevis!*] Hunc refert Seneca. Sens.: *Infelices laborant vitae taedio: felicibus mors ante diem videtur accidere, quod vitae taedium non sentiant.* [*Erasm.*] Citatur hic Mimus Publii nomine a Seneca Rhetore, Philosophi patre, VII. Controv. 3. MS. Frisingense sic legit:

O vitam misero longam, felici brevem!

Alii legunt:

Est vita misero longa, felici brevis. [*Sartor.*]

De verbo ad verbum Apollonius apud Stobaeum p. 891. *Βραχὺς ὁ βίος ἀνθρώπῳ εὖ πράττοντι· δυστυχοῦντι δὲ μακρός.* Item Poeta in Antholog. Lib. I. Cap. XXIII. Ep. 8.

Τοῖσι μὲν εὖ πράττουσιν πᾶς ὁ βίος βραχύς ἐστι,
Τοῖς δὲ κακῶς μία νὺξ ἄπλετός ἐστι χρόνος.

Cum nostro exclamat Siracides Cap. XLI. v. 1. et seqq.: *Ὦ θάνατε, ὡς πικρόν σου τὸ μνημόσυνόν ἐστιν ἀνθρώπῳ εἰρηνεύοντι ἐν τοῖς ὑπάρχουσιν αὐτοῦ· ἀνδρὶ ἀπερισπάστῳ, καὶ εὐοδουμένῳ ἐν πᾶσιν, καὶ ἔτι ἰσχύοντι ἐπιδέξασθαι τροφήν. Ὦ θάνατε, καλόν σου τὸ κρίμα ἐστὶν ἀνθρώπῳ ἐπιδεομένῳ, καὶ ἐλασσουμένῳ ἰσχύϊ, ἐσχατογήρῳ καὶ περισπωμένῳ περὶ πάντων καὶ ἀπειθοῦντι, καὶ ἀπολωλεκότι ὑπομονήν.* [*Gruter.*]

533. *Paratae lacrymae insidias, non fletum indicant*] *fletum* i. e. verum dolorem, tristitiam, ut ap. Ciceronem ad Attic. Lib. XI. Epist. VII. ad fin. *Non possum prae fletu et dolore diutius hoc loco commorari.* Male itaque Schwarzius:

Bereite Thränen deuten Hinterlist, nicht Weinen. [O.]

536. *Pars benefici est, quod petitur, si belle neges*] Ita Gellius Lib. XVII. Cap. XIV. et MS. Frising. *benefici* pro *beneficii* edidi ex emend. Bentleii, cum aureae Latinitatis scriptores genitivum singularem substantivorum in *ius*, *ium* usque ad Ovidium et Propertium extulerint per *i* simplex, non per *ii*. Vide eiusd. Praefat. ad Manilium. Pro *belle* idem Bentleius edidit *pulchre*, nescio an e Codd. MS. [O.] Sen.: *Quidam ita moleste dant, ut gratiam amittant beneficii, quidam adeo commode negant, ut videantur dedisse.* [*Erasm.*]

537. *Pars benefici est, quod petitur, si cito neges*] Ita citat Macrobius II. Sat. Cap. VII. Supra v. 417. dixerat:

Minus decipitur, cui negatur celeriter. [O.]

538. *Parvo fames constat etc.*] Est Senecae Epist. XVII. Similiter dixit Epist. LX. *Non fames nobis ventris nostri magno constat, sed ambitio.* et Democritus ap. Stobaeum Serm. V. *Τράπεζαν πολυτελέα μὲν τύχη παρατίθησι, αὐταρκία δὲ σωφροσύνη.* [*Gruter.*]

539. *Patiendo multa veniunt, quae nequeas pati*] Id est: Patiendo multa nec vindicando vel obsistendo iniuriis invitas homines malevolos, ut novis te iniuriis iisque non tolerandis afficiant. quod dixit infra v. 774.

Veterem ferendo iniuriam invites novam.

vel etiam: Quantumvis multa perpessus fueris, accidere possunt mala graviora, quae pati non possis. Non itaque audiendus Bothius corrigere volens:

Patiendo multa, haud venient, quae nequeas pati. [O.]

541. *Patiens in adversis nunquam est felicitas*] Ita Scaliger et Gruterus. Cod. Frising. *Potest ult in adversis* etc. Sartorius: *Potentia in adversis*, quod quid sibi velit, non intelligo. Gruterus apposite citat verba Horatii II. Sat. VIII. 73.

Sed convivatoris, uti ducis, ingenium res
Adversae nudare solent, celare secundae.

et Senecae Epist. LXXXV. *Tranquillo, ut aiunt, quilibet gubernator est.* nec non Consol. ad Helv. Cap. II. *Fleant itaque diutius et gemant, quorum delicatas mentes enervavit longa felicitas, et ad levissimarum iniuriarum motus collabantur: at quorum omnes anni per calamitates transierunt, gravissima quoque forti et immobili constantia perferant. Unum habet assidua infelicitas bonum, quod, quos saepe vexat, novissime inducat.* [O.]

542. *Patientia animi divitias occultas habet*] Significat, eum, qui patienter rebus parvis utitur, videri divitem. Sic Horatius de formica:

Quae, simul inversum contristat Aquarius annum,
Non usquam prorepit, et illis utitur ante
Quaesitis patiens. [*Gruter.*]

543. *Patria tua est etc.*] Godofredus legit: *Patria est, ubicunque bene vixeris.* Si Publianus est, tunc dimetrum Mimiambum istum respexit (Pseudo-) Seneca libro de remed. fortuit.: *Patria est, ubicunque bene est. Illud autem, per quod bene est, in homine, non in loco est.* Quam sententiam citat Martinus (Pseudo-Seneca) libro de moribus. [*Sartor.*] Ita Brutus in Epist. ad Cic. XVI. *Aut longe a servientibus abero, mihique esse iudicabo Romam, ubicunque liberum esse licebit.* [*Gruter.*]

544. *Paucorum est intelligere, quid cui det Deus*] Cod. Frising. omittit *cui*. Male. [O.] Capi potest, ut

quis beatus sit, qui putetur alteri infelix, et contra. Xystus Pythag. §. 109. *Etiamsi non habeas omnia, tamen tibi multa dat Deus. Nemo est contentus sua sorte.* [*Gruter.*] Sartorius ed. *quid deceat Deos.* [O.]

546. *Peccare pauci nolunt, nulli nesciunt*]. Gruterus pro *nulli* coniicit *multi*, quod probo. Praecedit enim *pauci.* Quippe qui nolunt, sciunt tamen. Et sic certe Seneca Epist. XC. multum interesse iudicat, *utrum peccare aliquis nolit, an nesciat.* [*Tzschuck.*] Mihi minime mutanda videtur vulgata lectio, cuius sensum bene reddidit Schwarzius in Nota versioni suae subiecta:

Zu sündigen verstehen alle,
Nur wenige verstehn es nicht zu wollen.

i. e. plerique homines metu poenarum, non autem virtutis amore absterrentur a peccatis. [O.

547. *Peccatum amici etc.*] Sic supra v. 29. dixit:
Amici vitia, nisi feras, facis tua. [*Grut.*]

548. *Peccatum extenuat etc.*] Huc facit exhortatio Siracidae V. 8. *Μὴ ἀνάμενε ἐπιστρέψαι πρὸς κύριον, καὶ μὴ ὑπερβάλλου ἡμέραν ἐξ ἡμέρας.* [*Idem.*]

549. *Pecuniae oportet imperes etc.*] Hoc bene tetigit Seneca de vita beata Cap. XXII. *Mihi divitiae si effluxerint, nihil efferent, nisi semet ipsas: tu stupebis et videberis tibi sine te relictus, si illae a te recesserint. Apud me divitiae aliquem locum habent, apud te summum. Divitiae meae sunt, tu divitiarum.* [*Idem.*] Cod. Fris. et Sartor. *Pecuniae imperare oportet, non servire.* [O.]

550. *Pecunia una regimen rerum est omnium*] MS. Frising. *Pecunia regimen est rerum omnium,* claudicante metro. Sartorius edidit: *Pecunia est regina rerum omnium.* At vulgata lectio minime videtur sollicitanda, ut sit *regimen* i. q. instrumentum, per quod reguntur vel flectuntur res humanae. Et sic Ovidius hoc vocabulum usurpat de navis gubernaculo Met. III. 593.

Addidici regimen, dextra moderante, carinae
Flectere.

Idem dicit tritissimum proverbium: *Pecunia nervus rerum.* [O.] Sic Euripides in Med. v. 964.

—— πείθειν δῶρα καὶ θεοὺς, λόγος·
χρυσὸς δὲ κρείσσων μυρίων λόγων βροτοῖς. [*Gruter.*]

551. *Peiora multa cogitat mutus dolor*]. Repone:
Peiora querulo cogitat mutus dolor.

Ovid. Trist. III. 8.

Et nunquam queruli causa doloris abest. [*Bentlei.*]

Quam summi Bentleii coniecturam, licet sit ingeniosissima, longius tamen a Codicum scriptura recedere recte observavit C. G. Anton in novissima editione Sententiarum Publii (cum Phaedri Fabulis). Is leniore medicina locum corruptum sic emendare conatur:

Peiora ultore cogitat mutus dolor.

ultore (scil. *dolore*), i. e. *quam homo, qui ulciscitur dolorem,* cui opponi potest *mutus dolor* de homine, qui non audet dolorem prodere sive voce sive facto. Sed minus placet haec oppositio. Tzschuckius mavult *multo* (*dolore*) intelligens de dolore aperto et per fletus atque eiulatus erumpente, cuius significationis vellem nobis exempla dedisset. Et mihi placet *Peiora multo* etc. sed sensu plane alio. Crediderim scilicet, hunc

versum ab Excerptore male fuisse avulsum a versu proximo antecedente Mimi Publiani deperditi, in quo prius comparationis membrum continebatur et sermo fuisse videtur de *dolore querulo*. *Multo* itaque coniungendum cum *peiora*, non cum *dolore*. Sententiam quod attinet, comparanda Justini verba Lib. VIII. Cap. V. *Crescit dissimulatione ipsa dolor, hoc altius demissus, quo minus profiteri licet*. quae apposite citavit Gruterus. Adde Latin. Pacat. Panegyr. Cap. XXV. *Est aliquod calamitatum delinimentum dedisse lacrymas malis, et pectus laxasse suspiriis*. [O.] Legendum fortassis: *Peiora vultu cogitat mutus dolor. Schlimmres, als die Miene verräth, denkt ein stummer Schmerz*. [*Casp. Orell.*] Perplacet haec patruelis nostri emendatio. *Mutus dolor*, ut *muti questus* apud Lucan. Phars. I. 247.

Et tacito mutos volvunt in pectore questus.

ubi vide intpp. pag. 35. ed. Oudendorp. [O.]

553. *Perdenda sunt multa etc.*] Solus Godofredus refert hunc versum. Sed si hic Publianus est, necesse est et priorem esse, quem apud Senecam reperio, qui Lib. I. de Benefic. Cap. II. ita incipit:

Beneficia in vulgus cum largiri institueris,
Perdenda sunt multa, ut semel ponas bene.

In priore versu utrumque reprehendas. Nam nec in vulgus effundenda sunt, et nullius rei, minime beneficiorum honesta largitio est; quibus si detraxeris iudicium, desinunt esse beneficia: in aliud quodlibet incidunt nomen. Sequens versus mirificus est, qui, uno bene posito beneficio, multorum amissorum damna solatur. Haec Seneca. Elegantes sane duo Mimiambi et digni, qui suo auctori Publio reddantur. [*Sartor.*]

554. *Perdendi finem nemo nisi egestas facit*] Merito Gruterum et Tzschuckium offendit *nemo* in hoc nexu, quod (compositum ex *ne* et *homo* auctore Festo) semper de hominibus et personis ponitur, nunquam de rebus. Gruterus itaque pro *egestas* legendum coniicit *egestus* i. e. exhaustus, opibus evolutus, quod vocabulum rarissimum hoc sensu legimus apud unum Statium Theb. I. v. 37.

— — — — *egestas alternis mortibus urbes.*

Tzschuckius defendit vulgatam *egestas*, positam putans pro *egenus*, ut sensus sit: *Unus egenus nihil porro perdere, amittere potest*. Mihi videtur Publius de egestate loqui tanquam de persona aliqua sive dea. Quamobrem *nemo* non sollicitandum, nisi malis legere mutatione lenissima:

Perdendi finem non nisi egestas facit.

i. e. adducit prodigo. [O.] Bene Salvianus de Gubern. Dei pag. 116. (ed. Rittershus. Brem.) *Nunc autem quid dici potest? Recesserunt prioris temporis facultates. Miseri sane sumus, et necdum nugaces esse cessamus. Cumque etiam pupillis prodigis vel prodigiosis soleat subvenire paupertas, simulque ut destiterint esse divites, desinunt esse vitiosi, nos tantum novum genus pupillorum sumus, in quibus opulentia esse desiit, sed nequitia perdurat.* [*Gruter.*]

555. *Perdit, non donat, qui donat, nisi est memor*] Ultima obscura. Quod si referas ad eum, cui donat, tum quidem sensus expeditus, nempe *si donat immemori, ingrato*. Sed hoc remotum nimis videtur, nec verbis inesse, imo invehi. Alioquin id volunt breviter: *Immemor dona sua perdit*, quod non adsequor simpliciter et sine adiecta notione. [*Tzschucke.*] Minus distincte Schwarzius:

Wer schenkt verliert, wenn er (Quis?) nicht mehr dran denkt. Fortassis et hic versus ab Excerptore male avulsus a proxime sequenti, cum quo cohaerebat, in Mimo Publiano deperdito. *Memor* i. q. *gratus*, ut saepissime. Vide Arntzen. ad Caton. Distich. I, 15. pag. 83. Utrumque coniungit Terentius Adelph. Act. II. Scen. II. v. 43.

Scio, te non usum antehac amicitia mea.
Memorem me dices esse et gratum.

Sartorius ed. *nisi est memoria* e Cod. Frising. [O.]

556. *Perenne coniugium etc.*] Ita Seneca in Octav.: *Amor perennis coniugis castae manet.* [*Gruter.*]

558. *Perfacile felix quod vota imperant facit*] Sic edidi cum Sartorio e Codice Frising. Gruterus et ex eo Tzschuckius *quod vota impetrant*, ut puto, operarum vitio. Sartorius legendum coniicit *quod fata imperant.* Male. [O.] Supra v. 136.

Contra felicem vix Deus vires habet.

et v. 146. *Cui omnes benedicunt, possidet populi bona.* Hinc dictum illud tritissimum: *Principes quidquid voluere, peractum est.* [*Gruter.*]

559. *Perfugere ad inferiorem se ipsum est tradere*] Seneca Suasor. VI. *Vidimus furentia toto orbe civilia arma, et post Italicas Pharsalicasque acies Romanum sanguinem hausit Aegyptus. Quid indignamur in Ciceronem Antonio licere? Sic* (leg. *si*) *in Pompeium Alexandrino licuit. Annon occiduntur, qui ad indignos confugiunt?* [*Idem.*]

560. *Pericla qui audet etc.*] *Pericla* hic et in sequenti versu pro *pericula* edidi cum Bentleio, flagitante metro. [O.] *Audere pericula*, ut *aciem* et similia quaedam. Illud tamen etiam Tacitus aliquoties (v. e. Annal. XII. 55. O.). Rarius et insolentius videtur *periculu accipere.* [*Tzschuck.*]

564. *Plerique metu boni, non innocentia*] Istos notat Horatius II. Sat. VII. v. 73. in persona servi istius herum suum increpantis:

Non sum moechus, ais: neque ego hercle fur, ubi vasa
Praetereo sapiens argentea. Tolle periclum,
Iam vaga prosiliet fraenis natura remotis.

et Seneca IV. de Benef. Cap. XIV. *Non immerito in numerum peccantium refertur, quae pudicitiam timori praestitit, non sibi.* Cum nostro facit Io. Chrysostomus in Epist. p. 23. dicens: *ὡς τὰ πολλὰ τῶν ἀνθρώπων οἱ πλείους οὐχ οὕτως τῇ τῶν χρηστῶν ἐπαγγελίᾳ ὡς τῷ φόβῳ τῶν λυπηρῶν πρὸς τὴν ἀρετὴν ἕλκονται.* [*Gruter.*] Godofredus et Sartorius e Cod. Frising. *Plerique metu peccare cessant, non innocentia.* *Profecto tales timidi, non innocentes dicendi.* [O.]

565. *Plures tegit Fortuna etc.*] *tegit* i. e. defendit, tuetur, abscondit inimicorum oculis in breve tempus. Opp. *tutos facit* in perpetuum. [O.] Imo neminem tutum facit Fortuna. Quo pertinet egregius locus Claudiani IV. Cons. Hon. v. 104 seqq.

Exstruite immanes scopulos, attollite turres,
Cingite vos fluviis, vastas opponite sylvas,
Gargarum Alpinis, Apenninumque nivalem
Permixtis sociate iugis, et rupibus Haemum
Addite Caucaseis, involvite Pelion Ossae:
Non dabitis murum sceleri. [*Gruter.*]

566. *Plus est quam poena iniuriae succumbere*] Schwarzius vertens:

Mehr ist dem Unrecht unterliegen als der Strafe.
legisse videtur: *Plus est quam poenae* etc. Non male. [O.]

568. *Poena ad malum serpens ut proterat, venit*] Ita versum sanitati restituit Gruterus. Cod. Frising. *cum proterat* vitiose. Sartorius *cum properat.* Sententiam quod attinet, iisdem pene verbis eam expressit Euripides apud Plutarchum de sera Num. vind. p. 6. ed. Wyttenbach.

Οὔτοι προσελθοῦσ᾽ ἡ Δίκη σε, μὴ τρέσῃς,
Παίσει πρὸς ἧπαρ, οὐδὲ τῶν ἄλλων βροτῶν
Τὸν ἄδικον, ἀλλὰ σιγᾷ καὶ βραδεῖ ποδὶ
Στείχουσα μάρψει τοὺς κακοὺς, ὅταν τύχῃ.

ubi nubem sententiarum similium ex antiquis poetis et philosophis citat Wyttenbachius V. D. v. c. Tibull. I. El. X. 4.

Sera tamen tacitis poena venit pedibus. [O.]

569. *Poena allevatur tunc, ubi laxatur dolor*] Male Schwarzius:

Erleichtert wird die Strafe, wenn der Schmerz sich mildert.

Hoc enim esset tautologia ineptissima. Imo sensus est: *Poena allevatur, ubi dolor quasi solvitur vinculis, aperitur,* vel *ubi possumus indulgere dolori: wo sich der Schmerz frey äussern kann. Poena* h. l. molestia, cruciatus, ut saepe, v. c. apud Senecam in Hippol. v. 439.

Namque anxiam me cura sollicitat tui,
Quod te ipse poenis gravibus infestus domas.

et Epist. V. *Frugalitatem exigit philosophia, non poenam.* Conf. quae adnotavimus supra ad v. 551. Pro *allevatur* Cod. Frising. *levatur.* [O.]

570. *Poenam moratur etc.*] Sic apud Euripidem Hecuba v. 1024. dicit Polymestori:

Οὔπω δέδωκας, ἀλλ᾽ ἴσως δώσεις δίκην. [*Gruter.*]

571. *Populi est mancipium etc.*] Id est: negligimus nostra, dum aliis inservimus, prout Cato aiebat: *sibi invideri, quod suis rebus neglectis noctes patriae causa vigilaret.* ut scribit Plutarch. in Moral. p. 544. C. Huc pertinet et illud Ciceronis IX. ad Fam. Ep. XXV. *Nunc ades ad imperandum, vel ad parendum potius: sic enim antiqui loquebantur.* [*Idem.*]

572. *Post calamitatem etc.*] Cicero ad Brutum: *Sileamus, inquam, Brute, de istis, ne augeamus dolorem. Nam et praeteritorum recordatio est acerba et acerbior exspectatio.* Notissimum porro Virgilianum istud Aen. II. init.:

Infandum, regina, iubes renovare dolorem.

et: *Quanquam animus meminisse horret luctuque refugit,*
Incipiam.

Quod imitatus est Statius Theb. V.

— — — — — — *Immania vulnera, rector,*
Integrare iubes.

et mox: — — — *redit ecce nefas, et frigida cordi*
Eumenis. [*Grut. et O.*]

573. *Potens misericors etc.*] Pene ad verbum expressit illud Comici in Sent. Gr. Com. p. 212. (ed. H. Steph.)

Κοινὸν δὲ καλόν ἐστι χρηστὸς εὐτυχῶν. [*Gruter.*]

574. *Potenti irasci etc.*] Aptissime ad mentem huius sententiae Siracides Cap. VIII. v. 1. et 2. *Μὴ διαμάχου μετὰ ἀνθρώπου δυνάστου, μήτε ἐμπέσῃς εἰς τὰς χεῖρας αὐτοῦ. Μὴ ἔριζε μετὰ ἀνθρώπου πλουσίου, μήποτε ἀντιστήσῃ σου τὴν ὁλκήν.* [*Gruter.*]

575. *Potest non esse honestum etc.*] Sunt verba Se-

necae ex Epist. LXVI. qui dicit: *Non potest honestum esse, quod non est liberum.* At alii versum ipsum citant cum interrogatione:

Potest quid esse honestum, quod non liberum est?

In eandem sententiam Horatius I. Epist. XVI. v. 66.

— — — — *Nam qui cupiet, metuet quoque porro.*
Qui metuens vivit, liber mihi non erit unquam. [*Idem.*]

576. *Praesens est semper etc.*] Infra v. 647.

Qui pote nocere, timetur, cum etiam non adest. [*Idem.*]

577. *Prius negatum post fecisse est fallere*] Ita Bentleius. Gruterus autem:

Prius negare, post fecisse, fallere est.

Sartorius autem e MS. Frising. et Godofred.

Prius si negaveris, fecisse postea fallere est. [O.]

578. *Probi delicta iudex legens deterit*] Habitudini versus consultum iveris, si transpositu verborum scripseris:

Probi legens delicta iudex deterit. [*Gruter.*]

Schwarzius vertit:

Vergehn des Frommen tilgt der Richter schon beym Lesen.

Codex Frising. et ex eo Sartorius:

Probe (leg. *Probi*) *delicta cum legas, deteras.*

Probi delicta h. l. intelligenda videntur crimina viro bono falso impacta. Sententiam quod attinet, Gruterus in Notis posthumis apposite comparat verba Synesii Epist. L. *Οἷς ἐστιν ἦθος ἀνάλωτον ὑποψίᾳ τινὶ, κἂν εἰ συνωμόται πολλοὶ μαρτυροῖεν, οὐδὲν αὐτοῖς ἔσται πλέον εἰς πίστιν.* nec non Caii Marii ap. Sallustium Iug. Cap. 85. *Nam me quidem ex animi sententia nulla oratio laedere potest, quippe vera necesse est bene praedicet; falsam vita moresque mei superant.* Ciceronis tandem in Orat. pro S. Roscio: *Nonne, ut ignis in aquam coniectus continuo restinguitur et refrigeratur, sic refervens falsum crimen in purissimam et castissimam vitam collatum statim concidit et exstinguitur? Roscius socium fraudavit? Potest hoc huic homini haerere peccatum? deterit* i. e. deminuit, excusando elevat. Vide Barth. ad Sil. It. VII, 247. pag. 557. ed. Drak. [O.] *Legens* adversatur metro et sententia languet. Legendum videtur: *Probi delicta iudex lugens detegit. Traurend nur enthüllt des sonst Redlichen Vergehn ein* (dazu gezwungner) *Richter.* [*Casp. Orell.*]

579. *Probo bona fama etc.*] Cod. Frising. *Proba et bona fama* etc. Male. Supra v. 68.

Bene vulgo audire est alterum patrimonium.

et v. 96. *Bona opinio hominum tutior pecunia est.* [O.]

580. *Probo beneficium etc.*] Supra v. 75.

Beneficium dando accepit, qui digno dedit. [*Gruter.*]

Cod. Frising. *Probe beneficium etc.* vitiose. [O.]

581. *Probus libertus sine natura est filius*] Menander ap. Stobaeum Serm. LXXXII. *Τὸν τῇ φύσει οἰκεῖον οὐδεὶς καιρὸς ἀλλότριον ποιεῖ.* [O.]

584. *Pro dominis peccare etc.*] Supra v. 198.

Etiam in peccato recte praestatur fides. [*Gruter.*]

585. *Pro medicina dolor est etc.*] Similiter Gregorius Nazianz. Tom. II. p. 155. B.

Ἀλλ' οὖν πόνους ἔπαυσε πολλάκις πόνος. [*Idem.*]

587. *Prope est libens ut damnet etc.*] Ita hunc et sequentem versum emendavit Gruterus ex Seneca de Clement. Lib. I. Cap. XIV. Antea legebatur:

Prope est, ut libenter damnet, qui cito.
Prope est, ut non aeque damnet, qui nimis. [O.]

590. *Prudenti stultus etiam sermonis iocus est*] Gruterus hunc versum corruptum existimans legendum coniicit: *Pudentis vultus etiam sermonis loco est.* vel etiam: *Prudentis vultus etiam sermonis loco est.* Priorem emendationem in versione sua sic expressit Schwarzius:

Des Weisen Miene gilt für eine Rede.

Ipse tamen in Notis recte defendit vulgatam, ut *Prudenti* sit εἰρωνικῶς dictum de homine tristi et austero, *finsterer Sauertopf*, quales prudentes vel sapientes videntur imperitae plebeculae. Verterem itaque:

Einem hochweisen Herren gilt auch schon Scherz für Thorheit.

Tzschuckius corrigere volebat: *Prudentis stultis etiam sermonis iocus est.* Quod quid sibi velit, fateor me non intelligere. [O.] Versus corruptissimus, cuius emendandi ratio non succurrit. Etiam metrum laborat. Saltem legendum *iocu'st.* [*Casp. Orell.*]

591. *Pudor dimissus etc.*] Ovidius Heroid. V. v. 101.

— — — — — — *Nulla reparabilis arte*
Laesa pudicitia est.

et Seneca in Agamemn. v. 112. et seqq.

Periere mores, ius, decus, pietas, fides,
Et qui redire, cum perit, nescit pudor.
Da frena, et omnem prona nequitiam incita.
Per scelera semper sceleribus tutum est iter. [*Gruter.*]

592. *Pudor doceri non potest etc.*] Et tamen Euripides in Suppl. v. 911. ait:

Τὸ γὰρ τραφῆναι μὴ κακῶς αἰδῶ φέρει. [*Idem.*]

593. *Pudorem alienum qui eripit etc.*] Optime Arrianus ad hanc sententiam in Comm. ad Epictet. pag. 153. Τί ἀπολλύει ὁ μοιχεύων; τὸν αἰδήμονα, τὸν ἐγκρατῆ, τὸν κόσμιον, τὸν πολίτην, τὸν γείτονα. [*Idem.*]

594. *Pudorem habere servitus quaedam est*] Videtur hic versus sermo fuisse hominis impuri ac impudentis in Mimo Publiano deperdito. [O.]

595. *Pudor quemcunque non flectit, frangat timor*] Longe aliter Codex Frising.:

Pudor quem non flectit, non frangit timor. [O.]

596. *Pulchrum est praestare cuncta etc.*] i. e. benefacere sine praemio et mercede. [*Tzschuck.*] Godofredus: *Pulcherrimum est omnia praestare nihil exigenti.* [*Sartor.*]

597. *Pupillus hominis avidi est aetatis brevis*] Non dubitari in textum recipere emendatiorum palmariam Bentleii, qui haec annotat: „Scaligeri et Gruteri lectio *Pupillus est avarus aetatis brevis* sensu cassa est. MStus apud Gruterum: *Homines avaros pupillos esse aetatis brevis*, ubi corrigendum *Hominis avari pupillos* et Iambus sic constituendus:

Pupillus hominis avidi est aetatis brevis.

Avidus idem qui *Avarus*, ut Terent. (Heautont. III. 2. 15.)

Sed habet patrem quendam avidum, miserum atque aridum.

Persius Sat. II. 12.

Pupillumve utinam, quem proximus heres
Impello, expungam: namque est scabiosus et acri
Bile tumet."

Haec Bentleius. Sic noster supra v. 66.

Avidum esse oportet neminem, minime senem.

Possis quidem e vulgata lectione sensum aliquem extricare, hunc scil. *Pupillus avarus* (qui rei suae curam habet adeoque invigilat, ne exspolietur a tutore vel curatore, *der dem Vormund nachrechnet,*) *est aetatis brevis,* insidiis quippe a tutore rapaci expositus. Sic etiam Weberus vertens: *Ein geiziger junger Gesell nicht lebt lang, sondern stirbet schnell.* Sed tunc *est* ponendum erit post v. *avarus* et omninó longe praeferenda emendatio Bentleii. Schwarzius vertit:

Ein Minderjähr'ger ist ein junger Geizhalz.

ineptissime, cum contrarium potius quotidiana probetur experientia. [O.]

598. *Puras Deus etc.*] Hoc ipsum monet Zaleucus Locrorum legislator, qui in praefatione legum suarum ita ait: *Δεῖν ἔχειν καὶ τὴν ψυχὴν καθαρὰν πάσης κακίας, ὡς τῶν θεῶν οὐ χαιρόντων ταῖς τῶν πονηρῶν θυσίαις καὶ δαπάναις, ἀλλὰ ταῖς τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν δικαίαις τε καὶ καλαῖς ἐπιτηδεύσεσι.* et pulchre tangit Porphyrius de abstinent. Lib. II. *τὸ δαιμόνιον μᾶλλον πρὸς τὸ τῶν θυόντων ἦθος ἢ πρὸς τὸ τῶν θυομένων πλῆθος βλέπει.* [*Gruter.*] Egregie hanc in sententiam Demophilus in Sent. Nr. 10. (Opusc. vet. Graec. sentent. Tom. I. pag. 58. ed. nostr.) *Δῶρα καὶ θυσίαι θεὸν οὐ τιμῶσιν, ἀναθήματα θεὸν οὐ κοσμεῖ· ἀλλὰ τὸ ἔνθεον φρόνημα διαρκῶς συνάπτει θεῷ· χωρεῖν γὰρ ἀνάγκη τὸ ὅμοιον πρὸς τὸ ὅμοιον.* [O.]

599. *Quae vult videri bella nimis, nulli negat*] Tentarunt alii (Sartorius) *bella, nimium sibi negat,* invenuste et longius abeuntes a vestigiis Codicis scripti (Frising.), in quo *bella, nimium illi negat.* Unde quis minima mutatione fecerit: *Quae vult videri bella nimium, ulli negat?* Sed rotundior est divinatio nostra prior. [*Gruter.*] *Nimis* itaque cum *bella* iungit Gruterus. Equidem malim cum *negat* vel legere *nimium nulli negat,* ut sensus sit: *non nimis repudiabit amatores, sie wird nicht gar zu spröde thun, keinen allzuschnöde abweisen.* Ceterum *negare* verbum proprium in amoribus; ut apud Graecos *ἀναίνεσθαι.* Opp. *χαρίζεσθαι, gratificari.* [O.]

600. *Quam felix vita etc.*] Vide Horat. Epod. 2.

Beatus ille, qui procul negotiis etc. [*Gruter.*]

601. *Quam magnum est non laudari etc.*] Hinc Cicero III. Tusc.: *Quin etiam mihi quidem laudabiliora videntur omnia, quae sine venditatione et sine populo teste fiunt.* [*Idem.*]

602. *Quam malus est, culpam qui suam alterius facit*] Duplex huius versus intellectus est, vel: qui quod peccavit ipse alteri adscribit, vel: qui aliorum peccata in se recipit. [*Gruter.*] Omnino prior interpretatio unice vera, quam bene expressit Schwarzius vertens:

Wer seine Schuld auf andre schiebt, wie boshaft! [O.]

603. *Quam miser est, cui ingrata misericordia est*] Ita cum Scaligero Gruterus. Sartorius autem ex MS. Frising. *cuius ingrata misericordia est*, quae lectio mihi praeferenda videtur tanquam acutior, ut sensus sit: *Quam miser est, cuius misericordia* (quia scil. benefacit praepostere et indignis largitur) *nemini grata est, der es mit seinem Mitleiden Niemandem recht macht, dessen Mitleid Niemand Dank weiss.* Male Schwarzius: *Wie elend macht ein undankbares Mitleid!* [O.]

604. *Quam miser, qui excusare sibi se non potest*] Huic simile est illud Ciceronis in Philippicis: *Quam*

miserum est id negare non posse, quod sit turpissimum confiteri, itemque hoc Cassiodori Lib. V. Epist. XXI. *Age, ne tua tibi obiiciatur oratio: quia pondus est pudoris gravissimi, propria voce convinci.* [*Gruter.*]

605. *Quam miserum est auxilium etc.*] Bene idem Cassiodorus Lib. IV. Ep. 27. *Detestabilis quidem est omnis iniuria, et quicquid contra leges admittitur; sed malorum omnium probatur extremum, inde detrimenta suscipere, unde credebantur auxilia provenire.* [*Idem.*]

606. *Quam miserum est bene quod feceris etc.*] Ubi scil. iuvimus aliquem, et propter ingratum eius animum poenitet: qualem poenitentiam reprehendit Seneca IV. de Benef. Cap. X. *Quam saepe hominum donationem inconsulte quam obiurgantium audivimus hanc vocem: Mallem perdidisse, quam illi dedisse.* [*Idem.*]

607. *Quam miserum est cogi opprimere etc.*] v. c. cum servus sis tyranni. [O.]

608. *Quam miserum est, ubi se renovat consumptum malum*] Minus bene Schwarzius:

Wenn ein erlittnes Uebel sich erneut, wie traurig!

Consumptum malum est quod consumptum vel plane exstinctum videbatur, metaphora ducta a flamma, quae, dum materia qua alitur consumpta est, ipsa consumitur. [O.]

610. *Quam miserum est mortem cupere nec posse emori*] Ita Philoctetes apud Sophoclem v. 799.

Ὦ θάνατε, θάνατε, πῶς ἀεὶ καλούμενος
Οὕτω κατ' ἦμαρ, οὐ δύνῃ μολεῖν ποτέ; [*Gruter.*]

Frising. *non posse emori.* H. l. *emori* diverso sensu accipiendum ac supra v. 85. et significare videtur *extremum spiritum reddere, ausathmen.* [O.]

613. *Quam miserum est, ubi te captant etc.*] Ita Gruterus. Cod. Frising. et ex eo Sartorius *capiant.* [O.]

614. *Quam poenitenda etc.*] Caecilius (apud Ciceronem de Senect.):

Aedepol, senectus, si nihil quicquam aliud vitii
Apportes tecum, quum adveneris, unum id satis est,
Quod diu vivendo multa, quae non vult, videt. [*Grut.*]

Vide infra in Trochaicis v. 815.

615. *Quam saepe veniam etc.*] Est Senecae II. de Ira Cap. XXXIV. [*Idem.*]

616. *Quam timidus is est, paupertatem qui timet*] Levissimum omnium malorum paupertatem vocat Menander apud Stobaeum Serm. XCIII. (Laus paupertatis):

Τὸ κουφότατόν σε τῶν κακῶν πάντων δάκνει,
Πενία· τί γὰρ τοῦτ' ἐστιν, ἧς γένοιτ' ἂν εἷς
Φίλος βοηθήσας ἰατρὸς ῥᾳδίως; [*Idem.*]

617. *Quamvis acerbus, qui monet etc.*] *Nam et monendi amici saepe sunt et obiurgandi: et haec accipienda amice, cum benevole fiunt. Sed nescio quomodo verum est, quod in Andria familiaris meus dicit:*

Obsequium amicos, veritas odium parit.

ut est apud Ciceronem de Amicit. Cap. XXIV. [*Idem.*]

618. *Quamvis non rectum etc.*] Hoc ipsum notat Seneca Epist. 95. *Nihil turpe est, cuius placet pretium.* Unde Horatio I. Sat. III. v. 98. *utilitas* dicitur

— — — — — *iusti prope mater et aequi.*

qui etiam Lib. I. Epist. I. v. 65. reprehendit hoc nomine quosdam, quum ait:

Isne tibi melius suadet, qui ut rem facias, rem
Si possis recte, si non, quocunque modo rem?

Similes improborum hominum voces e poetis graecis recenset Plutarchus de audiendis poet. veluti illud p. 18. (Opp. ed. Paris. in fol.):

Τοῦ μὲν δικαίου τὴν δόκησιν ἄρνυσο,
Τὰ δ' ἔργα τοῦ πᾶν δρῶντος, ἔνθα κερδανεῖς.

et pag. 21. ex Sophocle:

Τὸ κέρδος ἡδύ, κἂν ἀπὸ ψευδῶν ᾖ. [*Idem.*]

620. *Quem diligas, etiam queri de ipso malum est*] Vel quia tegenda et lenienda sunt peccata amicorum; vel quia male exploravit antea amicum. Conf. in priorem sensum infra v. 670.

Quod quisque amat, laudando commendat sibi. [*Tzschuck.*]

621. *Quem fama semel oppressit etc.*] Hinc Plautus in Persa Act. III. Scen. I. v. 27.

— — — — *Hominum immortalis est infamia,*
Etiam tum vivit, cum credas mortuam. [*Grut.*]

622. *Qui aequo animo etc.*] Plinius Lib. IV. Epist. 27. *Est illud verissimum: γιγνώσκων, ὅτι τοιοῦτός ἐστιν ἕκαστος, οἷσπερ ἥδεται ξυνών.* [*Idem.*] Bene Schwarzius:

Der ist selbst böse, dem's gleich ist bey Bösen seyn. [O.]

624. *Quicquid bono concedis etc.*] Supra v. 580. dixit:

Probo beneficium qui dat, ex parte accipit. [*Gruter.*]

625. *Quicquid conaris etc.*] Phocylides v. 75.

Μὴ πίστευε τάχιστα, πρὶν ἀτρεκέως πέρας ὄψει. [*Idem.*]

627. *Quicquid Fortuna exornat etc.*] Huc facit Plutarchus in Orat. II. de virtut. Alex. M. Opp. Tom. II. p. 337. *Ὥσπερ γὰρ οἱ φαῦλοι τεχνῖται, καὶ βάσεις μεγάλας μικροῖς ὑφιστάντες ἀναθήμασιν, ἐλέγχουσιν αὐτῶν καὶ τὰς μικρότητας, οὕτως ἡ τύχη, ὅταν μικρὸν ἦθος ἐξάρῃ πράγμασιν ἔχουσιν ὄγκον τινὰ καὶ περιφάνειαν, ἐπιδείκνυσι μᾶλλον καὶ καταισχύνει σφαλλόμενον καὶ σαλευόμενον ὑπὸ κουφότητος.* et Tacitus Lib. XIII. Annal. *Nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum est, quam fama potentiae non sua vi nixae.* [*Idem.*]

628. *Quicquid futurum est summum etc.*] Plane loquitur, ut Polybius pag. 164. A. (Casaub.): *Φύεται μὲν ἐκ τῶν τυχόντων πολλάκις τὰ μέγιστα τῶν πραγμάτων.* Quod etiam in artium studiis considerari vult Quinctilianus Inst. Lib. I. Cap. I. *Parva docemus, instituendum oratorem professi: sed est sua etiam studiis infantia, et ut corporum mox etiam fortissimorum educatio a lacte cunisque initium ducit, ita futurus eloquentissimus edidit aliquando vagitum, et loqui primum incerta voce tentavit, et haesit circa formas litterarum.* [*Idem.*]

629. *Meminit, cum potest*] Sensus: *Simul ac potest, eius* (scil. τοῦ didicisse nocere) *meminit*, i. e. *nocet.* [*Tzschuck.*]

630. *Qui, cum dolet, blanditur etc.*] Non aliter atque Prexaspes, quum, filio suo ab rege Cambyse sagitta transfixo, peritiam sagittandi in rege laudaret, de quo Seneca Lib. III. de ira Cap. XIV. *Dii illum male perdant animo magis quam conditione mancipium. Eius rei laudator fuit, cuius nimis erat spectatorem fuisse. Occasionem blanditiarum putavit pectus filii in duas partes diductum, et cor sub vulnere*

palpitans. In eandem sententiam Seneca Tragicus in Hippol. v. 134.

Qui blandiendo dulce nutrivit malum,
Sero recusat ferre, quod subiit iugum. [*Gruter.*]

post tempus] I. e. nimis sero. [*Tzschuck.*] Sic Plautus Capt. IV. 2, 90. *Abi stultus, post tempus venis.* [O.]

631. *Quidam inimici graves, amici sunt leves*] Exturbavi sedibus suis neotericam inquilinam (Sartorii):

Quidam inimici graves sunt inimici leves.

quoniam minus caperem subtilitatem istam nimium subtilem. Nostrum istud dicit, inveniri homines, qui nobis inimici graviter noceant, amici vero leviter prosint. Et sic uno ore MSS. Palat. sic Cantabrigg. sic etiam ipse experiere lector. [*Gruter.*] Tzschuckius exponit: *Quidam inimici graves perinde prosunt, atque amici leves.* Mihi subiectum sententiae videtur *amici leves*, ut sensus sit: *Quidam amici leves* (quando scil. laesos se a nobis existimant) *inimici existunt graves.* De talibus Plautus in Poenul. Act. III. Scen. VI.

Si quid benefacias, levior pluma est gratia:
Si quid peccatum est, plumbeas iras gerunt.

quem locum apposite citat Gruterus in Notis posthumis. Optime Schwarzius:

Wer wenig nützt als Freund, kann doch als Feind viel schaden. [O.]

632. *Qui debet, limen etc.*] Graphicam talis debitoris descriptionem nobis exhibet Ioannes Chrysostomus in Matth. p. 506. C. Ὁ χρεώστης, inquit, ὅταν ἴδῃ τὸν δανειστὴν, κλᾶται αὐτοῦ ἡ διάνοια, καὶ θηρίον μᾶλλον αὐτὸν δέδοικε. itemque Ambrosius in Tob. Cap. VII. *Quid fugis hominem, quem poteras et non timere? Quid fugis, aut quousque fugies? Si quis pulsaverit nocte, foeneratorem putas sub lecto. Illico, si quem subito intrare senseris, tu foras exilis. Canis latrat et cor tibi palpitat, sudor effunditur, anhelitus quatitur: quaeris, quid mentiaris, ut foeneratorem differas, et cum dilationem impetraveris, gaudes.* Adde Aesopi Fab. 42. de vespertilione, prae metu creditorum interdiu non apparente. [*Gruter.*]

633. *Quid est beneficium dare? etc.*] Sumptum est e Seneca, cuius verba sunt III. de Benef. Cap. XV. *Qui dat beneficium, Deos imitatur; qui repetit, foeneratores.* [*Idem.*]

634. *Qui docte servit etc.*] Supra v. 535.

Parere scire par imperio gloria est.

Bene itaque Seneca Epist. LXI. *Ita dico, qui imperia libens excipit, partem acerbissimam servitutis effugit, facere quod nolit. Non qui iussus aliquid facit, miser est; sed qui invitus facit.* [*Idem.*]

635. *Quid quisque possit, nisi tentato nesciet*] Est Senecae dictum de Prov. Cap. IV. cuius verba sunt: *Opus est ad notitiam sui experimento. Quod quisque possit, nisi tentando non didicit.* Legendum ergo et hic: — — — — *nisi tentando nesciet.* [*Gruter.*] Sartor. *nescit.* [O.]

636. *Quid ipse sis, non quid habearis, interest*] Sartorius et Godofred. e Cod. Frising. *Quid ipse sis, interest, non quid habearis,* metro soluto. Martinus de moribus: *Qui sis, interest, non quid habeas.* [O.]

637. *Quid tibi pecunia opus est etc.*] Talem ho-

minem eleganter ludit Poeta in Antholog. Lib. II. Tit. 50. Epigr. 2.

Πλουτεῖν φασί σε πάντες, ἐγὼ δέ σε φημὶ πένεσθαι·
Χρῆσις γὰρ πλούτου μάρτυς, Ἀπολλόφανες.
Ἂν μετέχῃς αὐτῶν σὺ, τὰ γίγνεται· ἂν δὲ φυλάττῃς
Κληρονόμοις, ἀπὸ νῦν γίγνεται ἀλλότρια. [*Gruter.*]

638. *Quieta vita iis, qui tollunt Meum Tuum*] I. e. qui communia omnia ducunt. [*Tzschuck.*] Godofredus e Cod. Frising. *Quietissime viverent homines, si duo verba tollerent, Meum et Tuum.* Martinus de moribus: *Quietissimam vitam agerent homines in terris, si haec duo verba e natura omnium rerum tollerent, Meum et Tuum.* [*Sartor.*] Illud enim, *Non tuum hoc, sed meum*, bene Aristides (Orat. de Concordia p. 331. Tom. II. ed. P. Steph.) principium et originem praebere dicit omnis contentionis: *τὸ γὰρ, οὐ σὸν τοῦτο, ἀλλ' ἐμὸν, ἀρχὴ πάσης φιλονεικίας.* et Seneca Lib. III. de Ira Cap. XXXII. egregie turbas, tumultus aliaque quae ob pecuniam accidunt incommoda recenset. *Circa pecuniam*, inquit, *plurimum vociferationis est: haec fora defatigat, patres liberosque committit, venena miscet, gladios tam percussoribus quam legionibus tradit etc.* [*Gruter.*]

639. *Qui spectat, ut rogetur etc.*] Idem vult Seneca II. de Benef. Cap. I. *Illud melius, occupare, antequam rogamur: quia, cum homini probo ad rogandum os concurrat et suffundatur rubore, qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus suum.* [*Gruter.*] Cod. Frising. *Qui exspectat.* Vulgatum bene explicat Tzschuckius: qui ad preces oculis, vultu quasi invitat. Verterem: *Wer darauf sieht, dass man ihn bitte.* Ceterum *officium* h. l. minime *τὸ καθῆκον* (*Pflicht, Anstand*), quomodo Graece vertit summus Scaliger, (ut ipse fatetur, properante calamo,) sed *ἡ χάρις*, *beneficium*, *Dienst*, *Dienstgefälligkeit*, ut in illo Catonis Lib. II. Distich. 15.

Officium alterius multis narrare memento,
Atque aliis quum tu benefeceris ipse, sileto.

ubi vide Arntzen. pag. 82. Nec male Schwarzius:

Der Dienst fällt weg, wenn man sich bitten lässt. [O.]

640. *Qui in vero dubitat etc.*] Hoc ipsum censet Cicero de Offic. Lib. I. Cap. IX. *Quocirca bene praecipiunt, qui vetant quicquam agere, quod dubites aequum sit an iniquum. Aequitas enim lucet ipsa per se, dubitatio autem cogitationem significat iniuriae.* et Lib. III. Cap. VIII. *in ipsa dubitatione facinus inest, etiamsi ad id* (scelus) *non pervenerint. Ergo ea deliberanda omnino non sunt, in quibus est turpis ipsa deliberatio.* [Gruter.]

643. *Qui metuit calamitatem, rarius accipit*] Cod. Frising. *raro accipit.* [*Sartor.*]

644. *Qui timet insidias omnes, nullas incidit*] Tzschuckius legendum coniicit *multas incidit.* Sed vulgata lectio adstruitur cum versu proxime antecedente, tum versu 112.

Caret periculo, qui etiam, cum est tutus, cavet.

Cod. Frising. *in nullas incidit. Incidere quid* pro *in quid* poetarum est. Ita Lucretius IV. 569.

— — — — pars vocum non aures incidit ipsas.

Vide Drakenborch. ad Liv. II. 30. §. 15. et Bremi ad Cornel. Nep. Attic. C. X. §. 4. p. 378. ed. noviss. [O.]

645. *Qui pote celare vitium, vitium non fa-*

est] Vox hominis improbi. Nam, ut ait Cicero Lib. III. de Offic. Cap. IX. *Honesta bonis viris, non occulta quaeruntur.* Confer Peregrini verba apud Gellium Lib. XII. Cap. II. [O.]

646. *Qui pote consilium fugere, sapere idem potest*] Forte *capere* pro *sapere*, ut ad consilium referatur, quod vult etiam Gruterus, et videtur concinnius et acutius. [*Tzschucke.*] Vulgatum frustra tuetur Schwarzius. [O.]

647. *Qui pote nocere, timetur, cum etiam non adest*] Vides socium isti versui verbo tantum differentem. Utrumque probum arbitror; verum certe scio. Ita supra v. 576.

Praesens est semper, qui absens etiam ulciscitur. [*Grut.*]

648. *Qui pote nocere, timetur, cum etiam non nocet*] Sic Horatius de Satyrico loquitur, cuius insectationes, licet nihil scribat, tamen metuunt homines, Lib. II. Sat. I. v. 23.

Quum sibi quisque timet, quamquam est intactus, et odit.

Sed inprimis hoc verum est de hominibus magnis et potentibus, quales intelligit Seneca I. de Clem. Cap. VIII. *Ut fulmina paucorum periculo cadunt, omnium metu, sic animadversiones magnarum potestatum terrent latius, quam nocent, non sine causa. Non enim quantum fecerit, sed quantum facturus sit, cogitatur in eo, qui omnia potest.* et Sallustius in Epist. de Rep. ordin. *Quamvis bonus atque clemens sit, qui plus potest, tamen, quia malo esse licet, formidatur.* [*Idem.*]

649. *Qui pote transferre amorem etc.*] Similiter Quintilianus Inst. Lib. VI. de dolore loquitur ac noster de amore: *Qui intermittere in agendo dolorem potest, videtur posse etiam deponere.* [*Gruter.*] Schwarzius vertit:

Wer Liebe wechseln kann, kann ihrer sich entschlagen.

et hoc sensu *transferre amorem* dixit Terentius in Hecyr. Act. I. Scen. II. v. 94.

Animus paullatim elapsus est Bacchidi atque huic transtulit amorem.

Sed *transferre* h. l. est intermittere, in aliud tempus differre, ut Coelius ap. Cic. Lib. VIII. ad Fam. Epist. IX. *Causa haec integra in proximum annum transferetur.* [O.]

650. *Qui pro innocente dicit etc.*] Veritatis enim simplex est oratio, prout etiam de se censet C. Marius apud Sallustium in Iugurth. Cap. 85. *Non sunt composita verba mea. Parum id facio. Ipsa se virtus satis ostendit: illis artificio opus est, ut turpia facta oratione tegant.* Sic et Libanius p. 191. C. (ed. Morell.): *Τὰ δὲ δίκαια καὶ βραχείας ἡγοῦμαι δεῖσθαι ῥήσεως.* [Gruter.]

651. *Qui se ipse laudat etc.*] Sic recte Bentleius et ex ratione linguae in hoc nexu. Antea: *Qui se ipsum laudat.* [*Tzschuck.*]

652. *Qui dives videtur sibi*] Rescribe: *dives videtur qui sibi.* [*Gruter.*] Sartor. e MS. Frising. *qui sibi videtur dives.* [O.]

653. *Qui sibi non vivit, merito aliis est mortuus*] Malim versum hunc legere hoc modo: *Qui sibi modo vivit etc.* Sic Stobaeus p. 888. ex Menandro: *Τοῦτ᾽ ἐστὶ τὸ ζῆν, οὐχ ἑαυτῷ ζῆν μόνον.* [*Gruter.*] Nihil mutandum. *Qui sibi non vivit* est avarus, qui nec sibi nec aliis aliquid largitur boni. [O.]

654. *Quis miserum sciret etc.*] Libanius p. 695. D. *'Αλλ' αἱ συμφοραὶ καὶ τὸν ἄγαν σώφρονα πολλάκις ἐξήγαγον ἀφεῖναι ῥῆμα τῶν αὐτοῦ τρόπων ἀνάξιον.* [*Gruter.*]

656. *Qui timet amicum, amicus ut timeat, docet*] Nam, ut loquitur Scytharum legatus apud Curtium Lib. VII. Cap. VIII. *firmissima est inter pares amicitia, et videntur pares, qui non fecerunt inter se periculum virium. Quos viceris, amicos tibi esse cave credas.* item Livius Lib. XXII. *Vult sibi quisque credi et habita fides plerumque obligat fidem.* [*Gruter.*]

657. *Qui timet amicum, vim non novit nominis*] Nam qui verus amicus est, eum non possumus cavere. Unde bene Cicero pro Rosc. Amerin.: *Socium vero cavere qui possumus? quem etiam si metuimus, ius officii laedimus. Recte igitur maiores eum, qui socium fefellisset, in virorum bonorum numero non putaverunt haberi oportere.* [*Idem.*] Idem Scytharum legatus ap. Curtium l. l. *Nec tibi amico opus est, de cuius benevolentia dubites.* [O.]

658. *Qui venit, ut noceat, semper meditatus venit*] Gruterus v. *meditatus* explicat *praeparatus ad defensionem*, citans verba Isocratis in Orat. περὶ ἀντιδ. *'Εγὼ δ' ἡγοῦμαι πάντας ἡμᾶς εἰδέναι, ὅτι πάντες ἄνθρωποι, ὅταν ἀδικεῖν ἐπιχειρῶσιν, ἅμα τὴν ἀπολογίαν σκοποῦντας.* Sed h. l. *meditatus* in genere est *qui viam quaesivit impune nocendi.* [O.]

659. *Qui dubitat ulcisci etc.*] Cod. Fris. *Qui ulcisci dubitat.* [O.]

660. *Qui culpae ignoscit uni etc.*] Talem misericordiam dissuadet plebi C. Memmius apud Sallustium B. Iug. Cap. XXXI. *Atque ego tamen etsi viro flagitiosissimum existumo impune iniuriam accepisse, tamen vos hominibus sceleratissimis ignoscere, quoniam cives sunt, aequo animo paterer, ni misericordia in perniciem castura esset.* [*Gruter.*] Cod. Fris. *Qui uni culpae ignoscit.* [O.]

661. *Quo cavet te, cum animus aliud, verba aliud petunt*] Priora verba obscura. Deinde *te* potius postulat *cui* pro *cum*, si sic per metrum liceat. [*Tzschuck.*] *Quo* pro *quomodo* uno se tueri possit loco Horatii I. Sat. III. 128. *sutor tamen est sapiens. Quo?* ubi tamen Bentleius e melioribus Codd. restituit *Qui?* Legendum itaque videtur: *Qui caveris etc.* Nisi velimus *quo* interpretari *quanam re.* *Wie wirst du dich hüten können:* [O.] Hoc inprimis in oratore reprehendit Demosthenes de Corona: *Τί δὲ μεῖζον ἔχοι τις ἂν εἰπεῖν ἀδίκημα κατ' ἀνδρὸς ῥήτορος, ἢ μὴ ταὐτὰ φρονεῖν καὶ λέγειν.* [*Gruter.*] Magis huc quadrat elegantissimus locus Theognidis v. 87. et seqq.:

Μή μ' ἔπεσιν μὲν στέργε, νόον δ' ἔχε καὶ φρένας ἄλλῃ,
Εἴ με φιλεῖς, καί σοι πιστὸς ἔνεστι νόος.
῎Η με φίλει, καθαρὸν θέμενος νόον, ἤ μ' ἀποειπὼν
῎Εχθαιρ', ἀμφαδίην νεῖκος ἀειράμενος.
῞Ος δὲ μιῇ γλώσσῃ δίχ' ἔχει νόον, οὗτος ἑταῖρος
Δεινός, Κύρν', ἐχθρὸς βέλτερος ἢ φίλος ὤν. [O.]

662. *Quod aetas vitium posuit etc.*] Ita Cicero pro Coelio: *Ac multi et nostri et patrum maiorumque memoria summi homines et clarissimi cives fuerunt, quorum cum adolescentiae cupiditates deferbuissent, eximiae virtutes firmata iam aetate exstiterunt.* et paullo post: *Si quem etiam minimorum horum aliquid offenderit, ei purpurae genus, si*

amicorum catervae, ii splendor, et nitor: iam ista deferbuerint: iam aetas omnia, iam ista dies mitigarit. [*Idem.*] *Posuit*, i. e. plantavit quasi, insevit animo: plane ut apud Horatium Lib. II. Od. XIII. *Ille et nefasto te posuit die etc.* [O.]

663. *Quodcunque animus etc.*] Sunt verba Senecae Lib. II. de Ira Cap. XII., ubi huc pertinentia praebet exempla. Supra v. 49. dixit noster iisdem pene verbis:

Animus hominis quicquid sibi imperat, obtinet. [*Gruter.*]

664. *Quod est timendum etc.*] Ita Livius Lib. XXV. in oratione Marcii ad milites: *Et ita se res habet: ad id, quod ne timeatur Fortuna facit, minime tuti sunt homines: quia quod neglexeris incautum atque apertum habeas.* Huc facit et illud Claudiani II. in Eutrop. v. 120.

— — — *Heu quales sese diffundit in actus*
Parva quies? quantum nocuerunt otia ferri?

et v. 392.

Quis novus hic torpor, socii? quonam usque sedemus
Foemineis clausi thalamis? patimurque periclum
Glíscere desidia? graviorum turba malorum
Texitur, ignavis trahimus dum tempora votis. [*Gruter.*]

665. *Quod facere turpe est etc.*] Ad verbum Isocrates in Paraenesi: *Ἃ ποιεῖν αἰσχρόν, ταῦτα νόμιζε μηδὲ λέγειν εἶναι καλόν.* [*Idem.*]

dicere honestum ne puta] Cod. Frising. et Sartorius *dicere ne honestum puta.* Male et contra metrum. [O.]

667. *Quod nescias cui serves etc.*] Talem describit Siracides Cap. XI. v. 19. *Ἐν τῷ εἰπεῖν αὐτόν, εὗρον ἀνάπαυσιν, καὶ νῦν φάγωμαι ἐκ τῶν ἀγαθῶν μου ἀδιαλείπτως· καὶ οὐκ οἶδεν, τίς καιρὸς παρελεύσεται, καὶ καταλείψει αὐτὰ ἑτέροις, καὶ ἀποθανεῖται.* [*Gruter.*] Confer notissimam divini Salvatoris parabolam Luc. XII. 16—20. [O.]

668. *Quod nescias, damnare etc.*] Vere et acute Cassiodorus Lib. XII. Epist. XXII. *Inaequalis est arbiter, qui sententiam mittit in vacuum: et mali sibi probatur conscius, qui est indeliberata dicturus.* [*Gruter.*]

669. *Quod periit etc.*] Cod. Frising. et Sartor. *Quod perit, quaeri potest, reprehendi haud potest.* [O.]

670. *Quod quisque amat etc.*] Infra v. 837. dicet:

Nil rationis est, ubi res semel in affectum venit.

Bene in eandem sententiam et Horatius I Epist. XIX.

Laudibus arguitur vini vinosus Homerus. [*Gruter.*]

671. *Quod semper est paratum etc.*] Huc quadrat v. 680.

Rarum esse oportet, quod diu carum velis. [*Idem.*]

672. *Quod senior loquitur etc.*] Quare etiam Aristoteles V. Eudem. pag. 149. senibus auscultandum esse docet: *Ὥστε δεῖ προσέχειν τῶν ἐμπείρων καὶ πρεσβυτέρων ἢ φρονίμων ταῖς ἀναποδείκτοις φάσεσι καὶ δόξαις, οὐχ ἧττον τῶν ἀποδείξεων· διὰ γὰρ τὸ ἔχειν ἐκ τῆς ἐμπειρίας ὄμμα ὁρῶσι τὰς ἀρχάς.* et Lycurgus teste Plutarcho in Moral. p. 795. *Ἐθίσας τοὺς νέους παντὶ πρεσβύτῃ, καθάπερ νομοθέτῃ, πειθομένους διατελεῖν.* Conf. Siracid. VI, 35. et VII, 11. [*Idem.*]

674. *Quod vitiosum est etc.*] Potest accommodari: non esse malum faciendum, ut inde surgat bonum. Unde illud: *Desciscere, qui deliberant*, apud Tacitum. Graeci in Excerptis meis:

Αἰσχρὸν τό γ' αἰσχρόν, κἂν δοκῇ, κἂν μὴ δοκῇ. [*Idem.*]

675. *Quod vix contingit, vix voluptatem parit*] Ita medendum duxi sententiae. Nam MS. (Frising.) *Quod vix contingitur, voluptatem parit*, quod nimis mihi visum acutum. [*Gruter.*] Dubito equidem, annon praeferenda sit antiqua lectio, hoc sensu: *Homines rebus arduis, quas vix contingere et assequi possunt, maxime delectantur.* Vel, si legamus: *Quod vix contingit, quam voluptatem parit!* sensus exiret elegantissimus, scil.: *Res fabulosae ac miraculosae, quae vix contingunt in rerum natura, maxime alliciunt delectantque audientium vel legentium animos.* [O.] Mihi magis placet Codicis Frising. lectio: *Quod vix contingitur*, i. e. res ardua. [*Casp. Orell.*]

677. *Quod vult habet etc.*] MS. Frising. ita legit:

Quod vult habet, qui cupere quod sat est potest.

Nos secuti sumus Senecam, qui hunc Mimum ita citat Epist. 109.: *Magis tamen feriuntur animi, cum carmina eiusmodi dicta sunt.*

Is minimo eget mortalis, qui minimum cupit.
Quod vult habet, qui velle quod satis est potest.

Cum haec atque eiusmodi audimus, ad confessionem veritatis adducimur. Illi enim, quibus nihil satis est, admirantur, acclamant, odium pecuniae indicunt. [*Sartorius.*] *Habet quod vult*, quia Fortuna id invita etiam dare cogitur. Illum itaque fortunatum iudicat Sext. Turpilius:

Profecto ut quisque minimo contentus fuit,
Ita fortunatam vitam duxit maxime.

Conf. Siracid. XL. 18. [*Gruter.*]

678. *Rapere est accipere etc.*] Nam, inquit Pseudophocylides,

Νικᾶν εὖ ἔρδοντας ἐπὶ πλεόνεσσι καθήκει. [*Idem.*]

680. *Rarum esse oportet etc.*] Similiter Seneca I. de Benef. Cap. XIV. *Beneficium, quod quibuslibet datur, nulli gratum est.* et paulo post: *Quod voles gratum esse, rarum effice.* [*Idem.*]

681. *Ratione, non vi etc.*] Idem monet Plutarchus de educat. *Δεῖ τοὺς παῖδας ἐπὶ τὰ καλὰ τῶν ἐπιτηδευμάτων ἄγειν παραινέσεσι καὶ λόγοις, μὴ μὰ Δία πληγαῖς μηδ' αἰκισμοῖς.* [*Idem.*]

682. *Refert, quam quis bene vivat etc.*] Sic Marius apud Sallustium Iug. Cap. LXXXV. *Nemo ignavia immortalis factus: neque quisquam parens liberis, ut aeterni forent, optavit magis, ut boni honestique vitam exigerent.* [*Idem.*]

683. *Regnat, non loquitur, qui nil nisi quod vult facit*] *Facit* Gruterus recte interpretatur *efficit dicendo*, citans Cic. de Orat. Lib. I. *Nil mihi videtur praestabilius, quam posse dicendo tenere hominum coetus, mentes allicere, voluntates impellere quo velit, unde autem velit deducere.* [O.]

685. *Remedium frustra est contra fulmen quaerere*] Tutissimum duxi dare in loco hoc vexatissimo emendationem Bentleii, quae sensum praebet elegantissimum: *Frustra est remedium quaerere contra malum repente nec opinato ingruens fulminis instar.* Cod. Frising. habet *Remedium fraus est contra flumen quaerere*, sensu aut nullo aut inepto, quod Gruterus in notis posthumis ita corrigere voluit: *Remigium frustra est contra flumen quaerere*, citans Euripidis verba apud Stobaeum Serm. CVI. *Πλεῖ κατὰ ῥοῦν,*

πλεῖ κατὰ δαίμονα. (Θνητὸς γὰρ ὢν καὶ θνητὰ πείσεσθαι δοκεῖ.) nec non Senecae Epist. CXXII. in fin. *Contra naturam nitentibus non alia vita est, quam contra aquam remigantibus.* ex qua lectione sententiam hanc extricare possis: Frustra est remigium (i. e. remum amissum adeoque a flumine abreptum) contra flumen quaerere, h. e. Frustra est occasionem opportunam malis obluctandi semel emissam recuperare. Et sic etiam verba haec intellexisse videtur Schwarzius vertens:

Vergeblich ist's Stromauf das Ruder suchen.

in Nota tamen subiecta dubitat de sinceritate lectionis. *Remigium* pro remis dixit Virgilius Georg. I, 202.

— — — — *qui adverso vix flumine lembum*
Remigiis subigit.

Tzschuckio placet: *Remedium haud est contra fulmen quaerere.* De frequentissima permutatione v. *fulmen* et *flumen* in MSStis vide Drakenborch. ad Sil. Ital. VIII. 646. p. 445. [O.] Defendi possit *Remedium fraus est contra fulmen quaerere,* ut sit *fraus* i. q. culpa, scelus. (Sic ap. Cic. Lib. I. de Divin. Cap. IV. *Neglectis rebus divinis impia fraude obligari,* ubi vid. Hottinger. Conf. Mitscherlich. ad Horat. Lib. I. Od. XXVIII. v. 30. O.) Sensus itaque: *Es ist Frevel, gegen ein von den Göttern gesandtes Uebel ein Mittel zu suchen.* [*Casp. Orell.*]

686. *Repelli se homo etc.*] Eadem est Ciceronis sententia Lib. I. de Offic. Cap. XIII. *Cum autem duobus modis, hoc est aut vi, aut fraude fiat iniuria; fraus quasi vulpeculae, vis leonis videtur; utrumque alienissimum ab homine, sed fraus odio digna maiore.* [*Gruter.*] Sartorius e Cod. Frising. metro soluto:

Repelli se homines facilius quam decipi ferunt. [O.]

687. *Repente dives nemo factus est bonus*] Nemo bonus repente factus est dives; aut: Nemo repente dives factus est bonus. Quomodocunque dicatur, eodem res cecidit. Certe vetus Graeca est sententia (Menandri):

Οὐδεὶς ἐπλούτησε ταχέως, δίκαιος ὤν. [*Scalig.*]

688. *Res inquieta etc.*] Est Senecae Epist. XXXV. ubi ait: *Res est inquieta felicitas; ipsa se exagitat; movet cerebrum; non uno genere alios in aliud irritat.* [*Gruter.*]

689. *Respicere nil consuevit iracundia*] Non famam, non metum, expers scil. consilii. *Nihil ergo,* ut bene loquitur Seneca Lib. III. de Ira Cap. XLI., *utile habet teter ille, et hostilis affectus; at omnia e contrario mala, ferrum, ignes: pudore calcato caedibus inquinavit manus, membra liberorum dispersit. Nihil vacuum reliquit a scelere, non gloriae memor, non infamiae metuens, inemendabilis, cum ex ira in odium incalluit.* [*Idem.*]

690. *Res quanto est maior, tanto est insidiosior*] Hoc est: *Quanto ditior es, eo magis circumretiris insidiis. Fures, latrones, pauperes tibi insidiantur; immittuntur in te sycophantae.* Vel *est insidiosior,* nobis insidias struit, pedicis scilicet retibusque expansis, quibus capti involvamur. In priorem sententiam elegantissime Iuvenalis Sat. X.

Pauca licet portes argenti vascula puri,
Nocte iter ingressus gladium contumque timebis
Et motae ad lunam trepidabis arundinis umbram.
Cantabit vacuus coram latrone viator. [*Grut.*]

Insidiosus significatione passiva frustra quaesivi, et posteriori explicationi favet omnino Pauli Apostoli locus 1 Tim. VI. v.

9. Οἱ δὲ βουλόμενοι πλουτεῖν ἐμπίπτουσιν εἰς πειρασμὸν καὶ παγίδα, καὶ ἐπιθυμίας πολλὰς ἀνοήτους καὶ βλαβερὰς, αἵτινες βυθίζουσι τοὺς ἀνθρώπους εἰς ὄλεθρον καὶ ἀπώλειαν. [O.]

691. *Revertere unde veneris nihil grave est*] Inclinarem magis in

Reverti eo, unde veneris, nulli grave est. [*Grut.*]

Nihil mutandum. *Revertere* pro *reverti* non tantum antiquiores dixerunt, sed et Caesar de Bello Gallico II, 14. *Divitiacus post excessum Gallorum ad eum reverterat.* Cicero etiam I. de Divin. Cap. XV. *Persaepe revertit ex itinere, cum iam progressus esset multorum dierum viam.* *Nihil*, ut οὐδὲν apud Graecos, i. q. *plane non, nullo modo.* Ita Livius, Lib. IV. Cap. 9. *nihil Romanae plebis similis.* et Lib. VI. Cap. XXVIII. *Itaque si C. Licinius et L. Sextius intercessioni collegarum cedunt, nihil patricium magistratum inseram concilio plebis.* ubi vide Stroth. p. 92. Tom. II. ed. Doering. *Nulli* legisse videtur Weberus vertens:

Es ist doch niemand hart und schwer
Zurückgehn, wo man kommen her. [O.]

692. *Reus innocens Fortunam etc.*] Idem conqueritur Isocrates: ὡς πολλὰ παρὰ γνώμην ἐν τοῖς δικαστηρίοις ἀποβαίνει καὶ ὅτι τύχῃ μᾶλλον ἢ τῷ δικαίῳ κρίνεται τὰ παρ' ἡμῖν. [*Gruter.*] Schwarzius vertens:

Die Unschuld vor Gericht scheut nur das Loos, nicht Zeugen.

Fortunam intellexisse videtur de sorte, qua saepissime dabantur iudices vel iniusti, vel iuris legumque ignari. [O.]

693. *Rex esse nolim etc.*] Egregie Isocrates ad Nicoclem: Καὶ νόμιζε τελέως εὐδαιμονήσειν, οὐκ ἐὰν ἁπάντων ἀνθρώπων μετὰ φόβων καὶ κινδύνων ἄρχῃς, ἀλλ' ἐὰν τοιοῦτος ὤν, οἷον χρὴ, καὶ πράττων ὥσπερ ἐν τῷ παρόντι, μετρίων ἐπιθυμῇς, καὶ μηδενὸς τούτων ἀπορῇς. et Seneca I. de Clem. Cap. XXVI. *Quid istud, Dii boni, malum est, occidere, saevire, delectari sono catenarum, et civium capita decidere, quocunque ventum est, multum sanguinis effundere, aspectu suo fugare ac terrere.* [*Grut.*]

695. *Rogari ingenuo servitus quaedam est*] Idcirco Seneca II. de Benef. Cap. II. *Molestum verbum est*, inquit, *onerosum et demisso vultu dicendum: Rogo. Huius facienda est gratia amico et cuicunque, quem amicum sis promerendo facturus. Properet licet, sero beneficium dedit, qui roganti dedit. Ideo divinanda cuiusque voluntas, et cum intellecta est, necessitate gravissima liberanda est.* Nam, ut supra Noster v. 639.

Qui spectat, ut rogetur, officium levat. [*Grut.*]

698. *Saepe oculi et aures vulgi etc.*] In Frisingensi, qui habet Excerpta Proverbiorum, legitur: *Oculos et aures vulgi malos testes esse de sapientia, Socrates dixit.* [*Idem.*]

700. *Salutis causa bene fit homini iniuria*] Et hanc sententiam ab Orco revocavi. Nam prius eius loco conspiciebatur cadaveroso vultu ista:

Salutis casus bene sit homini iniuria. [*Grut.*]

Emendavit iam Sartorius. Sensus: Bene facies alteri iniuriam eo fine, ut illum serves e periculo, tutum salvumque reddas, v. c. si invito extorqueas gladium, quo se iugulare tentavit. Nam invitum cogere alias iniuria est. [O.]

701. *Sanctissimum est meminisse, cui te debeas*] *cui te debeas*, i. e. cui salutem tuam debeas, quis hominum

optime de te fuerit meritus, vel etiam cui te debeas omniaque tua, scil. Deo. [O.]

702. *Sapiens contra omnes arma fert, cum cogitat*] Contra hunc sensum inesse suadet: Sapiens ad omnes iniurias, insidias paratus est, ut serio cogitat, vult. [*Tzschuck.*] *cum cogitat* malim interpretari cum Schwarzio: *wenn er denkt, wenn er seinen Verstand braucht.* [O.] Haud absimilis Comici Graeci sententia p. 194. ed. H. Steph.

Ὅπλον μέγιστόν ἐστιν ἡ ᾿ρετὴ βροτοῖς. [*Grut.*]

704. *Satis est beatus etc.*] *Nam ipse suum eripit*, ut loquitur Seneca VI. de Benef. C. II. *ipsa rerum natura revocare, quod dedit, non potest. Beneficia sua interrumpit, non rescindit. Qui moritur, tamen vixit.* [*Idem.*]

706. *Secreto amicos admone etc.*] Concinit Ausonius in Solone:

Clam coarguas amicum, quem palam laudaveris. [*Idem.*]

Godofred. et Scalig. *Secrete* etc. (O.]

707. *Secunda in paupertate fortuna est fides*] *Secunda* compone cum *fortuna*, unde quidem facile intelligitur sensus: *Fides fungitur vice secundae fortunae in paupertate.* [*Tzschuck.*] Male Schwarzius:

Die Ehrlichkeit ist zweites Glück in Armuth.

cum *fortuna secunda* sit i. q. *fortuna prospera.* [O.]

708. *Secundus est a matre nutricis dolor*] Egregie patet hoc in descriptione Electrae nutricis Proserpinae apud Claudianum de Rapt. Proserp. Lib. III. v. 173 seqq.:

Par Cereri pietas: haec post cunabula dulci
Ferre sinu summoque Iovi deducere parvam
Sueverat, et genibus ludentem aptare paternis:
Haec comes, haec custos, haec proxima mater haberi.
Tum laceras effusa comas, et pulvere canos
Sordida, sidereae raptus lugebat alumnae.

Ita apud Statium V. Theb. v. 628. Hypsipyle nutrix Archemori ad ipsius cadaver plangit. Pluribus hoc ipsum exemplis probari posse significat idem Statius in Epiced. Glauciae II. Sylv. Carm. I. v. 96.

Quid referam altricum victos pietate parentes? [*Grut.*]

Fundus Eurycleae nutricis Ulyssis lamentatio de eius absentia Odyss. τ. 362 seqq. [O.]

709. *Se damnat iudex etc.*] Sic infra v. 764.

Ubi innocens formidat, damnat iudicem.

similiter ut supra v. 349.

Iudex damnatur, cum nocens absolvitur. [*Grut.*]

710. *Seditio civium etc.*] Ita Solon in Disticho apud Demosthenem Orat. de fals. Legat. (apud Brunchium Fragm. XV. v. 21.)

Ἐκ γὰρ δυσμενέων ταχέως πολυήρατον ἄστυ
Τρύχεται ἐν συνόδοις τοῖς ἀδικοῦσι φίλους. [*Idem.*]

711. *Semper beatam etc.*] Siracides Cap. XL. v. 17. *χάρις ὡς παράδεισος ἐν εὐλογίαις.* [*Idem.*]

715. *Semper plus metuit etc.*] Huic affine est illud Horatii Epod. I. v. 18.

Comes minore sum futurus in metu,
Qui maior absentes habet.

Homines enim *ubi vera explorare non possunt, falsa per metum augurantur*, ut ait Curtius Lib. IV. [*Idem.*]

716. *Semper redundat etc.*] H. e. Qui metuitur, metuit, ut supra v. 448.

Necesse est multos timeat, quem multi timent.
Utrumque habet Seneca II. de Ira Cap. II. Hinc Ausonius:
Multis terribilis caveto multos.
et Claudianus IV. Consul. Honor. v. 290 seqq.
Qui terret, plus ipse timet: sors ista tyrannis
Convenit, invideant claris fortesque trucident,
Muniti gladiis vivant septique venenis,
Ancipites habeant arces, trepidique minentur. [*Idem.*]

717. *Sensus, non aetas, invenit sapientiam*] *Sensus* pro mente, ratione dixit Publius significatione insolentiore. Forcellinus in Lexico Latinitatis unum exemplum citat Ulpiani in Digestis Lib. I. Tit. IX. leg. 1. *Nec enim potest dici animal iniuriam fecisse, quod sensu caret.* [O.]

718. *Se posse plus iratus etc.*] Exemplo sint Caeninenses, quum prae ira et ardore, non exspectatis sociis, in agrum Romanum impetum faciunt. *Sed*, ut ait Livius Lib. I., *effuse vastantibus fit obvius cum exercitu Romanus, levique certamine docet, vanam sine viribus iram esse.* [*Grut.*] Sic optime restituit hunc versum Sartorius, qui perperam transpositus erat in MSto Frising. hoc modo: *Semper iratus plus se posse putat, quam possit.* [O.]

720. *Sibi ipsa improbitas etc.*] Ita Bentleius pro *Sibi ipsi* etc. rectius, ut et in versu sequente *Sibi ipse.* [*Tzschuck.*]

721. *Sibi ipse dat supplicium etc.*] Sens. *Pudor poenam redimit, vel aequat.* [*Tzschuck.*] Similiter Seneca de Ira Lib. III. Cap. XXVI. *Maxima est factae iniuriae poena fecisse; nec quisquam gravius afficitur, quam qui ad supplicium poenitentiae traditur.* [*Grut.*] Optime Schwenkius:
Wer sich der That schämt, der ist selbst sein Henker.
Pro *pudet* Cod. Frising. habet *poenitet* contra metrum. [O.]

722. *Sibi primum auxilium eripere est leges tollere*] Lectio si sana est, subiectum sententiae erit *leges tollere* hoc sensu: *Plus sibi ipsis nocent, quam aliis, qui leges violant,* ut bene explicat Tzschuckius. At vero cum v. *primum*, tum subiectum *leges tollere* alieno loco positum faciunt, ut credam, Publium scripsisse:
Sibi primum auxilium rapere est leges tollere.
ex qua lectione sententia exiret elegantissima: *Sibi primum auxilium rapere* (h. e. *suae tantum*, exclusis vel posthabitis aliis, *saluti consulere*) *est leges tollere* (universorum quippe, non singulorum, saluti consulentes). [O.]

723. *Si nil velis timere etc.*] Idem infra v. 768. egregie significat noster:
Ubi timetur nihil, quod timetur nascitur. [*Grut.*]

724. *Socius fit culpae etc.*] Supra v. 488.
Nocentem qui defendit, sibi crimen parit. [*Idem.*]

725. *Solatium grande est etc.*] Sic Seneca Thyest. v. 880.
O nos dura sorte creatos!
Seu perdidimus solem miseri,
Sive expulimus, abeant questus,
Discede timor. Vitae est avidus,
Quisquis non vult mundo secum
Pereunte mori. [*Idem.*]

726. *Solet esse in dubiis etc.*] Huc quadrat illud

Taciti: *Nullus cunctationi locus est in eo consilio, quod non potest laudari nisi peractum*, I. Hist. [*Idem.*]

727. *Solet hora etc.*] Ego (in Proverbiorum collectione):

Hora saepe reddit una quod decennium abstulit.

item:

Multa nulli cogitata temporis punctum attulit. [*Idem.*]

728. *Solet sequi laus etc.*] Nam, ut supra dixit v. 354.

Lascivia et laus nunquam habent concordiam. [*Idem.*]

729. *Sordidius multo vivimus etc.*] Quam sordide nascamur, docet nos Maximus Tyrius Dissert. XXV. de humano corpore ita loquens: ὃ γενόμενον εὐθὺς καὶ ἀποσπασθὲν ἐκ μητρῴων ὑγρῶν κλαίει καὶ διερρέον, ὀδυρμῶν καὶ κνυζημάτων ἀνάπλεων. quem locum apposite citat Gruterus. At h. l. duplicem sensum habere videtur v. *Sordidius*. *Sordide vivere* scil. dicitur de homine illiberali, tenace, avaro, nullum non licet turpissimum quaestum sectante (vide inspp. ad Sueton. Domitian. Cap. VIII. Tom. II. pag. 315. ed. Burmann.), ut nos dicimus *ein schmuziger Geizhals*. *Sordide nasci* autem proprio sensu et primario *cum sordibus*. Utramque notionem non male expressit Schwarzius vertens:

Wir leben ärmlicher, als wir geboren wurden. [O.]

730. *Spes est salutis etc.*] Cleobuli dictum: μάλιστα σωφρονεῖν δῆμον, ὅπου τὸν ψόγον μᾶλλον οἱ πολῖται δεδοίκασιν, ἢ τὸν νόμον. [*Grut.*] Sic Micio Terentianus Adelph. Act. IV. Scen. V. v. 9. *Erubuit: salva res est.* [O.]

733. *Spina etiam grata est etc.*] Huc facit vulgatum proverbium: *Ob mel fer apes.* [*Grut.*]

734. *Stultitia est insectari etc.*] Apuleius in Anech. v. 3.

Nam sese excruciat, qui beatis invidet. [*Idem.*]

omnes omittit Cod. Frising. [O.]

735. *Stultitiae partem etc.*] Bene supra v. 237.

Fortuna nimium quem fovet, stultum facit. [*Grut.*]

736. *Stulti timent fortunam etc.*] Nam, ut mox,

Stultum est timere quod vitari non potest.

Unde, si audiamus Senecam ad Polyb. Cap. XXII. *Quo melior est quisque, hoc saepius ferre fortunam consuevit, sine ullo delectu furentem, et inter ipsa beneficia metuendam.* [*Idem.*]

737. *Stultum est alium etc.*] Idem dicit Comici sententia apud Steph. p. 216.

Ἐχθροὺς ἀμύνου μὴ 'πὶ τῇ σαυτοῦ βλάβῃ. [*Idem.*]

738. *Stultum est queri de adversis etc.*] Similis sententia auctoris ad Herennium Lib. III. Cap. V. *virtutibus uti neminem posse, qui suas rationes in tuto non collocarit: ne deos quidem esse auxilio iis, qui se inconsulto in periculum mittant.* Quin idcirco a talibus cavendum etiam esse docet Horatius, ne auxilium feras, I. Epist. XVIII.

Quem sua culpa premit, deceptus omitte tueri. [*Idem.*]

739. *Stultum est timere quod vitari non potest*] Veluti mortem aut aliud fatale incommodum. [*Erasmus.*] Ita citat etiam Martinus libro de moribus hunc Publianum mimum, quem Seneca (sive quis auctor sit libri de remediis fortuitorum) respexit, non tamen laudato nomine Publii, ita tamen, ut sit scazon.

Stultum est timere quod vitare non possis.
Istud non effugit etiam qui distulit.

Noster MS. Frising. legit *quod mutari non potest.* [*Sartor.*] Ipse Sartor. edidit *quod vitare non potes.* [O.]

740. *Stultum est vicinum etc.*] Vide paulo ante v. 737. [O.]

741. *Stultum facit fortuna etc.*] Sophocles in Antigon. v. 620.

Τὸ κακὸν δοκεῖ ποτ' ἐσθλὸν
Τῷδ' ἔμμεν, ὅτῳ φρένας
Θεὸς ἄγει πρὸς ἄταν. [*Grut.*]

742. *Stultum est imperare reliquis etc.*] Ad sacra hoc transfert Apostolus Paulus 1 Tim. III, 5. *Εἰ δέ τις τοῦ ἰδίου οἴκου προστῆναι οὐκ οἶδε, πῶς ἐκκλησίας θεοῦ ἐπιμελήσεται;* [*Grut.*]

743. *Stultus superbis invidet felicibus*] Citat ex Publio Zwingerus pag. 1034. additque: *ruinae scil. proximis. prudens autem non invidebit.* [*Idem.*]

745. *Submittit se etc.*] Duplicem interpretationem hic versus admittit, vel, ut Tzschuckius explicat: *Deprimitur quae se effert felicitas*, vel etiam: *Submittit se prius quae se erigit* (i. e. ad altiora tendit) *felicitas.* Utrumque sensum exprimit D. Soteris dictum Matth. XXIII. 12. *Ὅστις δὲ ὑψώσει ἑαυτὸν, ταπεινωθήσεται· καὶ ὅστις ταπεινώσει ἑαυτὸν, ὑψωθήσεται.* [O.]

746. *Suis qui nescit parcere etc.*] E contrario autem, ut supra v. 439. dixit:

Multa ignoscendo fit potens potentior. [*Grut.*]

747. *Summissum imperium etc.*] Sunt verba Gnathonis ad regem, cui parallelum est quod supra dixit v. 408.

Mansueta tutiora sunt, sed serviunt. [*Idem.*]

Summissum, nimis come, facile. [*Tzschuck.*] Vide Oudendorp. ad Lucan. VIII. 157. pag. 609. [O.]

748. *Suspecta semper ornamenta ementibus*] Est Senecae Epist. LXXX. *Mangones, quicquid est quod displiceat, aliquo lenocinio abscondunt. Itaque ementibus ornamenta ipsa suspecta sunt: sive crus alligatum, sive brachium adspiceres, nudari iuberes, et ipsum tibi corpus ostendi.* [*Grut.*]

749. *Suspicio sibi ipsa rivales parit.*] An vult, suspicionem fingere sibi rivales qui non sunt? an, suspicando facere, ut fiant rivales, qui antea non erant? Prius certe verum probat in eo Terentius, quem loquentem facit in Andria Act. IV. Scen. I.

— — — — *Postquam me amare dixi, complacita est tibi.* [*Idem.*]

750. *Suum sequitur lumen etc.*] *Nunquam enim, quamvis obscura, virtus latet, sed mittit sui signa. Quisquis dignus fuerit, vestigiis illam colliget.* sunt verba Senecae de Tranq. Cap. III. [*Idem.*] Schwarzius vertens:

Der Unschuld folgt ihr eignes Licht beständig.

legisse videtur *innocentiam* Non male. Similiter Noster supra v. 92.

Bona fama in tenebris proprium splendorem obtinet. [O.]

Minus placet *innocentiam* ob v. *suum lumen.* [*Casp. Orell.*]

752. *Tacere nescit idem, qui nescit loqui*] Istud auribus magis blandiebatur, quam aliorum (Sartorii) *Tacere quisquis nescit, hic nescit loqui.* Nam MSS. strictius *Tacere qui nescit, nescit loqui.* Sententiam quod attinet, bene Plutar-

chus in Lycurgo p. 52. ὁ εἰδὼς λόγον καὶ καιρὸν οἶδεν, et Theognis v. 614.

Σιγᾶν δ' οὐκ ἐθέλουσι κακοὶ κακὰ λεσχάζοντες,
Οἱ δ' ἀγαθοὶ πάντων μέτρον ἴσασιν ἔχειν.

Vicissim itaque verum est, quod habet Ausonius (VII Sapient. Sent. in Pittaco):

Loqui ignorabit, qui tacere nesciet.

et Plutarchus ap. Stobaeum p. 387. μὴ εἰδὼς σιωπᾶν οὐκ οἶδε διαλέγεσθαι. [*Grut.*]

753. *Taciturnitas stulto homini etc.*] Nam

Stultus, dum silet, sapiens habetur. [O.]

754. *Tam deest avaro etc.*] Hunc senarium (tanquam Publii) citat Seneca in Controvers. (III, 17.) et Quintilianus Lib. VIII. Sens.: *Avarus non magis utitur suis quam alienis: utrisque igitur ex aequo caret.* [*Erasm.*] Manilius Lib. IV. v. 7.

Pauperiorque bonis quisque est, quo plura requirit,
Nec quod habet numerat, tantum quod non habet optat.

ubi vide Scaliger. in Not. [*Grut.*] MS. Frising. ita legit: *Tam deest avaro quod habet, quam misero quod non habet.* [*Sart.*]

755. *Tamdiu discendum est etc.*] Est Senecae Epist. LXXVI. ubi ait: *Tamdiu discendum est quemadmodum vivas, quamdiu vivis.* Nam, ut in eadem epistola loquitur: *quid stultius, quam, quia diu non didiceris, non discere?* [*Grut.*]

756. *Timidus vocat se cautum etc.*] Sens. *Suis quisque vitiis blanditur eaque extenuat mutatis nominibus.* [*Erasm.*]

757. *Tormentum dulce, ubi aequo reprimitur gaudium*] i. e. ubi aequitas coerceri iubet gaudium, veluti de victis. [*Tzschuck.*] Exemplo sit Philippus Macedonum rex, qui teste Iustino Lib. IX. victis Atheniensibus *ita inter tacitam laetitiam et dolorem hostium temperavit, ut neque apud suos exsultasse, neque apud victos insultasse videretur.* [*Grut.*]

758. *Turpis inopia est quae nascitur de gloria*] veluti in luxu, profusione, unde gloriam aliquis captat cum rei familiaris iactura. [*Tzschuck.*] *Gloria* itaque h. l. i. q. iactatio, vana ostentatio, *Grossthun, Sucht zu glänzen*, graece φιλοτιμία. plane ut apud Horatium Lib. I. Epist. XVIII. v. 22.

Gloria quem supra vires et vestit et unguit.

Bene Schwarzius:

Der Mangel schimpft, den Prahleray gebiert.

nec non Weberus:

Wer durch Ehrgeiz sein Gut verliert,
Die Armuth ihm Schande gebiert. [O.]

Bene noster paulo infra v. 761.

Ubi coepit pauper divitem imitari, perit. [*Grut.*]

759. *Turpis est iactura etc.*] Supra v. 65. dixerat:

Aspicere oportet quicquid nolis perdere.

et in contrarium v. 170.

Despicere oportet, quicquid possis perdere. [O.]

760. *Tutissimum est etc.*] Egregie Arrianus Dissert. Epict. (Lib. IV. Cap. I.) Τί οὖν γένηται, οὐκ ἔστιν εὑρεῖν ἀσφαλῆ σύνοδον πιστὸν, ἰσχυρὸν, ἀνεπιβούλευτον; οὕτως (ὁ καλὸς κἀγαθὸς) ἐφίστησι καὶ ἐννοεῖ, ὅτι, ἐὰν τῷ θεῷ προσκατατάξῃ ἑαυτὸν, διελεύσεται ἀσφαλῶς. et Prosper Epigr. 75.

Converti namque ad dominum tutissima vita est
Et pacem offensi quaerere sola salus.

Qui terret, parcet; qui percutit, ipse medetur.
Vivere vis? illi subdere, quem metuis. [Grut.]
Christiana, ni fallor, sententia, et in Mimo Publiano vix quaerenda. [O.]

761. *Ubi coepit pauper etc.*] Idem docet Phaeder Fab. XXIV. Lib. I. de rana rupta et bove, ubi ait:
Inops potentem dum vult imitari, perit.
Sic et Martialis solito facetiarum sale perstringit Otacilium Torquati imitatorem Lib. X. Epigr. 79.
Ad lapidem Torquatus habet praetoria quartum:
Ad quartum breve rus emit Otacilius.
Torquatus nitidas vario de marmore thermas
Exstruxit: cucumam fecit Otacilius.
Disposuit Daphnona suo Torquatus in agro:
Castaneas centum sevit Otacilius.
Consul Torquatus, vici fuit ille magister,
Nec minor in tanto visus honore sibi.
Grandis ut exiguam bos ranam ruperat olim,
Sic, puto, Torquatus rumpet Otacilium. [Grut.]
Cod. Frising. *Ubi coepit divitem pauper* etc. [O.]

763. *Ubi fata peccant etc.*] Similiter Velleius Paterc. Lib. II. Cap. LVII. *Sed profecto ineluctabilis fatorum vis, cuiuscunque fortunam mutare constituit, consilia corrumpit*, (ubi vide Ruhnkenium nubem exemplorum citantem p. 265 seq. O.) Inde Silius quoque Flaminium consulem ut fatorum vi mente captum considerat Lib. V. v. 53 seq.
Ocyus interea propelli signa iubebat
Excussus consul fatorum turbine mentem. [Grut.]

766. *Ubi omnis vita metus est etc.*] Supra v. 185.
Eheu quam miserum est fieri metuendo senem. [Idem.]

767. *Ubi peccat aetas maior etc.*] Egregius est Iuvenalis in exsequenda hac materia Sat. XIV.
Si damnosa senem iuvat alea, ludit et heres
Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo. [Idem.]

768. *Ubi timetur etc.*] Supra v. 723.
Si nil velis timere, metuas omnia. [Idem.]

769. *Velox consilium sequitur poenitentia*] Ita Lucianus in Antholog. Lib. I. Cap. 88.
Ἡ βραδύπους βουλὴ μέγ' ἀμείνων, ἡ δὲ ταχεῖα
Αἰὲν ἐφελκομένην τὴν μετάνοιαν ἔχει.
et noster supra v. 6.
Ad poenitendum properat, cito qui iudicat. [Idem.]

770. *Verbum omne refert etc.*] Hoc modo Tiberius *Zenonem quendam exquisitius sermocinantem, quum interrogasset, quaenam illa tam molesta dialectus esset, et ille respondisset Doridem, relegavit Cinariam, existimans exprobratum sibi veterem secessum, quod Dorice Rhodii loquantur*, ut refert Suetonius in eius vita Cap. LVI. Ceterum apposite in nostram sententiam Apuleius (in Apolog.) p. 369. *Multa sunt quae sola prolata calumniae esse possint videri obnoxia. Quaevis oratio insimulari potest, si ea, quae ex prioribus nexa sunt, principio suo defraudentur; si quaedam ex ordine scriptorum ad libidinem supprimantur; si, quae simulationis causa dicta sunt, adseverantis pronunciatione quam exprobrantis legantur.* [Grut.]

771. *Verum est, quod pro salute fit, mendacium*] *Verum* Gruterus explicat *iustum, aequum*, ut apud Horatium Lib. I. Epist. VII. v. ult.

Metiri se quemque suo modulo et pede verum est.
et Epist. XII. v. 25.
— — — — nil Grosphus nisi verum orabit et aequum.
Possis tamen et proprio sensu interpretari: *Verum, non mendacium existimandum est, gilt so viel als Wahrheit.* Schwarzius:
Die Lüge, die was Gutes wirkt, ist Wahrheit. [O.]
Ita Diphilus apud Stob. pag. 237.
Ὑπολαμβάνω τὸ ψεῦδος ἐπὶ σωτηρίᾳ
Λεγόμενον οὐδὲν περιποιεῖσθαι δυσχερές.
Huc spectat et Democriti praeceptum: Ἀληθομυθέειν χρεὼν, ὅπου λώϊον. [*Grut.*]

772. *Verum cur non audimus? etc.*] Ita Seneca Epist. XXIX. de Marcellino scribit: *Raro ad nos venit, non alia ex causa, quam quia verum audire timet· a quo periculo iam abest: nulli enim nisi audituro dicendum est.* [*Idem.*]

773. *Veterem ferendo iniuriam invites novam*] Et hic refertur ab A. Gellio (Lib. XVII. Cap. 14.). Sens. *Si sinas impunitum peccatum, facis, ut iterum libeat peccare.* [*Erasm.*] Ita etiam laudat hunc Publianum Mimum Macrobius Lib. II. Cap. VII. Gellius (l. l.) alio sensu: *Veterem ferendo iniuriam vites novam,* (ubi tamen I. Fr. Gronovius revocavit *invites.* O.) Argute sane, neque sperno. Retineo tamen priorem, quia MS. Frising. aperte (nec non Ioannes Sarisberiens. in Policrat. Lib. VIII. Cap. 14.): *Veterem ferendo iniuriam invitas novam.* [*Sartor.*] Οὐ γὰρ δυσωπεῖ τοὺς πονηροὺς ἐπιείκεια, loquitur Gregor. Naz. Ep. 77. [*Grut.*]

774. *Veterem ferendo iniuriam vites novam*] Hic versus, ut vidimus, estvarians tantum lectio sententiae proxime antecedentis, fortassis sic interpolata a Glossatore aliquo Christiano. Favere tamen videtur huic lectioni v. 439.
Multa ignoscendo fit potens potentior. [O.]

775. *Viri boni est etc.*] Sapientis esse docet Apuleius (in Apolog. p. 276.) *non solum non inferre, sed ne referre quidem iniuriam. Non enim, ait, eam contumeliam putat, quam improbus faciat, sed eam non putat, quam patientia firmiter toleret.* [*Grut.*]

776. *Virum bonum natura, non ordo facit*] *Ordo* i. e. dignitas, conditio. [*Tzschuck.*] ut in loco Plinii Lib. IX. Epist. XIII. *Non interest, cuius ordinis quis sit, sed quam causam habeat.* quae verba apposite citat Gruterus. Conf. intpp. ad Sueton. de illustr. Grammat. Cap. XVIII. pag. 380. Tom. II. ed. Burmann. Huc spectant etiam ab eodem Grutero allata verba Horatii Epod. IV. v. 5.
Licet superbus ambules pecuniis,
Fortuna non mutat genus. [O.]

777. *Virtute quod non possis etc.*] Verba hominis abiecti et improbi in Mimo Publiano. [O.]

778. *Virtuti amorem etc.*] Egregie in hanc sententiam Cicero de Amicit. *Nihil esse amabilius virtute,* affirmat, *nihil quod magis alliciat ad diligendum, quippe cum propter virtutem et probitatem eos etiam, quos nunquam vidimus, quodammodo diligamus.* His addi possunt ea, quae habet Casaubonus ad Persium Sat. III. v. 38. pag. 254. ad illa:
Virtutem videant, intabescantque relicta. [*Grut.*]

780. *Virtutis spolia etc.*] Hoc faciebant Miltiadis tropaea, quae Themistoclem ad similia, immo maiora audenda excitabant. *Virtutis spolia* itaque i. q. *praemia* (inprimis honos et gloria) virtute acquisita. [O.]

781. *Virtutis vultus etc.*] I. e. vultus intrepidus, fortis. [*Tzschuck.*] Talem vultum exserit Alexander M. conflicturus cum Dario, teste Curtio IV. Cap. XIII. *Haud alias tam alacrem viderunt regem et vultu eius interrito certam spem victoriae augurabantur.* [*Gruter.*] Non itaque audiendus Sartorius corrigens: *Virtutis vulnus etc.* [O.]

782. *Vis omnibus esse notus, noris neminem*] I. e. fugias hominum consortium, *sey ein Sonderling.* [O.] Exemplo sit Timon μισάνθρωπος, nemini conversans, omnibus notus. [*Gruter.*] Idem Gruterus in Notis posthumis pag. 501. hunc versum tanquam trochaicum citat hoc modo:

Omnibus vis esse notus, neminem ipse noveris. [O.]

783. *Vitium fuit, nunc mos est assentatio*] Godofr. vitiose: *Vitium prius fuit observatio, nunc mos est.* Cod. Frising. *Vitium prius fuit assentatio, nunc est amor.* At nos sequimur hic lectionem Scaligeri. A cuius mente est, quod ait Seneca Epist. XXXVIII. *Desinit esse remedio locus, ubi, quae fuerant vitia, mores sunt.* [*Sartor.*]

784. *Vix quisquam transit in bonum, nisi ex malo*] Imo, si audiamus Senecam, nemo. Sic enim ille Epist. L. *Ad neminem ante mens bona venit, quam mala.* et I. de Clem. Cap. VI. *Etiamsi quis tam bene purgavit animum, ut nihil obturbare eum amplius possit ac fallere, ad innocentiam tamen peccando pervenit.* Eodem pertinet Heracliti illud, quod laudat Clemens Alexandrinus Strom. VI. pag. 448. revera necesse esse dicens

Πολλὰ πλανηθῆναι διζήμενον ἔμμεναι ἐσθλόν. [*Gruter.*]

785. *Ulcera animi etc.*] Eodem tendit Cicero de Legg. Lib. I. Cap. XIX. *An corporis pravitates, si erunt perinsignes, habebunt aliquid offensionis, animi deformitas non habebit? cuius turpitudo ex ipsis vitiis facillime perspici potest.* [*Idem.*]

786. *Unus dies poenam affert, multi cogitant*] *Cogitant* Salmasius ad Trebell. Pollion. Gallien. Cap. XIV. Hist. August. Tom. II. pag. 225. ed. Lugd. Bat. exponit cogunt vel congregant, συνάγουσι, ut sit metaphora ducta a nubibus, quas multi dies cogunt i. e. congregant coelo (vide quae observavimus ad Arnob. Lib. I. Cap. II. Tom. I. pag. 281.), unus facit, ut effundantur in pluvias vel grandines. Tzschuckius autem rectius, ut puto, *cogitant* interpretatur *minantur, portendunt*, ut nos dicimus *im Schilde führen*, citans Virgil. Georg. I. 462. — — — — *quid cogitet humidus Auster.* Sensus itaque: *Poena dudum parata et instructa uno tandem impetu erumpit.* Ceterum versum hunc pessime reddidit Schwarzius:

Viel' denken nur, einst kommt ein Tag der Strafe.

supplens ad v. *cogitant homines*, non *dies*. Cod. Frising. *quam multi cogitant.* [O.]

787. *Voluntas quem pudicum, non corpus facit*] Nullo lepore, nullo modulo prius: *Voluntas pudicum, non corpus facit.* [*Gruter.*] Sartorius e Cod. Frising. *Voluptas non pudicum corpus facit*, corruptissime. *quem* pro aliquem, ut saepissime. Itaque frustra sunt, quae ad hunc versum argutatur Tzschuckius. Sensus apertus: *Voluntas* (non peccandi) *pudicum aliquem facit, non corpus* (vel languidum vel senectute defessum). Bene Schwarzius: *Der Körper nicht, der Wille nur macht schamhaft.* [O.] *quem* pro *aliquem* absolute positum offendit. Malim:

Voluntas impudicum, non corpus facit.

corpus scil. vi coactum ad stuprum patiendum, ut in Lucretia. [*Casp. Orell.*]

788. *Voluptas e difficili data etc.*] i. e. labore, periculo parta. [*Tzschuck.*]

789. *Voluptas tacita mage metus quam gaudium est*] nempe, agitat, angit animum, ne quis suspicetur, ne quid emicet. [*Tzschuck.*]

791. *Vultu an natura sis sapiens etc.*] Nam, ut habet Horatius Lib. I. Epist. XIX. 14.

Quid si quis vultu torvo ferus et pede nudo
Exiguaeque togae simulet textore Catonem,
Virtutemne repraesentet moresque Catonis?

et ut Martial. Lib. VIII. Epigr. 58.

Refert sis bonus, an velis videri. [*Gruter.*]

AD

VERSUS TROCHAICOS.

792. *Aleator quanto in arte est melior, tanto est nequior*] Ita Godofred. et H. Steph. Cod. Frising.: *Aleator quantum in arte est, tanto est nequior.* Scaliger: *Aleator quantum in aleae arte est, tanto est nequior.* Pro *melior* Codd. nonnulli a Grutero collati habent *doctior.* [O.] Sens. *In mala re quo magis excellis, tanto sceleratior es; veluti miles; quo melior est, hoc vir nequior.* [*Erasm.*] Hinc Diogenes Cynicus πρὸς τὸ κοτταβίζον ἐν τῷ βαλανείῳ μειράκιον φησίν· Ὅσῳ βέλτιον, τοσούτῳ χεῖρον, ut narrat Laertius in eius vita (Lib. VI. §. 46.). Huc pertinet etiam egregia admonitio Plutarchi Opp. Moral. pag. 530. Αὖθις ἕτερος παρακαλῶν κυβεύειν παρὰ πότον· μὴ δυσωπηθῇς, μηδὲ δείσῃς σκωπτόμενος· ἀλλ' ὥσπερ Ξενοφάνης, Λάσου τοῦ Ἑρμιονέως μὴ βουλόμενον αὐτῷ συγκυβεύειν δειλὸν ἀποκαλοῦντος, ὡμολόγει καὶ πάνυ δειλὸς εἶναι πρὸς τὰ αἰσχρὰ καὶ ἄτολμος. [*Gruter.*]. Schwarzius vertit:

Je mehr Geschick der Spieler hat, je schlechter ist er.

Melius Weberus:

Ein Würfelspieler je voller List,
Je grössrer Bub' und Schalk er ist. [O.]

793. *Benevoli coniunctio animi etc.*] Ita nostri Codices. Male Gruterus inter Iambicos posuit (v. 83.):

Benevolus animus maxima est cognatio.

et iterum (v. 128.):

Coniunctio animi maxima est cognatio. [*Bentlei.*]

Sic iam Sartorius edidit. [O.]

794. *Conscientia animi nullas invenit linguae preces*] Gruterus edidit:

Conscientia amici nullius linguae invenit preces.

sed neque sententia, neque numeri sibi constant. Cod. Trin. *Nullus invenit linguae.* Repone:

Conscientia animi nullas invenit linguae preces.

Phaedrus Lib. III. Prolog.:

Stulte nudabit animi conscientiam.

Sensus fere idem est, qui supra (v. 487.):

Nocens precatur, innocens irascitur. [*Bentlei.*]

Sens. *Mens recti conscia preces respuit.* [*Tzschuck.*]

795. *Cui quid vindicandum est, omnis optima est occasio*] Ante excudebatur sine omni bona gratia, imo sine sensu:

Quicquid vindicandum est, optima occasio est. [*Grut.*]

Idem in Notis posthumis legendum censet: *Cui quid vindicandum, ei o. o. e.* [O.] Tan. Faber dedit: *optima illi occasio est,* i. e. quamlibet occasionem captat. [*Tzschuck.*]

796. *Contumeliam nec ingenuus fert, nec fortis facit*] Ita cogendus versus in pedes. Nam, qui inde fecerunt: *Contumeliam non fortis pote, nec ingenuus pati,* proxime quidem accesserunt ad libros quosdam scriptos, (Codicem scil. Frising. sequente Tan. Fabro. O.) sed longius ab illis membranis, in quibus erat expressum: *Contumeliam nec facere fortis potest, nec ingenuus pati:* et elegans est oppositio *pati* ac *facere.* [*Gruter.*] Sic ap. Senecam Praefat. VII. Contr. *Albucius non tulit contumeliam* — — — — *homo summae probitatis, qui nec facere iniuriam, nec pati sciret.* quem locum apposite citat idem Gruterus in Notis posthum. [O.]

797. *Cuius mortem amici exspectant, vitam cives oderunt*] Ita MS. Non absurde quidem, qui edidere: *Cuius mortem expetunt cives, vitam odere.* (Vid. supra v. 155.) Sed nisi prorsus allucinor, nostro isti aliquid subest vernilius. [*Gruter.*] Sic et Erasmus exponens: *Eius vita sit* (oportet) *invisa, cuius amici mortem optant. Oderunt* penultima correpta, ut passim et supra (v. 157.) [*Tzschuck.*]

798. *Difficile est dolori etc.*] Unde Seneca in Troad.: *Levis est dolor, qui capere consilium potest.* [*Grut.*]

799. *Dixeris maledicta cuncta etc.*] Sens. *Ingratitudo omnia vitia in se complectitur. Nullum igitur convitium dici potest contumeliosius.* [*Erasm.*] Sic apud Persas ingrati poenis gravissimis affligebantur, teste Xenophonte Cyropaed. Lib. I. Cap. II. *Nec non Athenis adversus ingratos actio constituta est,* ut tradit Valerius Max. Lib. V. Cap. III. [*Accar.*]

ingratum cum hominem dixeris] Ita Benleius. Antea: *cum hominem ingratum dixeris.* [O.] Quia hic caesura loco suo est mota, possit quidem legi: *cum ingratum hominem.* Sed hoc non est necessarium. [*Anton.*]

800. *Duplex fit bonitas, si simul accesserit celeritas*] Lego:

Fit duplex bonitas, simulatque accesserit celeritas.

Sic et poeta in Antholog. Lib. I. Cap. XIII.

Ὠκεῖαι χάριτες γλυκερώτεραι· ἢν δὲ βραδύνῃ,
Πᾶσα χάρις κενεὴ, μηδὲ λέγοιτο χάρις. [*Gruter.*]

Supra v. 326.

Inopi beneficium bis dat, qui dat celeriter. [O.]

801. *Esse necesse est vitia minima maximorum maxima*]. Sensus: *Magnorum hominum vitia parva notantur diligentius et augentur,* uti quidem hunc versum exposuit Gruterus citans inter alia verba Dionis Chrysostomi Orat. de Regno I. p. 9. *Πολὺ δὲ μείζων καὶ φανερωτέρα πᾶσιν ἡ παρὰ τοῦ ἄρχοντος πλημμέλεια.* Nec abludit D. Salvatoris effatum

Matth. V, 14. Οὐ δύναται πόλις κρυβῆναι ἐπάνω ὄρους κειμένη. Idem tamen Gruterus in schedis ait esse:

Necesse est minima esse maximorum vitia.

ex qua lectione (quam in notis praetulit Schwarzius exponens:

Der Grossen Fehler sieht man durchs Verkleinrungsglas.)

contrarius plane sensus exit, nempe: Vitia potentium, licet sint maxima, excusantur et elevantur a metuentibus vel adulantibus. Idem tamen Schwarzius vulgatam lectionem sic reddidit:

Die kleinen Fehler sind die grössten bey den Grossen. [O.]

802. *Est beneficium eo carere etc.*] Cassiodorus Lib. I. Ep. XXXVIII. *Non est beneficium, quod praestatur invitis: nec cuiquam videtur utile, quod adversa voluntate conceditur.* et rursus VI. Ep. I. *Alioquin onera essent potius, non honores, si supra vires aliquid imponeremus invitis.* [*Gruter.*]

803. *Est honesta turpitudo pro bona causa mori*] Sens. *Gloriosa est infamia vitam impendere iustitiae.* [*Erasm.*] Praeclara et memoranda Socratis illa vox, *qui, admoto iam labris poculo, uxori Xantippae inter fletum et lamentationem vociferanti, innocentem eum perimi, Quid ergo, inquit, nocenti mihi mori satius esse duxisti?* ut refert Valerius Max. VIII. 2. extern. 7. [*Gruter.*] *Mori* itaque h. l., ut videmus ex v. *turpitudo*, i. q. *capitis supplicium pati*, quod habebat notam infamiae. Non male Weberus:

Wer in einer guten Sach' unten liegt,
Ein ehrlich Unehr derselbe kriegt. [O.]

804. *Expetit poenas iratus etc.*] Sensus apertus, quem miror non intellexisse Schwarzium. Iratus, dum iniurias ulcisci aliosque studet poena afficere, a se ipso exigit vel sibi ipsi poenam infligit. [O.]

805. *Exul is, cui nusquam domus est, sine sepulchro est mortuus*] MS. Frising. vitiose: *Exsuli ubi nusquam domus est, sine sepulchro est mortuus.* Godofredus ita legit: *Exsuli ubi nusquam domus est, sine sepulchro est tanquam mortuus.* H. Stephanus (e coniectura Erasmi): *Cui nusquam domus est, sine sepulchro est mortuus* (ut habuimus supra v. 156.). [*Sartor.*] Idem Sartorius ed. *Exulis* una voce. Male. [O.] Sensus: *Exul, qui nusquam habet domum, perinde est ut mortuus insepultus, aut cui non est sepulchrum.* [*Erasm.*] Comparat itaque Publius exulem domo carentem cum mortuis sepulchro carentibus, quorum manes sive umbras arceri a campis Elysiis et in ripis Stygiae paludis 100 annos vagari constans erat veterum opinio Virgilius Aen. VI, 326. seqq.:

Portitor ille Charon; hi, quos vehit unda, sepulti.
Nec ripas datur horrendas et rauca fluenta
Transportare prius, quam sedibus ossa quierunt.
Centum errant annos, volitantque haec litora circum:
Tum demum admissi stagna exoptata revisunt.

ubi vide Heyn. V. S. p. 777. Tom. II. ed. noviss. [O.]

806. *Felix est etc.*] Est Senecae in fine Excerptorum p. 425. et Epist. 114. §. 14. Idem de Brev. vitae Cap. VI. de Livio Druso agens scribit: *Supervacaneum est commemorare plures: qui cum aliis felicissimi viderentur, ipsi in se verum testimonium dixerunt, perosi omnem actum annorum suorum.* [*Gruter.*]

807. *Feminae tutelam gerere desperāre est otium*] Scaliger et Gruterus:

Feminarum curam gerere, desperare est otium.

Sed Codices nostri omnes *feminae*, tres *naturam* pro *curam*. Repone:

Feminae tutelam gerere etc. [*Bentlei.*]

Et haec quoque argutissima sententia vulgo corrupta, manca et male intellecta proponebatur:

Feminae curam gerere desperare odium est. [*Scalig.*]

Zwingerus legit:

Feminam maturam regere desperare est omnino.

ut *regere* sit i. q. corrigere. Vide Artzen. ad Dionys. Caton. Distich. III, 17. pag. 229. Erasmus autem:

Feminae naturam regere desperare est omnium.

explicans: *Omnes desperant se posse regere mulieris ingenium.* Sed optime habet *desperare est otium* (quod debetur Ios. Scaligero), hoc sensu: *perinde est, ac si quis otii spem in perpetuum abiecerit et se infinito labori addixerit*, i. e. *exitum laboris et finem non inveniet*, ut bene explicat Tzschuckius. Nec male Schwarzius:

Wer Weiber hüten will, ist seiner Ruhe Gram. [O.]

In eandem sententiam Menander apud Stobaeum Serm. Nuptialia Praecepta pag. 660. ed. Wechel.:

Ὅστις δὲ μοχλοῖς καὶ διὰ σφραγισμάτων
Σώζει δάμαρτα, κἂν ἀνὴρ δοκῶν σοφός,
Μάταιος ἐστὶ καὶ φρονῶν οὐδὲν φρονεῖ.

Composite quoque cum nave comparat mulierem, Plautus Poen. Act. I. Scen. II.

Negotii sibi qui volet vim parare,
Navem et mulierem, haec duo comparato.
Nam nullae magis res duae plus negotii
Habent: eas forte si occoeperis exornare,
Neque unquam satis hae duae res ornantur,
Neque eis ulla ornandi satis satietas est. [*Gruter.*]

808. *Fortior est, qui cupiditates suas etc.*] Ita Democritus apud Stobaeum (et in Opusc. Vet. Graec. Sententios. Tom. I. pag. 96. Fragm. 30.): *Ἀνδρεῖος οὐχ ὁ τῶν πολεμίων κρατῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ ὁ τῶν ἡδονῶν κρείσσων.* Conferendum et Regis Salomonis Apophthegma Proverb. XVI, 32. *Ὁ κρατῶν ὀργῆς κρείσσων τοῦ καταλαμβανομένου πόλιν.* Cod. Frising. et Godofredus:

Putandus est recte fortior, qui cupiditates quam qui hostes subiicit. [O.]

809. *Frustra cum ad senectutem est ventum etc.*] Nam, ut canit Tibullus Lib. I. Eleg.

Heu sero revocatur amor, seroque iuventa,
Quum vetus infecit cana senecta caput.

Conf. Theognis v. 1002. et seqq. et 1066. sqq. [*Gruter.*] *est ventum* restituit Bentleius metri causa. Antea *ventum est.* [O.]

810. *Fulmen est etc.*] Sens. *Potens cum irascitur, fulminat, non irascitur.* [*Erasm.*] *Fulmen* ob repentinum ictum et subitum, vel quia ferit, antequam apparet. Hinc de Medea Euripides Med. v. 94.

— — — — — — *οὐδὲ παύσεται*
Χόλου, σάφ' οἶδα, πρὶν κατασκῆψαί τινα. [*Grut.*]

811. *Habet in adversis auxilia*] Sens. *Qui, cum*

feliciter agit, aliis subvenit, huic alii subveniunt in rebus adversis. [*Erasm.*] Sic supra v. 91.

Bona comparat praesidia misericordia.

et infra v. 816.

Homo, qui in homine calamitoso est misericors, meminit sui. [*Grut.*]

Huc pertinent et Martialis versus elegantissimi:

Callidus effracta nummos fur auferet arca,
Prosternet patrios impia flamma Lares.
— — — — — — — — — — —
— — — — — — — — — — —
Extra fortunam est, quidquid donatur amicis:
Quas dederis, solas semper habebis opes. [*Accar.*]

812. *Heu dolor quam miser est, qui in tormento vocem non habet*] In tormentis verum exquiritur. At quidam ita torquentur, ut non ausint verum dicere, scientes quid velit taceri, qui torquet. [*Erasm.*] *In tormentis* legunt Scaliger et Gruterus. Melius nostri Codd. omnes: *in tormento.* [*Bentlei.*] Sic et MS. Frising. Erasmus, Stephanus, Sartorius. Anton. caesuram neglectam restituit legendo: *vocem qui in tormento non habet.* Schwarzius in versione sua omisit hanc sententiam. Kremsier reddidit:

Ha! Mitleidswerther, welche Pein,
Du liegst auf Foltern und musst schweigen.

Nec male Weberus:

Dies ist die allergrösste Pein,
Die ohne Klag' und Stimm' muss seyn.

Gruterus apposite citat exemplum Phocensium captorum a Philippo apud Iustin. Lib. VIII. Cap. V. *Tacitus moeror et luctus, verentibus, ne ipsae lacrimae pro contumacia haberentur. Crescit dissimulatione ipsa dolor, hoc altius demissus, quo minus profiteri licet.* Sed propius ad nostrum Seneca Rhetor Lib. IV. Controv. I. *Nulla flendi maior est causa quam flere non posse.* Intelligenda itaque h. l. tormenta animi, non corporis, quae vocem etiam invitis exprimunt. [O.]

813. *Heu quam miserum est discere servire etc.*] Sic apud Euripidem in Hecuba v. 56.

Φεῦ, ὦ μῆτερ, ἥτις ἐκ τυραννικῶν δόμων
Δούλειον ἦμαρ εἶδες, ὡς πράσσεις κακῶς,
Ὅσον περ εὖ ποτ'.

et apud Sallustium Cap. LXII. Iugurtha reputat secum, *quam gravis casus in servitium ex regno foret.* [*Gruter.*] Sartor. *ubi sis doctus dominari.* [O.]

814. *Heu quam miserum est ab eo laedi, de quo non ausis queri*] *Ausis* ediderunt Gruterus et Bentleius ex Codd. Antea *possis.* Pro *ab eo* Godofred. *ab illo.* [O.] Sensus: *Durum est laedi vel ab amico vel a potente: quod queri de altero non est honestum, de altero non est tutum.* [*Erasm.*]

815. *Heu quam multa poenitenda incurrunt viventes diu*] Ita Gruterus. Erasmus ed.:

Heu quam poenitenda incurrunt homines vivendo diu.

exponens: *In longa vita multa accidunt, quae nolis.* Sartorius: *Heu quam multa poenitenda incurrunt vivendo diu.*

Huc respiciens Cicero I. Tusc. Cap. XXXIX. recte Callima-

chum dixisse ait: *Multo saepius lacrymasse Priamum quam Troilum.* Idem de Senectute Cap. VIII. citat illud Caecilii:

Aedepol senectus, si nihil quidquam aliud vitii
Apportes tecum, cum advenis, unum id sat est,
Quod diu vivendo multa, quae non volt, videt. [*Grut.*]

816. *Homo, qui in homine calamitoso etc.*] Sens. *Intelligit enim sibi posse accidere, ut sit opus auxilio.* [*Erasm.*] Vide supra ad v. 811. [O.]

817. *Homo semper aliud fert in se etc.*] Sens. *Nemo non est dissimulator.* [*Erasm.*] Bene itaque apud Euripidem in Hippol. v. 925. Theseus optat, ut extrinsecus cognosci possit, quid intus homines cogitent. Verba eius haec sunt:

Φεῦ, χρῆν βροτοῖσι τῶν φίλων τεκμήριον
Σαφές τι κεῖσθαι, καὶ διάγνωσιν φρενῶν,
Ὅστις τ' ἀληθής ἐστιν, ὅς τε μὴ φίλος·
Δισσὰς δὲ φωνὰς πάντας ἀνθρώπους ἔχειν,
Τὴν μὲν δικαίαν, τὴν δ' ὅπως ἐτύγχανεν,
Ὡς ἡ φρονοῦσα τἄδικ' ἐξηλέγχετο
Πρὸς τῆς δικαίας, κοὐκ ἂν ἠπατώμεθα. [*Gruter.*]

818. *Improbe Neptunum accusat etc.*] Referunt ad Publium Gellius et Macrob. ll. cc. qui sic disiungunt:

— — — — — — — — *Improbe*
Neptunum accusat, qui iterum naufragium facit. [O.]

Sens.: *Qui semel expertus iterum se exponit periculo, imprudenter accusat fortunam.* [*Erasm.*] Hinc Plautus in Mostell. II. 2.

Habeo, Neptune, gratiam magnam tibi,
Quam me amisisti a te vix vivom modo.
Verum si posthac me pedem latum modo
Scies imposuisse in undam, haut causa ilico est,
Quod nunc voluisti facere quin faceres mihi.

Ad secundas nuptias accommodat poeta in Antholog. Lib. I. Cap. XV. Epigr. 1:

Εἴ τις ἅπαξ γήμας πάλι δεύτερα λέκτρα διώκει,
Ναυηγὸς πλώει δὶς βυθὸν ἀργαλέον.

et apud Com. gr. pag. 192. negatur esse viri prudentis bis idem offendere:

Δὶς ἐξαμαρτεῖν ταὐτὸν οὐκ ἀνδρὸς σοφοῦ. [*Gruter.*]

819. *In malis sperare bene etc.*] Ita Bentleius. Gruterus et reliqui *sperare bonum.* [O.] Sens. *Bona conscientia facit, ut in malis speremus superos auxiliaturos.* [*Erasm.*] Sic et Siracides XIV. 2. talem hominem beatum praedicat: *Μακάριος, οὗ οὐ κατέγνω ἡ ψυχὴ αὐτοῦ, καὶ ὃς οὐκ ἔπεσεν ἀπὸ τῆς ἐλπίδος αὐτοῦ τῆς ἐπὶ Κύριον.* [*Gruter.*]

820. *Inter amicos iudicatur etc.*] Quia scil. timemus iudicio licet iustissimo amicos offendere, quinimo prorsus abrumpere amicitiae vincula. Hinc etiam apud Aristophan. in Ran. v. 1444. inter Euripidem et Aeschylum non lubenter iudicat Bacchus dicens:

Ἄνδρες φίλοι, κἀγὼ μὲν αὐτοὺς οὐ κρινῶ·
Οὐ γὰρ δι' ἔχθρας οὐδετέρῳ γενήσομαι·
Τὸν μὲν γὰρ ἡγοῦμαι σοφὸν, τῷ δ' ἥδομαι. [*Idem.*]

821. *Ipsae amicos res opimae pariunt etc.*] Ita Scaliger, Sartorius et Gruterus: Erasmus autem et Godofredus:

Amicos res opimae parant, adversae probant,

ut sit versus iambicus. Erasmus haec annotat: *Hoc carmen depravatum est. Forte sic legendum:*

Amicum opimae res parant, tristes probant.

Secunda fortuna conciliat amicos, adversa explorat, ficti sint an veri. Equidem nihil video mutandum, utro modo legamus. [O.] Eandem sententiam exprimit Seneca Agamemn. v. 934.

Poscunt fidem secunda, at adversa exigunt. [*Accar.*]

Sic etiam Siracides VI, 10. *Καὶ ἔστι φίλος κοινωνὸς τραπεζῶν, καὶ οὐ μὴ παραμείνῃ ἐν ἡμέρᾳ θλίψεώς σου.* [*Gruter.*]

822. *Iracundiam qui vincit, hostem superat maximum*] Ita Bentleius. Gruterus *superat hostem.* [O.]

823. *Irritare est calamitatem etc.*] Forte *invitare*, ut Zwinger. pag. 1426. qui tanquam incerti citat: *Infirmare est calamitatem etc.* Sic autem fecit Niobe, de qua Ovidius VI. Met. v. 155.

— — — — — — et felicissima matrum
Dicta foret Niobe, si non sibi visa fuisset.

Sic Sylla dictus *Felix*, quamvis miser: de quo Plinius VII. Hist. Nat. Cap. XLIII. *Unus hominum ad hoc aevi Felicis sibi cognomen asseruit L. Sylla, civili nempe sanguine ac patriae oppugnatione adoptatus etc.* quam misere autem mortuus sit, describit idem. De huius autem sententiae sensu Lib. VII. Cap. XL. per totum agit. [*Gruter.*] At *irritare*, quod confirmat etiam Cod. Fris., i. e. ad iram quasi provocare, *παροξύνειν*, multo est significantius. quod bene expressit in versione sua Weberus:

Wer sich glückselig hält und heisst,
Zu sich das Unglück selbsten reisst. [O.]

824. *Ita amicum habeas etc.*] Gruterus et reliqui:

Ita habeas amicum, posse fieri ut inimicum putes.

(quem trochaicum vitiosum Tan. Faber correxit: *in. posse fieri ut.* O.) Laudatur hic versus ut Publii Syri Gellio XVII, 14. Macrobio Saturn. II, 7. Ioanni Sarisberiensi VIII, 14. Omnes tamen alio ordine *Ita amicum habeas.* Porro Gellius et Codex Macrobii vetus habent *hunc* post *fieri.* Utrumque firmant Codices nostri Sententiarum. Repone e Cod. Caiano:

Ita amicum habeas, posse ut facile fieri hunc inimicum putes. [*Bentlei.*]

Sens. *Sic ama tanquam, osurus, ita confidas amico, ut, si fiat inimicus, non multum possit laedere.* Gellius (Lib. I. Cap. III. sic citans: *Hac fini ames, tanquam forte fortuna osurus.* O.) hanc sententiam Chiloni, Cicero in Laelio Bianti attribuit. [*Erasm.*] Quo tendunt quoque illa Sophoclis in Aiace v. 747.

— — — — — — ἔς τε τὸν φίλον
Τοσαῦθ᾽ ὑπουργῶν ὠφελεῖν βουλήσομαι,
Ὡς αἰὲν οὐ μενοῦντα· τοῖς πολλοῖσι γὰρ
Βροτῶν ἄπιστός ἐσθ᾽ ἑταιρίας λιμήν. [*Grut.*]

825. *Mage cavenda est amicorum invidia etc.*] Sic Cleobulus (apud Stobaeum pag. 409.) rogatus, quid vitandum maxime, dixit: *τῶν μὲν φίλων τὸν φθόνον, τῶν δὲ ἐχθρῶν τὴν ἐπιβουλήν.* Sic de Aiace, qui tot labores pro Graecis sustinuerat, poeta in Antholog. Lib. III. Cap. XIV. Ep. 2.

Αἴας ἐν Τροίῃ μετὰ μυρίον εὖχος ἀέθλων
Μέμφεται οὐκ ἐχθροῖς κείμενος, ἀλλὰ φίλοις. [*Idem.*]

826. *Maximo cum periculo custoditur etc.*] Sens.

Difficile est servare, quod expetunt multi: veluti pecuniam, aut formosam uxorem. [*Erasm.*] Godofred. Erasm. Scaliger: *Magno cum periculo.* [*Sartor.*] Ovid. III. de Arte:

Quidquid servatur, cupimus magis, ipsaque furem
Praeda vocat. [*Gruter.*]

827. *Minime amicus sum, fortunae particeps nisi sim tuae*] Gruterus scribendum coniicit:

Minime amicus est, fortunae qui non particeps tuae est.

Sed nihil mutandum. Hic scil. versus in Mimo Publiano deperdito videtur fuisse allocutio alterius ad alterum. *Τὰ τῶν φίλων κοινὰ*, et *Ἰσότης φιλότης, φιλότης ἰσότης*, nobilitatissima Pythagoreorum effata. Conf. Martial. Lib. II. Epigr. 43. [O.]

828. *Miserum nescire propriam etc.*] Vide supra ad v. 425. [O.]

829. *Mors infanti felix, iuveni acerba, nimis sera seni*] *Felix infanti*, quia nihil mali expertus est; *iuveni acerba*, quia spes omnia illi pollicebantur; *sera seni*, quia videt se a spe deceptum. Hinc Seneca ad Neronem, cum sciret se ipsi suspectum: *Quomodo in militia aut via fessus adminiculum orarem; ita in hoc itinere vitae, senex et levissimis quoque curis impar, cum opes meas ultra sustinere non possim, praesidum peto.* ut narrat Tacitus Annal. XIV. Cap. LIV. [*Gruter.*] Schwarzius legendum censet *sera nunquam seni*, quia in senibus plerisque, quamvis decrepitis et pressis annorum onere, tamen animadvertimus vitae longioris cupiditatem, quod docet Fabula Aesopia inscripta: *Γέρων καὶ θάνατος.* [O.]

830. *Mortuo munus qui mittit etc.*] Sens. *Olim solebant inferias exhibere mortuis. Hoc perit in vivis, et nil accipit mortuus.* [*Erasm.*] Et certe morem illum veteres iam risisse eleganter docemur ex Anthologia Lib. II. Cap. XLVII. Epigr. 3.

Μὴ μύρα, μὴ στεφάνους λιθίναις στήλαισι χαρίζου,
Μη δὲ τὸ πῦρ φλέξῃς. Εἰς κενὸν ἡ δαπάνη.
Ζῶντί μοι, εἴ τι θέλεις, χάρισαι· τέφρην δὲ μεθύσκων
Πηλὸν ποιήσεις, κοὐχ ὁ θανὼν πίεται. [*Gruter.*]

Sartorius edidit: *Mortuo qui mittit munus.* Antonius: *Mortuo qui munus mittit.* De talibus muneribus sive potius epulis defunctorum Manibus oblatis, quae Graecis dicebantur *περίδειπνα*, Romanis *silicernia*, vide quae observavimus ad Arnob. Lib. VII. Cap. LI. pag. 456. seqq. et ad Aeneam Tact. Cap. X. pag. 146. [O.]

831. *Nae virtutibus multis abundat, qui alienas amat*] Translatum e fundo Plinii iunioris, ubi legas Lib. I. Epist. XVII. *Scias illum plurimis virtutibus abundare, qui alienas sic amat.* [*Gruter.*]

832. *Neminem nec accusaveris nec laudaveris cito*] Sic Gruterus. Godofredus autem et Sartorius e Cod. Frising.:

Neminem cito accusaveris, neminem cito laudaveris. [O.]

Iam vel a Theognide inculcatum v. 957. et seqq.

Μήποτ᾽ ἐπαινήσῃς, πρὶν ἂν εἰδῇς ἄνδρα σαφηνῶς,
Ὀργὴν καὶ ῥυθμὸν καὶ τρόπον ὅστις ἂν ᾖ.
Πολλοί τοι κίβδηλον ἐπίκλοπον ἦθος ἔχοντες
Κρύπτουσ᾽ ἐνθέμενοι θυμὸν ἐφημέριον.
Τούτων δ᾽ ἐκφαίνει πάντων χρόνος ἦθος ἑκάστου etc.
[*Gruter.*]

833. *Nescias quid optes aut quid fugias etc.*] Sen. *Ita ludit tempus et fortunae vicissitudo, ut saepe, quae putaris optima, sentias maxime nocere, et contra.* [*Erasm.*] Minus apte Accarias de Serionne comparat verba Horatii I Epist. I. v. 97.

Rides. Quid mea cum pugnat sententia secum;
Quod petiit, spernit; repetit, quod nuper omisit;
Aestuat et vitae disconvenit ordine toto. [O.]

Hinc optime consulit Iuvenalis Sat. X. v. 346.

Nil ergo optabunt homines? Si consilium vis,
Permittes ipsis expendere numinibus, quid
Conveniat nobis, rebusque sit utile nostris.
Nam pro iucundis aptissima quaeque dabunt Dii.
Carior est illis homo quam sibi. [*Gruter.*]

834. *Nescit is nocere etc.*] Supra v. 490.

Nocere posse et nolle laus amplissima est.

et Ausonius:

Quid prudentis opus? cum possit, nolle nocere. [*Idem.*]

835. *Ni gradus servetur etc.*] Sic Plinius Lib. IX. Ep. V. *Sed temperare mihi non possum, quo minus laudem, similis monenti, quod eum modum teneas, ut discrimina ordinum dignitatumque custodias: quae si confusa, turbata, permista sint, nihil est ipsa aequalitate inaequalius.* [*Idem.*]

836. *Nil prodest bene didicisse, facere si cesses bene*] Potest ad arctiorem nexum intelligi in priori parte *facere.* Nempe virtus factis cernitur et probatur. [*Tzschuck.*]

837. *Nil rationis est etc.*] Sensus: *Cupiditas rationem supprimit.* [*Idem*] Egregie Quintilianus Inst. IV, 2. *Nam cum irasci, favere, odisse, misereri coeperint, agi iam rem suam existimant, et sicut amantes de forma iudicare non possunt, quia sensum oculorum premit amor, ita omnem inquirendae veritatis rationem iudex amittit occupatus affectibus, aestu fertur, et velut rapido flumini obsequitur.* [*Gruter.*]

838. *Nondum felix es, si nondum turba te deriserit*] Ita Gruterus. Sartorius autem et Godofredus e Cod. Frising. *Nondum felix es, si nondum te turba deridet.* [O.] Sens. *Nondum sapis supra vulgus, cui placet pessimum et qui dissidentes deridet. Scito enim, pessimum esse, qui ab iis laudatur maxime.* Unde Epictetus monet Enchirid. Cap. XXII. Εἰ φιλοσοφίας ἐπιθυμεῖς, παρασκευάζου αὐτόθεν, ὡς καταγελασθησόμενος, ὡς καταμωκησομένων σου πολλῶν etc. Seneca quoque Epist. 71. illud Socratis refert: *Ut sis beatus, et te alicui stultum videri sine.* et praeclare idem ac sapienter Epist. 76. *Habet tibicen quoque Graecus et praeco concursum; at in illo loco, in quo vir bonus discitur, paucissimi sedent, et hi plerisque videntur nihil boni negotii habere, quod agant: inepti et inertes vocantur. Mihi contingat iste derisus. Aequo animo audienda sunt imperitorum convicia, et ad honesta vadenti contemnendus est iste contemptus.* [*Gruter.*]

839. *Non aliter vives in solitudine etc.*] Est Senecae Epist. 94. *Itaque si in medio urbium fremitu collocati sumus, stet ad latus monitor et contra laudatores ingentium patrimoniorum laudet parvo divitem et usu opes metientem.* [*Idem.*] Bipontini *vivas.* [*Tzschuck.*]

840. *Nulla quae multos amicos recipit etc.*] Cicero de Finibb. Lib. I. Cap. XX. *At vero Epicurus una in*

domo, et ea quidem angusta, quam magnos, quantoque amoris conspiratione consentientes tenuit amicorum greges. et Seneca noster ad Helviam Cap. IX. *Nullus angustus est locus, qui hanc tam magnarum virtutum turbam capit.* [*Gruter.*] Aliter Godofredus et Sartorius e Cod. Frising.:

Non est pusilla domus, quae multos recipit amicos. [O.]

841. *Nulla tam bona est fortuna etc.*] Sens.: *Felicitati semper aliquid adiunctum est incommodi.* [*Erasm.*] Id uno ore omnes veteres philosophi et poetae dixerunt, v. c. Theognis v. 617.

Οὔτι μάλ' ἀνθρώποις καταθύμια πάντα πελέεται.

et Euripides in Ione v. 381.

Πολλαί γε πολλοῖς εἰσὶ συμφοραὶ βροτῶν,
Μορφαὶ δὲ διαφέρουσιν· ἓν δ' ἂν εὐτυχὲς
Μόλις ποτ' ἐξεύροι τὶς ἀνθρώπων βίῳ. [*Gruter.*]

842. *Nusquam melius morimur etc.*] Sens. *Ibi mori optimum, ubi iucunde viximus.* [*Erasm.*] quia scil. tum nondum sentimus senectutis onera. Bene Weberus:

Der Tod am besten ist zu der Frist,
Wenn dir das Leben noch lieb ist. [O.]

843. *Obiurgari in calamitate etc.*] Sic Bentleius et Bipontini (et ante eos Sartorius e Cod. Frising.) recte ex nexu ac sensu. Gruterus, quem plerique sequuntur: *Obiurgare.* [*Tzschuck.*]

844. *Odio oportet peccandi ut facias etc.*] Secundum illud Horatii I. Epist. XVI, 52.

Oderunt peccare boni virtutis amore:
Tu nihil admittes in te formidine poenae. [*Grut.*]

Sartorius et Godofredus e Codice Frising. metro soluto:

Odio oportet ut bonum peccandi, non metu facias. [O.]

845. *Omnes vitam differentes etc.*] Plautus in Pseud. Act. II. Scen. III. v. 19.

Certa amittimus, dum incerta petimus, atque hoc evenit
In labore atque dolore, ut mors obrepat interim.

et Martialis Lib. I. Epigr. 16.

O mihi post nullos, Iuli, memorande sodales,
Si quid longa fides canaque iura valent.
Bis iam paene tibi Consul trigesimus instat,
Et numerat paucos vix tua vita dies.
Non bene distuleris, videas quae posse negari,
Et solum hoc ducas, quod fuit, esse tuum.
Exspectant curaeque catenatique labores;
Gaudia non remeant, sed fugitiva volant.
Haec utraque manu complexuque assere toto.
Saepe fluent imo sic quoque lapsa sinu.
Non est, crede mihi, sapientis dicere: Vivam.
Sera nimis vita est crastina. Vive hodie. [*Grut.*]

Sartorius post *Omnes* intrudit *enim* metrum turbans. [O.]

847. *Optimum est sequi maiores etc.*] Egregie hanc in sententiam Seneca Epist. LXXX. *Non ego sequor priores? facio: sed permitto mihi invenire aliquid et mutare et relinquere. Non servio illis, sed assentior.* nec non Cassiodorus Var. Lib. VII. Epist. 7. *Velle nostrum antiquorum principum est voluntas, quos in tantum desideramus imitari, quantum illi iustitiam sunt secuti. Illa est enim reverenda priorum auctoritas, quae a recto tramite non declinat. Sequendi enim*

necessitatem reliquit posteris, qui iustitiam suis miscuerit institutis. [*Gruter.*] Godofredus et Sartorius e Cod. Frising.:

Optimum est maiorum vestigia sequi, si recte praecesserint. [O.]

848. *Pecunia est ancilla, si scis uti; si nescis, domina est*] Transponenda haec et legenda sunt ita:

Est pecunia ancilla, uti si scis etc.

Eleganter Plinius IX. Epist. 30. *Ea invasit homines habendi cupido, ut possideri magis quam possidere videantur.* [*Gruter.*] Sartorius e Cod. Frising.:

Pecunia si uti scias, ancilla est; si nescis, domina. [O.]

849. *Plerique ubi aliis maledicunt etc.*] Sartorius et Godofredus:

Plerique cum stultis maledicunt, ipsi sibi convicium faciunt. addentes e Cod. Frising.: *Perturpe est enim quod obiicitur in obiiciente cognosci.* [O.] Affine illud Plinii Lib. VII. Epist. 18. *Seque ipsos, dum insectantur alios, turpissimis confessionibus produnt.* [*Gruter.*]

850. *Principium est discordiae etc.*] Maximus Tyrius p. 97. (ed. H. Steph.): *Νῦν δὲ μετὰ* (l. *μεστὰ*. O.) *πάντα πολέμου καὶ ἀδικίας· αἱ γὰρ ἐπιθυμίαι πλανῶνται πανταχοῦ, περὶ πᾶσαν γῆν τὰς πλεονεξίας ἐπεγείρουσαι· καὶ πάντα μεστὰ στρατοπέδων ἐπὶ τὴν ἀλλοτρίων ἰόντων.* [*Idem.*]

851. *Proximum tenet locum confessio innocentiae*] *Innocentiae* compone cum *locum.* [*Tzschuck.*] Non male Schwarzius:

Bekenntniss folgt im Range nach der Unschuld.

Aliter Godofredus et Sartorius e Cod. Frising.:

Proximum ad innocentiam locum tenet verecunda confessio.

Martinus (Pseudo-Seneca) de moribus:

Locum tenet innocentiae proximum confessio. [O.]

852. *Quanto serius peccatur etc.*] Seneca ad Marc. C. XXII. *Sera, eoque foedior luxuria invasit, et coegit dehonestare speciosa principia.* [*Grut.*] Cod. Frising.:

Quanto serius peccatur, tanto turpius incipitur. [O.]

853. *Quem bono tenere non poteris, hunc teneas malo*] Ita Gruterus. Sartorius autem e Cod. Frising.:

Quem bono tenere non potueris, contineas malo. [O.]

Nam qui ratione traduci ad meliora non possunt, solo metu continentur, inquit Quintilianus Inst. XII. 7. [*Gruter.*]

854. *Quicquid est plus quam necesse est, possidentes deprimit*] Sartor. *possidentes premit.* Contrarium plane affirmavit Aristippus apud Stobaeum Serm. XCII. *Οὐχ ὥσπερ ὑπόδημα τὸ μεῖζον δύσχρηστον, οὕτω καὶ ἡ πλείων κτῆσις· τοῦ μὲν γὰρ ἐν τῇ χρήσει τὸ περιττὸν ἐμποδίζει, τῇ δὲ καὶ ὅλῃ χρῆσθαι κατὰ καιρὸν ἔξεστι καὶ μέρει.* [O.]

855. *Quid refert, quantum habeas? multo illud plus est, quod non habes*] Ita transpone:

Quid refert, quantum habeas? illud multo plus est, quod non habes. [*Grut.*]

856. *Regibus peius est multo, quam ipsis servientibus*] Gruterus etiam haec ita transponenda censet:

Peius multo regibus ipsis est, quam servientibus.

vel potius:

Regibus peius multo ipsis est, quam servientibus.

Vulgata tamen retineri potest, si transposueris modo *multo*

est. [*Tzschuck.*] Godofredus et Sartorius e Cod. Frising. post v. *servientibus* addunt: *quia singulos isti, illi universos timent.* Sententiam quod attinet, Gruterus apposite citat illud Martialis Lib. IX. Epigr. 94.

Quae mala sunt domini, quae servi commoda, nescis,
Condile, qui servum te gemis esse diu.
Dat tibi securos vilis lecticula somnos,
Pervigil in pluma Caius ecce iacet.
Caius a prima tremebundus luce salutat
Tot dominos; at tu, Condile, nec dominum.
Quod debes, Caii, redde, inquit Phoebus, et illinc
Cinnamus; hoc dicit, Condile, nemo tibi. etc. [O.]

857. *Res bona est non exstirpare etc.*] Ita Gruterus. Godofredus autem et Sartorius e Cod. Frising.: *Res optima est etc.* [O.]

858. *Ridiculum est odio nocentis perdere innocentiam*] Ut fecerunt Medea, Procne etc. [*Gruter.*]

859. *Saepe dissimulare satius, quam vel ulcisci fuit*] Ita numeris melioribus reposuit Bentleius. Scaliger et Gruter.:

Saepe dissimulare quam vel ulcisci satius fuit. [O.]

860. *Saepius locutum nunquam etc.*] Plutarchus pag. 125. et 515. illud Simonidis esse dicit. Verba eius sunt: ὅτι λαλήσας μὲν πολλάκις μετενόησε, σιωπήσας δὲ οὐδέποτε. Quibus respondent illa apud eundem (de educ. liber.) pag. 10. Καὶ γὰρ αὖ σιωπήσας μὲν οὐδεὶς μετενόησε· λαλήσαντες δὲ παμπληθεῖς. [*Gruter.*]

861. *Semper vocis et silentii temperamentum tene*] Orestes apud Aeschylum in Choephor. v. 579.

Ὑμῖν δ' ἐπαινῶ γλῶσσαν εὔφημον φέρειν,
Σιγᾶν θ' ὅπου δεῖ, καὶ λέγειν τὰ καίρια.

et (Pseudo-) Isocrates Demonico praecipit: Δύο ποιοῦ καιροὺς τοῦ λέγειν, ἢ περὶ ὧν οἶσθα σαφῶς, ἢ περὶ ὧν ἀναγκαῖον εἰπεῖν· ἐν τούτοις γὰρ μόνοις ὁ λόγος τῆς σιγῆς κρείττων· ἐν δὲ τοῖς ἄλλοις ἄμεινον σιγᾶν, ἢ λέγειν. [*Gruter.*]

862. *Sermo animi est imago etc.*] Comparanda cum hac sententia verba Siracidae XXVII, 7. Πρὸ λογισμοῦ μὴ ἐπαινέσῃς ἄνδρα, οὗτος γὰρ πειρασμὸς ἀνθρώπων. [*Idem.*]

863. *Si multis tua vita placuerit etc.*] Supra v. 441. *Multis placere quae cupit, culpam cupit.* [*Idem.*] Godofredus et Sartorius e Cod. Frising.:

Si multis placuerit vita tua, tibi placere non poterit. [O.]

Multis, τοῖς πολλοῖς, i. e. vulgo. [*Tzschuck.*]

864. *Sine dolore est vulnus etc.*] I. e. *crudos vetat sentire dolores*, ut de Tydeo Statius III. Theb. v. 335. Quo et spectat illud Syri nostri supra v. 347.

Iucunda macula est ex inimici sanguine. [*Grut.*]

865. *Si pares invitus etc.*] Sic Gruterus. Sartorius autem e Cod. Frising. metro soluto:

Si invitus pares, servus es; si volens, minister. [O.]

866. *Solitudinem quaerat, qui vult vivere cum innocentibus*] Scribe:

Solitudinem ambit, qui vult vivere cum innocentibus.

Late in hac materia exspatiatur Seneca Epist. VII. *Quid tibi vitandum praecipue existimem, quaeris? Turbam. Nondum illi te tuto commiseris.* Optime autem sententiam Publii nostri expressit Phalaris, qui Epist. 34. ad Pollucem scribit:

Ἐγὼ δὲ ἐνδεέστερον ἤδη φεύγω πάντας ἀνθρώπους, πίστιν γὰρ οὔτε παρ᾽ ἄλλοις τισὶν οὔτ᾽ ἐν φίλοις βέβαιον εὗρον· διὸ πάντας πολυπόνως ἐπιγνοὺς, τὴν ἀοίκητον ἐρημίαν ἐν Λιβύῃ τοῦ μετ᾽ ἀνθρώπων βίου αἱρετωτέραν ὑπολαμβάνω, καὶ τὰ θηρόβατα Νομάδων ἐνδιαιτήματα. μᾶλλον γὰρ ἐμπελασθεὶς λέουσιν ἀκινδύνως συναυλισαίμην ἂν καὶ συνευνηθείην ἑρπετοῖς πᾶσιν, ἢ τοῖς νῦν οὖσιν ἀνθρώποις. [*Grut.*]

867. *Tum crudelitas est omnibus atque nulli ignoscere*] *Tam* i. e. par, eadem, non minor crudelitas. *atque* pro *quam* post *tam* quamvis rarissimum sit, legimus tamen apud Plautum Amphitr. Act. I. Scen. I. v. 287.

Tam consimile est atque ego.

Itaque non erat cur hac locutione tantopere offenderetur Tzschuckius. Godofredus ita:

Tam omnibus ignoscere quam nulli est crudelitas. [O.]

868. *Tam deest quod habet avaro quam misero quod non habet*] Hanc sententiam uno tantum verbo *misero* truncatam habuimus supra v. 754. [O.]

869. *Thesaurum in sepulchro ponit etc.*] Forte huc accommodari possit illud Siracidae XXX, 18. Ἀγαθὰ ἐκκεχυμένα ἐπὶ στόματι κεκλεισμένῳ θέματα βρωμάτων παρακείμενα ἐπὶ τάφῳ. [*Grut.*]

870. *Tolerabilior, qui mori iubet etc.*] Nam, inquit Plato apud Stobaeum p. 169. Οὐ τὸ ζῆν περὶ πλείστου ποιητέον, ἀλλὰ τὸ εὖ ζῆν. et Cebes in Tabula: Πότερον ἂν βούλοιο ζῆν κακῶς ἢ ἀποθανεῖν καλῶς καὶ ἀνδρείως; ἀποθανεῖν ἔγωγε καλῶς. [*Grut.*]

871. *Tolerabilior poena haud posse quam nescire vivere*] Quia scilicet illud posse prohibetur ab aliis. At de illo nescire vivere audiamus Senecam de brev. vit. Cap. VII. *Tot maximi viri, relictis omnibus impedimentis, cum divitiis, officiis, voluptatibus renuntiassent, hoc unum in extremam usque aetatem egerunt, ut vivere scirent. Plures tamen ex his nondum se scire confessi e vita abierunt; nedum ut isti sciant.* [*Idem.*] Sartorius e Cod. Frising.:

Tolerabilior poena est non posse quam nescire vivere. [O.]

872. *Tuta saepe, nunquam secura mala conscientia est*] Pertinet hic locus ad tenendum discrimen verbi *tutus* et *securus*, quod et alia declarant. Hic est *securus*, qui sine cura, qui nil timet, etsi quod timeat habeat: *tutus*, qui periculo vacat. Igitur *securus* potest tamen esse minime *tutus*. Conf. Auson. Poëm. de Diff. verb. v. *securus*. [*Tzschuck.*] Est Senecae Epist. CV. *Tutum aliqua res in mala conscientia praestat, nulla securum.* qui rursus Epist. XCVII. *Potest nocenti contingere, ut lateat, latendi fides non potest*, i. e. ut ipse ibidem explicat: *Tuta scelera esse possunt, secura non possunt.* [*Grut.*]

873. *Ubi sis cum tuis et absis patria, eam desideres*] Sic Gruterus. Codex Frising. ita:

Ubi sis cum tuis et absis, patriam desideres.

Ex qua lectione hic sensus exit: *Ubi sis cum tuis* (scil. procul e patria) *et absis* (a tuis), *patriam desideres. Du magst die Deinen bey dir haben oder nicht.* [O.] Sic apud Euripidem in Phoenissis Polynices ait v. 36.

— — — — — Ἀλλ᾽ ἀναγκαίως ἔχει
Πατρίδος ἐρᾶν ἅπαντας· ὃς δ᾽ ἄλλως λέγει,
Λόγοισι χαίρει, τὸν δὲ νοῦν ἐκεῖσ᾽ ἔχει. [*Grut.*]

874. *Vita hominis brevis, ideo honesta mors est immortalitas*] Ita Gruterus. Godofredus autem et Sartorius e Codice Frising. metro soluto:

Vita omnis brevis est, ideo immortalitas est honesta mors. [O.]

Isocrates ad Demonic. *Τὸ μὲν τελευτῆσαι πάντων ἡ πεπρωμένη κατέκρινε, τὸ δὲ καλῶς ἀποθανεῖν ἴδιον τοῖς σπουδαίοις ἡ φύσις ἀπένειμε.* et Musonius apud Stobaeum pag. 167. *Ἅπαξ τὸ καλῶς ἀποθνήσκειν ὅτε ἔξεστι, μὴ μετὰ μικρὸν τὸ μὲν ἀποθνήσκειν σοι παρῇ, τὸ δὲ καλῶς μηκέτι ἐξῇ.* [*Grut.*]

875. *Aut animo facis etc.*] Citat ceu Syri Zwingerus p. 192. sed Ausonii esse observat Gruterus in Notis posthumis pag. 461. [O.]

876. *Omnium vindicta etc.*] Citat hunc versum, fonte, unde hauserit, non indicato, idem Gruterus in Notis posthum. pag. 501. [O.]

877. *Audentes fortuna iuvat*] Hanc et sequentem sententiam ceu Publii Syri citat W. C. L. Ziegler in Commentatione de Mimis Romanorum pag. 46. [O.]

879. *Ex saeva animadversione nulla regi gloria est*] Hunc versum trochaicum, in editione Ad. Sartorii signo *νοθείας* † notatum, Publio Syro vindicat Iac. Thomasius in praefatione ad Opera M. A. Mureti pag. XXXV. ed. Ruhnkenii. Pro *nulla* Sartorius *nulli*, male. [O.]

ADAMI SARTORII ET EDITORIS ANNOTATIONES IN SENTENTIAS PUBLIO SYRO FALSO ADSCRIPTAS.

1. *A duabus causis etc.*] Hoc erat initium in editione Godofredi, qui plurima similia habet minime Publiana, quae nescio quis, male de Syro meritus, intrusit. Ego nihil ex ulla editione reieci, sed quae mihi eiicienda videbantur monui per signum †. Certum est hanc sententiam e Seneca transsumtam esse, et quidem vitiose, qui libro I. de Clementia Cap. 1. ita incipit: *Duabus de causis punire princeps solet, si aut se vindicat, aut alium.* [*Sartor.*]

2. *Aberrare a fortuna etc.*] Hanc sententiam minime Publianam ita correxi. Nam Godofredus legit: *A quocumque descenderis.* Est Senecae I. de Clem. C. 8. [*Idem.*]

14. *Eleemosyna etc.*] Martinus (Pseudo-Seneca) libro de moribus iisdem verbis citat. [*Idem.*]

17. *Excusationem quaerere etc.*] Christiana sententia. [O.]

28. *In felicitate etc.*] Supra v. 745. legimus eandem senten am metro iambico expressam:

Submittit se quae se erigit felicitas. [O.]

29. *Inhonesta res est etc.*] Martinus libro de moribus: *Inhonesta victoria est suos vincere. Satis est poenarum potuisse puniri.* [*Sart.*]

31. *Magni animi est proprium etc.*] Videtur ex Seneca desumta sententia, qui ait Lib. II. de ira Cap. 32. *Magni animi est iniurias despicere.* [*Idem.*]

40. *Nam etsi nullos inimicos etc.*] Martino adscriptus libellus de moribus hanc sententiam ita refert: *Etsi nullos inimicos tibi facies iniuria, multos tamen facit invidia.* Godofredus sic legit: *Nam si nullos inimicos tibi parit iniuria, multos tamen invidia.* [*Idem.*]

44. *Nihil interest etc.*] Et haec sententia reperitur in libello toties iam citato de moribus, quem Godofredus cum Seneca edidit, et Martino Episcopo adscribit, ubi Gnomologia est ex Seneca et Mimis et Pythagorae aliorumque dictis. [*Idem.*]

49. *Non aspicias etc.*] MS. Frising. ita legit:

Non aspicias quam plenas quisque Deo manus
Notes sed quam puras admoveat
Non aliter pulcherrimus Dei cultus est animus
Nisi fuerit optimus.

Martinus libro de moribus hanc sententiam solam inserit Gnomologiae suae his verbis: *Optimus ergo animus et pul-*

cherrimus Dei cultor est. Latet autem hic elegans Mimiambus Publii, quem in litera P. reddidimus:

Puras Deus, non plenas adspicit manus.

ex quo nescio quis male feriatus ineptias illas concinnavit. [*Idem.*]

51. *Nullum ex omnibus etc.*] Christiana sive a Christiano quodam interpolata sententia, quod videmus ex v. *praelatus*, i. e. monasterii praefectus. [O.]

54. *Obiurgationi etc.*] Martinus libro de moribus: *Obiurgationi semper aliquid blandi admisce: facilius enim penetrant verba, quae molli vadunt via.* [*Sartor.*]

57. *Omne peccatum actio est etc.*] Libellus ille Martini de moribus ita incipit: *Omne peccatum actio est. Actio autem omnis voluntaria est tam honesta quam turpis. Ergo voluntarium est omne peccatum.* [*Idem.*]

59. *Omnis affectus habet etc.*] Martinus libro de moribus: *Hoc habet omnis affectus, ut in hoc, in quo ipse insanit, in idem putet etiam caeteros furere.* Godofredus ita legit: *Omnis affectus habet, ut in eo, in quo ipse insanit, in idem putet caeteros furere.* [*Idem.*]

61. *Opinentur de te etc.*] Sententia haec ex Seneca concinnata, qui libro (spurio) de remediis fortuitorum haec habet: *Male de te loquuntur homines? sed mali. Moverer, si de me M. Cato, si Laelius sapiens, si alter Cato, si duo Scipiones ista loquerentur. Nunc malis displicere laudari est.* Hanc sententiam suae Gnomologiae inseruit Martinus Lib. de moribus, ubi et haec: *Male opinentur de te homines, sed mali. Malis displicere est laudari.* [*Idem.*]

63. *Oratorem te puta etc.*] Martinus de morib. *Oratorem te puta, si tibi ante omnes quod oportet persuaseris.* [*Idem.*]

68. *Peiora sunt tecta odia etc.*] Martinus l. de moribus: *Peiora sunt tecta odia quam aperta. Itaque minus loquax inimicus offendit quam tacitus.* [*Idem.*]

72. *Praestabis parentibus pietatem etc.*] Martinus l. l. *Praestabis parentibus pietatem, cognatis indulgentiam, omnibus aequitatem.* [*Idem.*]

76. *Quae sunt maxime divitiae etc.*] His ipsis refert hanc sententiam in Gnomologia Martinus de moribus. Quales sententiae passim in Seneca, ut et illa Lib. II. Epist. XIV. *Quia facta est auri mentio, accipe, quemadmodum usus fructusque eius tibi esse gratior possit. Is maxime divitiis fruitur, qui minime divitiis indiget etc.* [*Idem.*]

77. *Quam iniquum est (nocuisse) quia oderis laedere*] Legendum: *Quam iniquum est nocuisse, quia oderis*, omisso v. *laedere*, aut, quod magis placet ob oppositum: *Quam iniquum est, quia oderis, laederis.* Quamobrem v. *nocuisse* tanquam male intrusam uncinis inclusi. [O.]

79. *quaerunt*] Scrib. *erunt* e correctione Godofredi. [O.]

81. *Quidam quosdam occidunt inimicos etc.*] Godofredus: *Quidam quosdam occidunt inimicos, non quia habeant, sed quia meruerunt.* [*Sart.*]

84. *desinet quia fecit*] Cod. Fris. *desinit quia fecit.* [*Idem.*]

85. *Qui paupertatem timet etc.*] Martinus de morib. hunc etiam mimum citat. Cod. Fris. ita legit: *Qui paupertatem timet quam timidus est!* [*Idem.*]

86. *Qui propter pecuniae etc.*] Martinus l. l. *Qui*

propter pecuniae amorem et libidinem moritur, ostendit se nunquam sui causa vixisse. [*Idem.*]

88. *Quod tacitum esse vis etc.*] Martinus l. l. *Quod tacitum esse velis, nemini dixeris. Si tibi non imperasti, quomodo ab alio silentium speras?* (l. *speres.*) [*Idem.*]

90. *debilitat*] i. e. mitia, submissa facit, sensu insolentiore [O.]

92. *Rege incolumi etc.*] Est Virgilii Georg. IV. (212.). Quod Seneca citat Epist. 115. et de Clem. I. 4. [*Sart.*]

100. *Sapiens etsi contentus est etc.*] Est Senecae Epist. IX. [O.]

103. *Scito quid est invidia*] *Scis quid invidia est? Dolor animi est ex alienis commodis. Scito etenim illud, quia nulli invidetur nisi praedito bonitate.* Ita Cod. Frising. [*Sart.*]

104. *Semper dissensio etc.*] Martinus l. de moribus: *Dissensio ab alio incipiat, a te autem reconciliatio.* [*Idem.*]

108. *pudeat*] Godofred. *pudet.* [*Idem.*]

109. *Sicut formosa pictura est etc.*] Godofred. *Sicut formosa pictura est, cuius nulla pars errat, sic formosus homo, in quo nulla peccati macula est. Proinde hoc domi, hoc foris, hoc omni genere vitae teneamus, ut nobis inexorabiles simus, exorabiles illis, qui non nisi sibi dare veniam nesciunt.* [*Idem.*]

110. *felicis*] i. e. divitis. Sic et *beatus* Horat.
Ut Nasidieni te iuvit coena beati? [O.]

113. *Si vis beatus esse etc.*] Godofredus et Martinus de moribus ita legunt: *Si vis beatus esse, cogita hoc primum: contemnere et contemni.* [*Sart.*]

114. *Si vis amari, ama*] Hoc dicto usus est Hecaton, teste Seneca Epist. 9. *Hecaton ait: Ego tibi monstrabo amatorium sine medicamento, sine herba, sine ullius veneficae carmine:* SI VIS AMARI, AMA. [*Idem.*]

117. *in mille facinorum furias*] Recepi in textum correctionem Godofredi pro ineptissimo *in mille Faunorum furias.* [O.]

123. *in affectum*] Cod. Frising. *in effectum.* [*Sart.*]

130. *accipienda sunt*] Martinus de morib. *aestimanda sunt.* [*Idem.*]

132. *Vir est bonus etc.*] Martinus l. l. *Bonus vir est, qui eo perduxit affectum, ut non tantum peccare non velit, sed etiam non possit.* [*Idem.*]

133. *Vires tuas etc.*] Martinus ibid.: *Vires tuas amici magis sentiant beneficiis quam iniuriis.* [*Idem.*]

134. *doloribus enim patientia vincitur*], Martinus ibid.: *Dolor patientia vincitur,* sicut et correxit Godofredus. [*Idem.*]

P. BURMANNI, G. B. ANTONII
ET
C. H. TZSCHUCKII
ALIORUMQUE
ANNOTATIONES SELECTAE
IN
PUBLII VERSUS CONTRA LUXURIAM
EX
PETRONII CAP. LV.

Publii Syri] Utrum Mimographi nostri, an vero, quod mihi magis videtur vero simile, alius plane Publii sint hi versus, incertum plane ac dubium. In Codicibus quidem et editionibus Petronii, quas conferre licebat, inscriptio est *Publii Syri*. Sed potuit titulus hic adscriptus esse a librario Syrum nostrum cum alio Publio confundente. [O.]

1. *Luxuriae rictu*] Assurgit hic indignatione commotus Publius, graviterque invehitur in luxuriam seculi sui, quam ut vivide describeret, coloribus variis distinxit. An sit recte miser poeta cum Cl. Antonio ad h. l. appellandus, statuerint alii, etsi aliqua audacter translata, minus concinne composita (nisi hoc ex librariorum vitiis obtrusum) et nove effecta reperiantur. [*Tzschuck.*] *Rictu* merito offendit viros eruditos. Nempe *rictus luxuriae* bene quidem dicitur, sed *marcere moenia rictu* non bene componitur. Nam rictus conglutit quidem, non autem facit *marcere*. Varias itaque tentarunt coniecturas. Auratus leg. *luxurie et victu*. Heinsius (in Adversar. Lib. III. Cap. XI. p. 483.) *luxuriae victu*, i. e. ratione vivendi luxuriosa. Richardus *luxurie victa*, probante P. Burmanno in Anthol. Lat. Tom. I. pag. 585. Non male. Quid si legamus: *Luxurie attrita Martis marcent moenia*. [O.]

Martis moenia] et *Mavortia moenia* ap. Virgil. Aeneid. I. 250. urbs Roma, quam et Erinna Lesbia hoc versu alloquitur:

Χαῖρέ μοι, Ῥώμα, θυγάτηρ Ἄρηος. [O.]

2. *Tuo palato clausus pavo pascitur*] Pro *clausus* Stephanus in marg. habet *exclusus*. Scaliger ad Catalect. Virgil. mavult *Samius* i. e. ab Samo petitus. Heinsius *oculeus*. Salmasius ad Tertullian. de pallio Cap. III. *oculosus*. Sed *clausus* (scil. ad saginationem) recte se habet. Vide Varron. de Re Rust. L. 3. C. 6. [*Anton.*] Pavonem autem cibi gratia primus occidit coenaeque intulit Hortensius, ut narrat Plinius Hist.

Nat. X. 23. (20.) Varro l. l. et alii plures. [*Tzschuck.*] Pro *pascitur* Scaliger in marg. coniicit *nascitur*. Sed *pascitur* recte praetulit P. Burmannus in Anthol. Lat. p. 585. [O.]

3. *Plumato amictus aureo Babylonico*] *Babylonico* a *Babylonicum*, quod substantive etiam vel absolute ponitur, ut apud Lucretium IV. 1023. Martialis Lib. VIII. Epigr. 28. v. 17. addit *texta*. Plautus in Sticho II. Scen. III. 54. *peristromata*, quae subintelligi possunt. Alii supplent *stragula*. Ad ipsam rem facit locus Plinii Hist. Nat. VIII. 74. *colores diversos picturae intexere Babylon maxime celebravit et nomen imposuit.* [*Idem.*] Conf. Salmas. ad Tertullian. de pallio p. 127. [O.] Vide Cuper. Obss. Lib. II. Cap. XII. [*Anton.*]

aureo] Offendit hoc Erhardum corrigere volentem *auleo*, male. Nam *aureus* vel *inauratus* ob pennarum ornatum et splendorem dicitur pavo etiam Tertulliano l. l. *immo omni conchylio pressior qua colla florent, et omni patagio inauratior qua terra fulgent.* ubi Salmasius pag. 127. apposite citat verba Oppiani Cyneg. II. de pavone:

Τοῖον ἐν ὀρνίθεσσιν ἀριζήλοις ἀμαρύσσει
Χρυσῷ πορφυρέοντι μεμιγμένος αἰθόμενον πῦρ.

et Manuelis Phile:

Λειμὼν γάρ ἐστιν ἡ γραφὴ τῶν ἀνθέων,
Χρυσὸς δὲ λεπτὸς ἐνσχεθεὶς τῇ πορφύρᾳ,
Σμάραγδον ἁγνὸν ἐμφυτεύει. [O.]

4. *Gallina Numidica*] aliis *Africana*, illud plerisque, ut docet Columella Lib. VIII. Cap. II. 2. In magno pretio fuisse apparet vel ex Suetonio in Calig. cap. XXII., ubi inter alias aves raras in insanis Caligulae hostiis Numidicae numerantur, quamvis Plinii aetate (vid. Hist. Nat. X. 67. s. 48.) in ipsa Italia alebantur. Luxuriosis suavioris saporis causa adpetitas fuisse, docet hic locus. [*Tzschuck.*] Nostri *das Perlhuhn.* [O.]

Gallus spado] i. q. *capo* vel *capus, Kapaun.* [O.]

5. *Ciconia etiam grata*] Pro *grata* Scaliger in Catalectis edidit *Graia*, probante Salmasio ad Tertullian. de pallio pag. 214. Sed tum (ut bene observat Anton.) *peregrina* esset plane supervacuum et *grata* ciconia inprimis agricolis tanquam veris nuntia. Minus placet explicatio P. Burmanni in Antholog. Lat. *grata* palato nempe. [O.]

peregrina] Sic optimi Codices, recte. Nam etiam Phaedrus vocat ciconiam *peregrinam volucrem* Lib. I. Fab. 26. v. 11. quam Varro *advenam* dicit de R. R. I. 3. Cap. 5. Dousa dedit *peregrino hospita.* Male. [*Anton.*] Conf. Plinius Hist. Nat. X. 31. segm. 23. Ceterum Augusti aetate, auctore Cornel. Nepote apud Plinium X. 30., hac ave vesci coeperunt delicatiores. Adposuit primus Sempronius Rufus Praetorius, quem hac de causa carpit Horatius II. Sat. II. 50. Sed brevi deflagravit eius gratia, nam aetate Plinii nemo illam in triclinium recepit. Vide eundem l. l. [*Tzschuck. et Anton.*] Recte etiam *peregrina avis* ab antiquis dicta est ciconia, quia ignotum, unde veniat sub initium veris, aut quo se conferat ingruente hieme. Vide Axenii et aliorum notas ad Phaedri Lib. I. Fab. XXVI. v. 11. [*Burmann. in Anthol. Lat.*]

hospita] Crinitus *hospiti*. Male, cum etiam Varro apud Arnobium Lib. VI. Cap. XXXIII. *hirundines hospitas* vocet. [*Anton.*] Vide quae ibi observavimus Tom. II. pag. 391. [O.]

6. *Pietaticultrix, gracilipes, crotalistria*] No-

va verba haec sunt a Publio facta, quae, ut ex Lexicis cognoscitur, nec usu invaluerunt. *Pietaticultrix*, ut apud Phaedrum II. Fab. IV. 3. *nemoricultrix*. Oritur autem inde pietatis laus, quod auctore Plinio X. 32. segm. 23. *genetricum senectam invicem educant*, et diserte Solinus Cap. XL. f. (ex ed. Salmasii) *eximiam illis inesse pietatem* praedicat. (Conf. Plato Alcib. I. in fin. et S. Epiphanius Physiolog. c. 25. O.) *crotalistria* dicitur ciconia, quia crepitante rostro crotalorum strepitum imitatur. Sunt autem hodie recepta haec vocabula, quae in libris antiquis varie mutantur. Ceterum poeta iusto liberius sibi indulget in coacervandis epithetis, quae ad notandam luxuriam nihil valere videntur. [*Tzschuck.*] Crinitus malebat *cholaristria*, i. e. ioculatrix. H. Iunius Animadv. Lib. VI. C. 15. *glotaristria*. [*Anton.*] Vitiosissime H. Stephanus edidit:

Pietatis cultrix, gracilipes, e tota listria.

et in marg. *Histria*. [*Burmann. in Anthol. Lat.*]

7. *exsul hiemis*] Vere enim advenit. Vide Virgil. Georg. II. 319. [*Tzschuck.*]

titulus tepidi temporis] *titulus*, signum, indicium. Mire et remote. [*Idem.*] Bourdelot. *pipulus*. Male. [*Anton.*]

8. *Nequitiae nidum etc.*] Iocose haec et argute. *Nequitiae* (dativ. sing.) pertinet ad *fecit* et de luxuria dicitur. [*Tzschuck.*] Propria vox nepotinis sumtibus et luxuriosae prodigalitati. Unde Ciceroni saepius *frugalitati* opponitur. Vide Lib. III. Tusc. Quaest. Cap. VIII. et XVII. Lib. III. de finibb. Cap. VIII. Confer et Gell. Lib. VII. Cap. XI. [*Burmann.*]

in cacabo meo] Glossae: *cacabum*, χύτρον. Vas culinarium, quod igni apponitur. (*Kochtopf.*) Unde Tertullianus de ieiuniis: *Apud te agape in cacabis fervet, in culinis calet.* [*Idem.*] Deminutivum *cacabulum* legimus apud Arnobium VI. 14. ubi vide annotationem nostram Tom. II. pag. 375. [O.] *Meo* offendit, quia sic oratio alio inflectitur, etsi est in omnibus libris. Hinc alii (Heinsius) *tuo* coniecerunt, quidam etiam dederunt. [*Tzschuck.*] Burmannus *meo* edidit et defendit, quod possit servari, si sumatur, hic loquentem introduci luxuriosum quendam, qui, ut reliquos superaret, ciconiam mensae suae iusserit parari. [*Anton.*] At in toto hoc fragmento loquens inducitur non luxuriosus, sed sapiens quidam luxuriam aliorum carpens. [O.]

9. *Margarita cara, tribacca*] *tribacca* offendit Scaligerum legere volentem *cara tibi, bacca Indica*, sequente P. Burmanno in Anthol. lat., et Heinsium corrigentem *Quo margaritae bacca tricata Indicae?* et per *tricatas baccas* intelligentem *pertusas et in lineam redactas*, filo transuto. Sed unice verum esse *tribacca*, i. e. inauris tribus unionibus constans, conficitur ex loco Plinii Hist. Nat. Lib. X. Cap. XXXV. ubi, *hos*, inquit, *digito suspendere, et binos ac ternos auribus feminarum gloria est.* [*Anton.*] *Margarita* plurale neutrum est, de quo vide Salmas. ad Solin. p. 1123. ed. Paris. et quae notavi ad (Anthol. Lat.) Lib. II. Epigr. 224. p. 413. *cara Thabraca* emendare Andr. Schottum in notis ad Antonini Itinerar. adnotaverat Scriverius. [*Burmann. in Anthol. Lat.*]

Indica] Hinc Perictyone Pythagorea in Fragmento III. (in Collectione nostra Opusculorum Vet. Graec. sententioso-

rum et Moralium Tom. II. pag. 352.) margaritam vocat λίθον Ἰνδικὸν, ubi vide quae adnotavimus. [O.] Plinius Hist. Nat. IX. 54. segm. 35. *Principium culmenque*, inquit, *omnium rerum pretii margaritae tenent. Indicus maxime has mittit Oceanus.* [*Tzschuck.*]

10. *phaleris pelagiis*] Acerbe et lepide sic transfert ad margaritarum ornatum. *Pelagiis* vel ex Plinii illo loco intelligitur. [*Idem.*]

11. *indomita*] Superbiam et vanitatem sic vivide adumbrat. [*Idem.*] inprimis vero intemperantiam in Venere. Barthius putat metaphoram desumtam esse ab equa indomita. [O.]

12. *viridem*] epitheto ex naturali colore ducto, quod saepe reperitur in aliis. [*Tzschuck.*] De *smaragdo*, cui Plinius Lib. XXXVII. Cap. V. proximum locum ab adamante tribuit, vide I. A. Ernesti in Archaeologia literaria ibique Martin. p. 152 seq. [O.] Conferenda autem haec cum loco Lucretii Lib. IV. 1120.

Scilicet et grandes viridi cum luce zmaragdi
Auro includuntur, teriturque thalassina vestis,
Assidue, et Veneris sudorem exercita potat,
Et bene parta patrum fiunt anademata, mitrae,
Interdum in pallam, ac Melitensia. Ciaque vertunt.

Ad rem faciunt etiam Arnobii verba Lib. II. (Cap. XLI. ed. nostr. O.) ubi graviter in hunc luxum invehitur: *Idcirco animas misit, ut divini ponderis et gravitatis oblitae gemmas, lapillos, margaritas castitatis dispendio compararent, innecterent his colla, laminas pertunderent aurium, conficiendis quaererent corporibus fucos, imminuerent frontes limbis* etc. [*Burmann. ad Anthol. Lat.* Tom. I. p. 586.]

vitrum] ex comparatione, quia est pellucidus. [*Tzschuck.*]

13. *Carchedonios*] Vid. Ernesti in Archaeol. lit. ibique Martin. p. 156. [O.]

optas] Heinsius in Advers. Lib. IV. Cap. VIII. pag. 616. mavult *portas*. [O.]

ignes lapideos] Manilius:

— — — — — Phoebeis certantia lumina flammis
Gemmarumque illi radiantes lucibus ignes.

Sic et *Ophitarum flamma* dicitur Martiali Lib. VI. Epigr. 42. [*Heins. l. l.*]

14. *Nisi ut scintillent*] Ita ex Cod. Sambuc. legendum esse dudum viderunt editores, etsi reliqui Codd. *scintillet* habent. [*Anton.*] Francius: *Vis ut scintillent.* [*Burmann. ad Anthol. Lat.*]

15. *induere*] Alii *inducere.* [*Anton.*]

ventum textilem] Sic appellat vestem tenuissimam et pellucidam e lino sive bysso subtilissimo confectam. Phintys Pythagorea in Fragmento pulcherrimo de temperantia mulieris a Stobaeo servato (in nostra collectione Opusculorum Graecorum sententiosorum et moralium Tom. II. pag. 358.) appellat τὰ διάφανία περὶ τὸ σῶμα, ubi vide quae observavimus. [O.]

16. *nebula linea*] Sic Codex Petronii Scaligeranus: sed in margine ex alio vetere Codice *nebula lunae* notatur, ut edidit Stephanus, forte pro *lanae.* Apud eundem Stephanum in margine:

Aequum est induere nuptam ad ventum textilem
Pallam, prostare nudam in thalami lectulo.

Sed recte *ventum* de tenui veste exponunt interpretes et *in nebula linea* legunt, ac perlucidas illas vestes prolixe illustrarunt, ad quas referendum illud Plinii Hist. Nat. Lib. XXXV. 9. *Polygnotus Thasius primus mulieres lucida veste pinxit, capita earum mitris versicoloribus operuit, plurimumque picturae primus contulit.* et Iustini Lib. XXXVIII. 8. de Ptolemaeo Physcone: *Quam foeditatem nimia subtilitas perlucidae vestis augebat, prorsus quasi astu inspicienda praeberentur, quae omni studio occultanda pudibundo viro erant.* quae loca adscripserat Broukhusius. [*Burmann. ad Anthol. Lat. p. L.*] [O.] Eleganter de his vestibus etiam L. A. Seneca Lib. VII. de Benef. Cap. IX. *Video*, scribit, *sericas vestes, si vestes vocandae sunt, in quibus nihil est, quo defendi aut corpus aut denique pudor possit: quibus sumtis mulier parum liquido nudam se non esse iurabit.* [*Bosch.*] *vitream togam* appellat Varro Modio Satyro, *aranearum telas* Themistius in oratione ad Nicomedienses. [*Gonsal. de Sal.*]

VARIORUM ET EDITORIS ANNOTATIONES IN D. LABERII PROLOGUM ET SENTENTIAS.

PROLOGUS.

v. 1. *Necessitas etc.*] Optimum hoc Laberii carmen ediderunt H. Stephanus in Fragmentis vet. Poet. p. 283. Pithoeus post Lib. IV. Epigr. vet. Scaliger Lib. I. Catalect. p. 225. qui iambis Graecis illud reddidit in Poem. e Graeco versis p. 91. ed. Scriver. ita ut exstat apud Macrob. Lib. II. Saturn. Cap. VII. a L. Fruterio variis in locis emendatur in Epistola egregia ad Muretum, Grutero inter eius Philologicas praetermissa in Tomo V. Facis Criticae, quae edita est inter Mureti Epistolas Lib. I. Ep. 25. pag. 462. et 463. ed. Thomas. [*Burmann. Antholog. Lat. Tom. I. p.* 553.]

cursus transversi] Ita (Edit. Macrobii) Ascens. de anno 1519. Cam. 1533. *cursu aversu* Vesal. 1521. *cursu averso* Ald. 1528. [*Casp. Orell.*] *impetus cursus transversi* gravius et magis poetice pro cursu transverso simpliciter. [*Ziegler.*] *cursu* vel *cursum transversae impetum* legebat Heinsius. [*Burmann. l. l.*]

v. 3. *Quo me detrusit*] *detrusti* Scaliger pro *detrusisti*, ut Fortunam ipsam adloquatur, ut infra v. 16—21. [*Burmann. l. l.*]

extremis sensibus] Sensus extremi est ultima aetas, sensus enim *rationem, acumen, promtitudinem consilii et iudicii integritatem* notant, quae omnia in senibus deficiunt. Vide C. Barthii Adversar. Lib. XVI. C. 3. [*Ziegler.*] Fruterius ed. *extremis censibus*, ut intelligat praemium quingentorum millium, quo Laberium Romanum equitem invitaverat I. Caesar (quem v. 8. per *virum excellentem* indicat), ut ipse in scena mimos ageret, quos scripserat, ut ex Macrobio liquet. Ita *quotidianum censum laboris adsidui* pro reditu dixit Quintilianus Declam. XIII. 7. et sic *census* abierat in *sensus* apud Martial. Lib. IV. Epigr. 74. quamvis *extremis sensibus* etiam de aetate, senecta

intelligi posse addat Fruterius, sed alterum praefert. Pro vulgata tamen faciunt, quae habet Iac. Nic. Loensis Lib. VII. Epiphyll. 20. et sic senecta *fraudata sensibus aetas* dicitur Claudiano Bell. Get. 511. hinc cel. Oudendorpius hoc in loco legebat *exemptis* sive *ereptis sensibus* vel potius *externum* aut *extorrem sensibus*, ut *exsul mentis* Ovidio Lib. IX. Met. 409. vel denique:

Quo me detrusit paene ex mentis sensibus.

ut apud Apuleium Lib. III. Met. pag. 57. *exterminatus animi*, ut in editionibus vetustis et octo pluribusve MSStis legi monuit pro *externatus*, Graece ἔξω φρενῶν, sive, ut Libro V. p. 100. *extra terminum mentis positus*. Vide et Heinsii Notas ad Ovid. I. Met. 641. Detrusit igitur Fortuna Laberium *e mentis sensibus* sive *exterminavit animo*. Id viris doctis facile probatum iri confido. Barthii enim coniectura *extremis mensibus*, quam proponit Lib. III. Adversar. Cap. 16. paucis adrisuram opinor. Quod autem Pontanus in notis ad Macrob. scribat, Gellium super his Laberii versibus aliquid commentatum fuisse in Lib. VIII. C. 15. quae perierunt, titulis tantum superstitibus, facile ex ipso capitis argumento refellitur, in quo *ignominiatum* et *a Laberio male tractatum* Caesarem indicatur *versibus inibi appositis;* quae ad hos versus referri nequeunt, sed alios, quibus nimium dicacibus postea Caesaris iram forte provocavit Laberius, eiusque favore et gratia excidit, quo spectat forte sequens Epigramma. [*Burmann. l. l.*]

v. 4. *ambitio*] legitima honorum petitio. Opp. *largitio*, ambitus illegitimus. [*Ziegler.*]

v. 7. *Ut facile labefecit loco*] Deiecit de loco in pedestri oratione sonaret; sed simul innuere vult poeta, se cum dedecore de statu remotum esse; Principis enim preces, quae loco mandati erant, effecerant, ut personam Mimi equite indignam susciperet, adeoque laberetur. *ut* deest in quibusdam Macrobii exemplaribus. [*Idem.*]

v. 8. *mente clemente edita etc.*] Aliquid superflui his duobus versibus subesse cum Wielando confiteor. Sensus est: Antequam me ad ignominiam deprimere poterat tantus vir, ipsum ad preces descendere i. e. de dignitate sua aliquid detrahere oportuit. Attamen nec temere haec verba cumulata sunt: nam insueta et grata haec submissio Caesaris cuilibet persuasisset, adeoque ad se excusandum faciebant. Observandum autem praeterea, totum hunc locum tam blande et nitide esse expressum, ut summa aulicorum elegantia vix elegantiorem fingere potuisset. [*Idem.*] *Clementi* scribendum cum Heinsio. [*Burmann.*]

v. 10. *nihil*] Principatum nempe, summam fortunam. [*Ziegl.*]

v. 12. *Ego bis tricenis etc.*] Sic Edd. Ascens. Cam. Vesal. Collectio Pisaur. Tom. IV. p. 382. *Ergo* Gron. [*Casp. Orell.*] Sed *ergo* metro adversatur. [*Ziegler.*]

v. 13. *ex lare egressus meo*] *ex*, quod in Gronoviana editione deest, ex Collect. Pisaur. (et Scaligero) inserui. [*Casp. Orell.*] Meursius coniecit *lare degressus meo.* [O.] *e lare* Fruter. *vix lare* Heinsius. [*Burm.*]

v. 14. 15. *hoc die Uno plus vixi mihi etc.*] Maiorem nactus sum gloriam, quam ipse cupiebam, quandoquidem propter eam de loco equestri, quem teneo, detrudor. [*Ziegler.*]

v. 16. *in bono aeque atque in malo*] Pontanus deleri vult *aeque* citans Priapeiorum versum: *Quae succo caret atque petra pumex*, et abest revera in nonnullis Codd. [*Ziegl. et O.*] Non opus delere *aeque*. [*Burmann.*]

v. 17. *literarum laudibus*] Sic appellat existimationem, quam literarum studio et Mimis scribendis contraxerat. [*Ziegl.*]

v. 18. *Floris cacumen*] pro florenti cacumine, sed durius, quapropter Wielandus *florens* reposuit; idem antea Iusti Specim. Crit. C. I. fecerat. Hic construit *florere laudibus*, sicuti florere literis dicitur. Nostram lectionem crassum mendum vocat nunc primum animadversum, et ad ravim usque de sua emendatione clamat. At vero, si opus esset, nostram tueret; *floris* enim exquisitius positum pro florente cacumine, et in literarum laudibus bene procedit. [*Idem.*] *literati laudibus Floris etc.* Heinsius. Sed longe aliam lectionem refingit Fruterius hoc modo:

Si tibi erat libitum Ludionum lusibus
Florens cacumen nostrae famae frangere.

vel *Florum cacumen*, i. e. *floridum*, *florens*, etiam coniecit Heinsius. [*Burm.*]

v. 19. *praeviridantibus*] Vox novata atque translata ab arbore virenti, vigens viribus iuvenilibus integris. [*Ziegl.*]

v. 20. *tali*] δεικτικῶς pro tam magno, summo viro. [*Idem.*]

v. 21. *Non flexibilem me concurvasti*] Pergit in simili de tenera arbore sive virgulto desumto, quod ad fructus sive flores decerpendos flectimus. [*Idem.*]

ut carperes] Vesal. et Ald. *caperes*. [*Casp. Orell.*] Fruterius ex sua qua usus est editione adfert *ut caperes*, quod cum trimetri legibus adversaretur, coniiciebat *ut coeperas*. [*Burmann.*] Probo Iani Guilielmi coniecturam *paceres* (antique pro *pangeres*, vide Fest.). Sciunt enim res rusticas callentes, tenerarum arborum ramos decerpi aut curvari, ut pangantur novae. Et tale in se debuisse fieri ait Laberius, dum adolescentia mollis et flexibilis esset. Nam nunc, inquit, cur deiicior, hoc est in humum et scenam a dignitate equestri deprimor, cum suppullulare elegantia nulla possit. Sed operae est ipsum adiisse Guilielmum. [*Pontan.*] At nihil mutandum. Nam vulgata lectio satis aptum sensum praebet, immo plus fellis et acrimoniae habet in Caesarem. [O.]

v. 22. *me quo deiicis*] Asc. *deiicis quo*. [*Casp. Orell.*] Sic et Pithoeus. Male. [*Burmann.*]

quid ad scenam affero etc.] Non absimilis fuit Catonis ad Servium Galbam oratio: *Multa me dehortata sunt huc prodire, anni, aetas, vox, vires, senectus.* Exstat apud Agellium. [*Pontan.*]

v. 24. *animi virtutem*] i. e. vigorem animi intrepidi. [*Ziegler.*]

vocis iucundae sonum] Ergo etiam vox canora et suavis ad actoris praestantiam faciebat, dum canticum ageret. [*Idem.*]

v. 25. *hedera serpens*] Sic auctor Elegiae in obit. Maecen. v. 64.

Serpentes hederae vix habuere locum. [*Burm.*]

vires arboreas necat] Reponendum puto *secat:* (et sic etiam Pontanus citans Iuvenalis verba:

Necat hic ferro, secat ille cruentis
Vulneribus.

et Catulli Epigr. 3. ad Viron.:

Aut si quem merito tarda podagra secat. O.)

nihil enim solemnius, quam ut verba similiter terminantia a librariis confusa sint, quare sequens *enecat* ad versum antecedentem aberrasse videtur. [*Ziegl.*] *Secat* probatur etiam Broukhusio: quia hedera in arboribus sulcos imprimit et corticem quasi aratro quodam conscindit. Cl. Oudendorpio placebat *terit* vel *comest*, ut supra Epigr. XCII. 22. (in Anthol. Lat. Lib. III.):

Qui semper lacerat comestque mentem. [*Burmann.*]

Equidem nihil puto mutandum. Sic enim *mori* et *emori* in eodem versu bis offendimus apud Publium Syrum, et *secat*, quod de flagellis vel morbis dolorem acerrimum excitantibus dixerunt poetae, (inprimis de *podagra*, quam cum facium ac flagellorum doloribus comparat Lucianus in Tragopodagra init.) quos citavit Pontanus, minus aptum de hedera, quam *necat*, i. e. facit, ut moriatur arbor, succis scil. ademtis, *er macht, dass der Baum abstirbt.* Et optime Wielandus: *durch Umarmen das Leben raubt.* [O.]

v. 26. *enecat*] Sic Gronov. Pisaur. autem *necat.* [*Casp. Orell.*] Omnino legendum *enecat* ad vitandam ingratam repetitionem v. *necat.* [O.]

v. 27. *Sepulcris similis*] Sic Editt. laudatae et Pisaur. Gronovius et Pithoeus *sepulcri.* At in externa similitudine dativum praeferunt Grammatici. [*Casp. Orell.*] Sic et Scaliger in Versione Graeca: *Τάφοις ὅμοιος.* Stephan. *sepulcra.*

nihil nisi nomen retineo] Corpus fere abest. Sic apud Ovidium:

Et saepe in tumulis sine corpore nomina legi. [*Ziegl.*]

Non possunt primi esse etc.] Ita hos versus edidit Scaliger in Catalect. p. 195. Pithoeus in fine Lib. IV. Epigr. vet. ante Culicem et H. Stephanus in Fragm. vet. poet. pag. 284. qui exstant ibidem apud Macrobium Lib. II. Saturn. Cap. 7. ubi in penultimo versu editur:

Consistes aegre, et quam descendas decides.

quod frustra tuetur Pontanus, a quo prolatus Senecae locus vindicat lectionem a Stephano et Pithoeo exhibitam *citius quam ascendas decides.* Ita enim ille: *Ad summum perducta rursus ad infimum, velocius quidem quam descenderant, relabuntur:* neque enim *revelluntur* emendare ibi opus est. *Consistas* Heins. *ascendis* Scaliger. In fine *laus publica* est quae ad omnes pertinet, ut adscripserat Francius, sed dubito, an *laus* hic praecedentibus conveniat, et forte legi posset *sors est publica*, id est *consistere et cadere*, in rota Fortunae vo-

lubilis *sors publica* sive communis hominum conditio est. [*Burmann. ad Anthol. Lat. Tom. I. pag.* 555.]

libertatem perdidimus] Sic recte Edd. veteres. *perdimus* Cam. vulgo. [*Casp. Orell.*]

In fragmenta moralia.

1. *emplastrum aeris alieni*] i. e. remedium, quo se homines (improbi scil. et fallaces) abnegantes debitum a solvendo liberare conantur. [O.]

2. *ebriacus*] Georg. Fabricius in Sententiarum Sylloge ed. *ebriosus.* Passeratius mavult *ebriatus*, probante Mercero. Sed praeferendum *ebriacus* antiquioribus usurpatum. Ceterum crapulam somno curari docet experientia. [O.]

3. *Sequere in latrinam etc.*] Scomma acerbissimum in Cynicorum sordes. [O.]

6. *Virum tu hunc gruem etc.*] Videtur esse scomma in hominem superbum et fastuosum. [O.]

7. *Aequum animum etc.*] Versus est trochaicus. Sensus: *Contumeliosus sermo iniquat*, h. e. *iniquum facit et incitat aequum etiam animum, si accesserit indignatio.* [*Georg. Fabric.*]

8. *a lanicia Attica*] Utrumque *lanicia* et *lanicium* usurpatum antiquis, teste Nonio. *lanicium* in gen. neutro legimus apud Arnobium Lib. I. Cap. XI. et Lib. XVII. Cap. XVI. ubi vide quae adnotavimus Tom. II. pag. 410. [O.]

vestim] Ita Zieglerus. Nonius (ed. Merceri) habet *vestigium.* [O.]

9. *Democritus etc.*] ex Gellio Lib. X. Cap. 17. edidit H. Stephanus inter Fragm. vet. poet. pag. 142. sed qui versibus longe aliter dispositis exhibuit. (metro adversante. O.) [*Burmann. ad Anthol. Lat. Tom. I. pag.* 405.]

Clypeum constituit] concavum, splendicans. [*Ziegl.*] *Hohlspiegel.* [O.] Plutarchus appellat ἔσοπτρα πυρωθέντα, atque ex eorum refractione caecitatem quosdam sibi conciliasse ait. Vitra utique concava et specula soli opposita facile ignem concipiunt. Pelvis quoque aerea splendicans radiis solis obiecta si firmo obtutu aspiciatur, noxia oculis et caecitatem inducere potest: sicuti historiae referunt, eos, qui ex tenebris subito splendorem lucis et solis aspiciunt, videndi usum amisisse. [*Gronov.*]

contra exortum Hyperionis] i. e. ex adversa solis parte posuit. Hyperion pro sole centies apud poetas. [*Ziegl.*]

oculos effodere] Paulo audacius pro *obtundere aciem oculorum, hebetare.* [*Idem.*]

Ita radiis solis aciem effodit luminis] Lambinus ad Lucretium Lib. IV. v. 325. legit:

Radiis solis sibi aciem effodit luminis. [*Burm. l. l.*]

Sic ego] In Cod. Vossiano scribitur: *Si cito fulgenti*, forte pro *sic cito fulgenti.* [*Idem.*]

fulgentis splendorem pecuniae] Nonius *splendore.* Vett. Codd. *splendore in pecuniam* (Lambin. *splendore fulgentis pecuniae*). Sed nostra lectio sine dubio est doctior, subint. κατά. [*Idem.*] Lambinus l. l. *Sic ego splendore fulgentis pecuniae.* [*Burm.*]

elucificare etc.] Nonius adducit quoque (forte ex Gellio) hunc locum, et vett. edd. ibi *lucificare*. Sed nulla amplius comparatio. *Elucificare* dixit pro luce privare et *exitum aetati* pro aetate decrepita. Sensus: *Ego senex volo diffundere opes meas, ne heres nequam iis laetetur et bonis male utatur.* [*Idem.*] Alii *ludificare*. Turneb. *luscificare* Lib. XXVIII. Advers. Cap. 32. (Lambinus *eludificare*, quod Burmannus operarum vitio editum putat pro *elucificare*, quod habet Nonius Marcell. pag. 106. O.) Mox *aetatis* pro *aetati*. [*Sciopp.*] *exitium* habent ed. Gellii Ald. et Iunt. Vide tamen quae adnotavimus ad Publ. Syr. Sent. 314. [O.]

esse videam] Lambin. *videam esse*. [*Gron.*]

In Sententias M. Terentio Varroni falso attributas.

1. *dante*] Scrib. *danti.*

8. *dicam*] Scrib. *dicat.*

14. *ignoscere se paupertati*]. Verba corruptissima et sensu cassa. Legendum videtur *assuescere paupertati*, i. e. adeo parce et sobrie vivere, quasi sis pauperrimus.

15. *sic se esse*] Delendum *sic*.

INDEX I.

VERBORUM ET LOCUTIONUM NOTABILIORUM IN PUBLIO SYRO ET LABERIO OCCURRENTIUM ET IN NOTIS AD EOS ILLUSTRATARUM.

(Numeri simplices designant Publii Syri sententias, *Syr. Petr.* Publii Fragmentum ex Petronio, *Laber. Prol. Fr.* Laberii Prologum et Fragmenta. *Not.* significat, vocabulum in textu non legi, sed in Notis explicari.)

INDEX II. MORALIS

IN OMNES SENTENTIAS HOC VOLUMINE CONTENTAS.

(P. denotat Publii Syri sententias, *sp.* sententias spurias, eidem Publio, sed falso, attributas pag. 58. et seqq. L. Laberii Fragmenta. V. paucas sententias, quae attribuuntur M. Terentio Varroni. F. sententias variorum e collectione Georgii Fabricii. C. Ioachimi Camerarii sententias, *sept.* eiusdem sententias septenarias, *mon.* eiusdem Monosticha. A. Isai Anysii sententias. *Sc.* Scaligeri Iamborum Gnomicorum capita. M. Mareti Institutionem puerilem.)

ADDENDA ET CORRIGENDA

IN NOTIS.

Pag. 196. post lin. 5. insere haec:

Exseritur (i. e. *nudatur*, *aperitur*, *manifesta fit*) edidit Gruterus, de quo verbo vide inprimis P. Burmann. II. ad Antholog. Lat. Epigr. Tom. I. pag. 335. Sed *Exoritur*, quod in nostra editione excusum est, genuina videtur lectio. *Exoriri* scil. eleganter dicuntur ea, quae abdita antea erumpunt tandem et in lucem quasi prosiliunt, *ausbrechen*, *hervorspringen*. Vid. I. Ch. G. Ernesti in l. t. *Lateinische Synonymik* h. v. Tom. II. pag. 30. Ita Cicero pro Cluentio C. 6. *Repente est exorta mulieris importunae nefaria libido*. Quid quod exoritur multo est significantius et melius respondet sequenti *incipit*, quam *exseritur*. Vertendum igitur:

Schlechtigkeit springt aus der That hervor, nimmt nicht
mit ihr den Anfang. [.]

Pag. 203. post lin. 20. insere Notam sequentem:

252. *Gemitus dolores indicat, non vindicat*] *vindicat* h. l. i. q. *aufert*, nihil amplius: quod insolentius dictum pro *vindicat te a doloribus*. [O.]

Ibid. lin. 34. post v. *Mallem tamen priorem*. [*Tzschuck*.] — adde — *Praeiudicium* h. l. bono sensu (in sequente versu malo). Asconius in Cic. Divinat. pag. 21. ed. Cren. *Praeiudicium dicitur res, quae cum statuta fuerit, affert iudicaturis exemplum, quod sequantur, iudicium autem res, quae causam litemque determinat*.

Pag. 216. lin. 42. post v. *Exempla trahunt*. [O.] — adde — In eandem fere sententiam Cicero ad Quint. Fratr. Epist. 3. sub fin. *Ipse puer declamatorio illo genere delectari videtur, in quo quoniam ipsi quoque fuimus, patiamur illum ire nostris itineribus*. [O.]

Pag. 221. lin. 5. quem tamen in omnibus Publii editionibus frustra quaesivi — Haec ita lege:

qui trochaicus est. Iambum idem dicentem habemus infra v. 515.

Nunquam periclum sine periclo vincitur.

Pag. 228. lin. 21. post v. — p. 66. ed. Arntzenii — insere haec: et inprimis C. A. Duker. de Latinitate ICtorum pag. 33.

Pag. 232. post lin. 52. adde Notam sequentem:

478. *Nil posse quenquam, mortuum hoc est vivere*] *Nil posse* i. e. neque opibus, neque potestate valere, *schwach, unvermögend seyn*. Schwarzius vertit:

Nichts können heisst mit Recht ein todtes Leben.

Malim:

Wer nichts vermag, ist so viel als lebendig todt.

Annon pro *quenquam* legendum *quidquam*? [O.]

Pag. 243. post lin. 20. insere verba sequentia:
Schwarzius vertit:
Leicht thut der Glückliche, was er nur wünscht.
Malim: *wozu sein Wunsch ihn treibt.* Possit etiam defendi lectio *quod vota impetrant* pro *quod votis impetravit*, a diis scil. [O.]
Pag. 254. lin. 20. Mala et contra metrum — Haec verba delenda.
Pag. 256. lin. 27. 28. — Metro soluto — lege — Trochaicum exhibet.

N O T A E

in Cn. Mattii versus pag. 73.

Hos versus e variis A. Gellii Capitibus in breve carmen coniunxit P. Burmannus II. in Anthologia Latinorum Epigramm. Lib. III. No. 189. Tom. I. pag. 630. praemissis duobus versibus e Macrobio II. Sat. Cap. IV.

Nuper die quarto et recordor, et certe
Aquarium urceum unicum domo fregit.

quos, cum non cohaereant cum sequentibus, omittendos duximus, ut et illos, quos e variis scriptoribus collectos addidit Zieglerus in Disputatione de Mimis Rom. p. 67.

Dein coquenti vasa cuncta deiectat
Nequamve scitamenta pipulo poscit.

et:

Hortos meos plus stercoro quam holero.

In nostro Fragmento versum 1. Zieglerus putat ex Iliade Homerica versum. *recentari* verbum novatum pro ἀνανεοῦσθαι.

3. *edulcare*] pro ἡδύνειν, dulcius reddere. [*Ziegl.*] Conf. Non. in *Edulcare* et Savaron. ad Sidon. Lib. V. Epist. 4. pag. 323. [*Burm.*]

4. *sensibus*] i. e. voluptatibus sensuum (*durch sinnliche Genüsse*). pro *gubernare* Nonius habet *gubernasse*. [*Burm.*]

5. *recipere*] Vossius mavult *reficere*. [*Ziegl.*]

6. *conserere*] H. Stephan. *conserens*. [*Burm.*]

columbatim] i. e. more columbarum, quod fiebat labris collisis. Vid. Martial. Lib. XII. Epigr. 66. [*Ziegl.*] Sic in Carmine lyrico ad Lydiam v. 14.

Da columbatim mitia basia.

Rutgersius coniiciebat:

Et labra labris consereris columbatim.

Ego mallem:

Sinuque amicam recipe frigidam caldo
Et labra labris consere columbatim.

Quod et metrum requirere videtur. Sunt nempe versus iambici Hipponactei sive scazontes. [*Burm.*]

7. *ebrii*] qui multum coloris potaverunt. De lana colore infecta apud poetas vulgo usurpatur hoc epitheton. [*Ziegl.*]

fuco] i. e. colore rubeo, quem tingit fucus marinus (φῦκος). [*Idem.*]

8. *venenavit*] i. q. colore tinxit. Venenum ipsum pro colore ponitur, ut apud Graecos φάρμακον ἀντὶ τοῦ βάμματος. [*Idem.*]

IN MONOSTICHA DE MORIBUS.

(Pag. 117. seq.)

Monosticha haec incerti poetae veteris post Pithoeum Lib. I. Epigr. vet. pag. 23. et Daumium inter Catonis Disticha et S. Columbani carmina pag. 123. edidit idem Burmannus in Anthol. Lat. Lib. III. No. 110. Tom. I. pag. 571. [O.]

12. *defer*] Cod. Petav. *differ.* [*Burm.*]

18. *tanto moderatior esto*] Apud S. Columbanum, ubi idem versus exstat, legitur: *tanto tu cautior esto.* [*Idem.*]

21. *Quemlibet*] Legendum cum Heinsio ad Ovid. Epist. VI. 140. *Quamlibet*, i. e. *quantumlibet.* [*Idem.*]

24. *Fac quae te par sit*] *quod te* in Cod. Petav. unde recte Heinsius: *Fac tibi quod par sit.* [*Idem.*]

25. *Dissimilis cunctis est vultus etc.*] Melius in Cod. Petav. ni fallor:

Dissimilis cunctis vox, vultus, vita, voluptas. [*Idem.*]

26. *Ipsum se cruciat etc.*] *te vindicat invidus in se* Cod. Petav. quod nescio an non acutius sit et indicet, non opus esse vindictam de invido sumere, quum nos satis ipse in se vindicet, quia sibi poena semper ipse est. [*Idem.*]

IN BASILII CARMEN DE VENERE ET VINO.

Elegans hoc Epigramma ab aliis ipsi Virgilio tributum, post Pithoeum l. l. et Scaligerum edidit idem P. Burmannus l. l. III. Ep. 85. pag. 539. [O.]

3. *copia vini*] Cod. Vossian. *copia Bacchi.* [*Burm.*]

4. *Et tentat*] Heinsius mavult *Attentat* vel *Attenuat* vel etiam *captat.* Almeloveen. *Et lentat.* Sed *tentat* unice vera lectio est, quam probavit Gisb. Cuperus in Epist. ad Almelov. in Miscell. Lips. nov. P. II. p. 545. loco Virgiliano Georg. II. 94.

Tentatura pedes olim vincturaque linguam. [*Idem.*]

7. *ciet*] ita Cod. Voss. bene, pro *movet.* [*Idem.*] Sic *ciere pugnam* pro *movere* apud Livium et alios.

10. *At Lapithas etc.*] Virgil. VII. Aen. 305.

— — — — — — *Mars perdere gentem*
Immanem Lapithum voluit.

Conf. Horat. Lib. I. Carm. XVIII. 6. [*Idem.*]

11. *furiavit*] Verbum Horatianum Lib. I. Od. XXV. 15, ubi tamen *furiare* novum verbum esse notat Acron. [*Idem.*]

16. *hos fines transiluisse nocet*] Vicent. Brix. et Iunt. hunc in modum:

Sed fines horum transiluisse nocet.

vitiose in Veneta:

Serva fines horum, transiluisse nocet. [*Idem.*]

IN CARMINA DE VITA TRANQUILLA.

I. Apud Burm. in Anthol. Lat. Lib. III. Epigr. LX. pag. 497. seq.

1. *Est mihi rus parvum etc.*] *rus modicum* coniiciebat Francius, sed quod a vulgata nimis recedit. Cogitabam aliquando:

Fert mihi rus parvum foenus sine crimine parvum.

Notum illud Horatianum Epod. 2.

Beatus ille, qui procul negotiis etc. [*Burm.*]

3. *Pacem animus nulla trepidus formidine servans*] In Codice Vossiano et Schedis Scaligeri:

Pacem animus nulla trepidas formidine servant
Nec timeat etc.

unde legendum:

Pacem animus nulla trepidans formidine servat
Nec timet ignavae etc.

quod vulgata longe elegantius. [*Idem.*]

6. *mente movet*] Optime Heinsius *mente fovet.* Albinovan. Eleg. ad Liv. v. 37.

Gaudia vana foves; spem pone, miserrima, falsam. [*Idem.*]

II. Apud eund. Burm. Lib. III. Epigr. LXV. pag. 508.

7. *submittent corda*] Legendum ex Schedis Scaligeri:

— — — *submittent colla leones.* [*Idem.*]

10. *comis*] Ita Vossii Codex et Scaligeri Schedae. Alii *trocis.* [*Burm.*]

III. Hoc Epigramma in tria distinxit Burmannus l. l. ibid. alterum incipiens a versu 5. tertium a 10. [O.]

7. *longe vivus cole*] Inepta et sensui contraria lectio. Legendum:

— — — — *longe vivus fuge.* [*Burm.*]

9. *In plano tua sit semper fortuna etc.*] *In plano semper tua fortuna* Cod. Voss. et Schedae Scaligeri. [*Idem.*]

10. *Noveris*] Heins. *Foveris* bene. [*Idem.*]

IV. *Vive et amicitias omnes fuge etc.*] Heinsius sic legit:

Vive et amicitias omnes fuge, verius hoc est
Quam: Regum solas, i, fuge amicitias. [*Idem.*]

Verius h. l. i. q. *melius, rectius.* Vide supra ad Publ. Syr. Sent. 771. [O.]

3. *Est mea mors testis*] Lege cum Heinsio *En* vel *Est mea sors testis.* [*Burm.*] Non mutanda vulgata lectio. Est scil. hoc Epigramma Epitaphium ruina domus suae obruti. [O.]

V. v. 4. *pretiosa locum*] *lacum* legitur apud Pithoeum in marg. ut sit fundus balnei sive piscinae. Sed *solum* defendit Burmannus loco Tibulli Lib. III. Eleg. III. 16.

Quidve domus prodest Phrygiis innixa columnis,
Taenare sive tuis, sive Caryste tuis?

Et nemora in domibus sacros imitantia lucos,
Aurataeque trabes, marmoreumque solum?

ubi Heynius intelligit pavimenta tessellata sive musiva. [O.]

5. *Atria quod circa*] Heinsius coniiciebat: *Atria quod citro.* sed circa atria pro in atriis vel maxime conspicua atrii parte. [*Burm.*]

6. *malesane*] Sic Renouard. Cod. Voss. *nempe batate.* Scaliger *nempe batave* vel *beate.* Vossius in Not. ad Catull. pag. 321. legit *baratre.* Balatrones enim vel *baratrones* veteribus dicti nugatorii homines, quos aversabantur ut baratro dignos. Vide Scaliger. ad Varron. de R. R. p. 224. Casaubonus in marg. *Batale.* Ipse Burmannus sequutus patruum suum ad Ovid. I. Amor. VIII. 65. edidit *beate*, ut sit per ironiam dictum de divite, opulento. [O.]

7. *claudant*] Forte *condant.* [*Burm.*]

ERRATA

IN TEXTU.

Pag. 9. v. 100. ἀπαντῶν lege ἀπαντῷν.
— 32. — 478.
Nil posse quenquam mortuum, hoc est vivere.
Lege:
Nil posse quenquam, mortuum hoc est vivere.
Pag. 46. v. 695. Rogari l. Rogare.
— 80. — 6. *turbatus conscientiae malae* l. *turbatur conscientia mala.*
— 85. lin. ult. *re adiuvat* l. te adiuvat.
— 88. v. 156. meriri l. mereri.
— 96. lin. 10. ant ue l. antique.
— 103. v. 337. cupida l. cupita.

IN NOTIS.

Pag. 163. lin. 47. Sic est l. Sic et.
— 164. — 30. a creditore l. a debitore.
— 166. — 54. videre l. ridere.
— 189. — 11. Trochaicus l. Trochaicos.
— 195. — 20. *exstet* l. *exstat.*
— 198. — 8. *absondit* l. *abscondit.*
— 213. — 34. In vita l. In vitia.
— 217. — 51. habeant homines l. habeant homines fidem.
— 220. — 8. Expertis l. Excerptis.
— 222. — 1. *gerimus, quicquid* l. *gerimus sive agimus quicquid.*
— 226. — 30. *rescire* l. *nescire.*
— 228. — penult. nuli l. nulli.
— 234. — 16. *maxime* l. *maximo.*
— 240. — 39. 40. *inducat* l. *indurat.*
— 257. — 35. *Rogari* l. *Rogare.*
— 273. — 13. Miserum l. Miseriam.
— 281. — 45. quis oderis, laederis l. quia oderis, laedere.

SVPPLEMENTVM
EDITIONIS LIPSIENSIS NOVISSIMAE
SENTENTIARVM
PVBLII SYRI ET D. LABERII

CONTINENS

EMENDATIONES ET ANNOTATIONES

F. H. BOTHII ET CENSORIS HEIDELBERGENSIS

NEC NON

SENTENTIAS NOVAS PLVS QVAM CCC

A BOTHIO COLLECTAS

EDIDIT

ET SVARVM NOTARVM ADDITAMENTA INSERVIT

IOH. CONRADVS ORELLIVS

PAROCHVS AD AEDEM SPIRITVS SANCTI ET COLLEGII
CAROLINI TVRICENSIS CANONICVS

LIPSIAE

SVMTIBVS FREDERICI FLEISCHERI

MDCCCXXIV

PRAEMONITVM.

Biennio fere exacto, ex quo, nundinis scilicet vernalibus anni 1822. sumtibus Frederici Fleischeri viri honestissimi Lipsiae e prelo exiit nostra editio Sententiarum Publii Syri et Laberii cum aliis veterum aeque ac recentiorum Gnomicorum Opusculis, ecce in lucem prodit Tomus Vtus Poetarum Scenicorum editorum a Fred. Henr. Bothio, in cujus Parte posteriore vir doctissimus et rei metricae peritissimus dedit novam plane harum sententiarum recensionem, in qua, paucissimas intactas relinquens, plures emendavit egregie, alias autem, ut nobis quidem videbatur, mutavit audacius, nimis rigide singulos versus ad perfectissimam metricae venustatis regulam exigens. Sed, quae praecipua hujus editionis dos est, continet illa sententias novas 326. ab eodem viro doctissimo collectas, plerasque, quod nollem factum, ex ignotis nec indicatis fontibus (fortassis e Codice aliquo Publii pleniore, qualem Veronae in Italia exstare testatur Scipio Maffeus in lit. Osservazioni letterarie T. I. p. 50.) alias autem haustas ex Ioachimi Camerarii et Iani Anysii a nobis editis sententiarum collectio-

nibus, quos duumviros doctos suspicatur plura ex antiquis Codicibus hausta pro suis venditasse, quod tamen inprimis de Ioachimo Camerario viro non solum doctissimo, verum etiam candidissimo et a talibus fucis alienissimo merito dubitare licet. Quid quod et ipse Bothius vetustatem istarum sententiarum suspectam habens dedit eas cum uncinis inclusas, tum nullis versuum numeris insignitas. Haec itaque omnia cum iis, quae continebantur in Censura nostrae editionis inserta Annalibus litterariis Heidelbergensibus (1823. No. 40. et 41.) ab eodem, ut videtur, Bothio profecta, maxima qua fieri potuit, diligentia excerpsimus, additis iis, quae ipsis nobis ex iterata adnotationum nostrarum et subsidiorum ad eas adhibitorum lectione vel corrigenda vel accuratius explicanda succurrebant, ne quid desideraretur ad editionem Publii, omnium quae hactenus lucem viderunt plenissimam et cum criseos tum interpretationis subsidiis instructissimam. Vale, benevole lector, et nostris laboribus fruere.

Turici Helvetiorum,
4. Februarii 1824.

CURAE SECUNDAE

IN

PUBLII SYRI SENTENTIAS.

B. designat Annotationes Bothii, C. H. Censoris Heidelbergensis, O. Io. Conr. Orellii.

Vs. 1 — A morte semper tantundem homines absumus.

Minus rectum est, quod habent libri: *homines tantundem:* nam sub ictu praecipuo poni oportebat vocabulum gravius *tantundem.* [B.] Sententiam quod attinet, egregie Seneca Epist. 49. *Erras,* inquit, *si in navigatione tantum existimas minimum esse, quo a morte vita diducitur. In omni loco aeque tenue intervallum est. Non ubique se mors tam prope ostendit, ubique tamen prope est.* [O.]

Vs. 2 — Ab altero exspecta, alteri quod feceris.

Vulgo legitur: *Ab alio exspectes;* sed in quibusdam exemplaribus *Ab altero exspectes,* cum poeta procul dubio scripsisset: *Ab altero exspecta,* sententia quidem longe concinniore. [B.] Adagium ex Suida

Δίκη δίκην ἔτικτε καὶ βλάβην βλάβη.

Bene Weber: *Was andern du gethan, Dich auch betreffen kann.* [O.]

Vs. 5 — Ad calamitatem quilibet rumor valet.

Versus senarii, quales sunt hic aliique, qui Graecorum ex regula facti sunt, ut Senecae, utpote imparibus tantum locis habentes spondeos et pedes τετρασήμους, vix est ut ad Syrum referri possint, qui hujus rei aeque liber est, atque Plautus Terentiusque et veteres Tragici. [B.]

Vs. 8 — Adulter est uxoris amator acrior.] Emendanda versio Weberi:

Es buhlt mit seinem eignen Weib,
Wer mehr als recht liebt ihren Leib. [B.]

Vs. 14 — Alienum est homine, quidquid optando venit.] Libri

Al. est omne, quidquid o. v.

quod vereor ut sit latinum. Passim commutata inter se haec vocabula. [B.]

Vs. 17 — Amans quid cupiat, scit; quid sapiat, non videt.
Meliora edoctus retracto jam meam conjecturam: *quid capiat.* Imo bene habet *quid sapiat*, hoc sensu: *Amans scit quidem, quid cupiat, utrum vero sapienter id cupiat, an stolide, non videt.* Nec male Weberus:

Die Liebe weiss ihr Freud,
Nicht aber ihr Thorheit. [O.]

Vs. 25 — Amicis eo non dees magis, quo nihil habes.
Insulse libri: *Amicis eo magis dees* (des) *quo nihil habes.* [B.] Sensus itaque: *Quamvis nihil habeas* (pecunia careas) *eo non magis dees amicis* i. e. alia ratione illis opitulari poteris. [O.]

Vs. 28 — Amicitiae unicum est fides coagulum.
Sic melioribus numeris edidit Bothius. Libri:
Amicitiae coagulum unicum est fides.

Vs. 30 — Amici vitia si feras, facies tua.
Ita legendum, non *facis*, ut Edd. habent. [B.]

Vs. 32 — Amicum, an nomen habeas, aperit calamitas.
Similiter Ennius: *Amicus certus in re incerta cernitur.* [B.]

Vs. 33 — Amicum laedere nequidem joculo licet.
Libri debilibus numeris *Am. l. ne joco quidem licet.* [B.] Deminutivum *joculus* i. legimus apud Plautum aliquoties, e. c. Mostell. III. 3. 20.
Ego ne te joculo modo ausim dicto aut facto fallere,
et Merc. V. 4. 33. *Iocule dicere aliquid.* [O.]

Vs. 37 — Amor extorqueri non pote, elabi pote.] Ovid. Art. am. II.

— — — — — — *Lentescunt tempore curae*
Vanescitque absens, et novus intrat amor.

Bene Weber: *Du kannst nicht mit Gewalt abhalten*
Die Lieb: doch thut sie selbst veralten.

Conf. sententiam proxime sequentem.
Amori finem tempus, non animus facit. [O.]

Vs. 42 — Amor, ut lacrima, oculis oritur, in pectus cadit.]
Hunc versum tanquam insulsissimum exulare jussit Bothius, in quo me consentientem non habet. Imo elegans et ingeniosa videtur sententia, quam ex parte exprimit ipse Socrates apud Xenophontem Mem. III. Cap. XI. §. 3. *Ἡμεῖς δὲ ἤδη τε, ὧν ἐθεασάμεθα, ἐπιθυμοῦμεν ἅψασθαι, καὶ ἄπιμεν ὑποκνιζόμενοι, καὶ ἀπελθόντες ποθήσομεν.* nec non Maximus Tyrius *Ἀρχὴ δὲ αὐτοῦ* (scil. *τοῦ ἔρωτος*) *ἄνθος σώματος ἐρχόμενον εἰς ὀφθαλμοὺς, καὶ δι' αὐτῶν ἐπὶ τὴν ψυχὴν ῥέον· ὁδοὶ γὰρ κάλλους οἱ ὀφθαλμοί.* quem locum cum nube aliorum exemplorum citavit Gruterus. [O.]

Vs. 49 — Animus sibi hominis quidquid imperat obtinet.
Ita Bothius melioribus numeris pro *Animus hominis, quidquid sibi i. o.*

Vs. 50 — Annosus non diu vixit, diu fuit.
Hunc versum sub littera D. sic edidit Bothius:
Diu non vixit, sed diu annosus fuit.

Vs. 53 — Arcum intensio frangit, animum remissio.
Bothius sub littera R.
Remissio animum frangit, arcum intensio.

Vs. 54 — Ars non ea est, quae casu ad effectum venit.
Ita Both. venustioribus numeris pro:
A. n. ea est, quae ad effectum casu venit.

Vs. 56 — Avaro quid mali optes, nisi Vivas diu.]
Sic omnino legendum cum Bentlejo pro *nisi ut vivat diu.* Casaubonus ad Persii Sat. IV. 27.
Hunc ais? hunc diis iratis genioque sinistro
hanc sententiam adscribit Laberio. [B.] Fortassis in Syri Mimo deperdito sermo fuit de avaro haereditati alienae inhiante, ut verba *vivas diu* referantur ad eum ipsum, qui optat, ut tu ipse diu vivendo illum in exspectatione hereditatis eludas. *Quid mali* i. q. *quid pejus.* Positivus pro Comparativo metri causa. Ceterum quae carpit Censor Heidelb., tangunt C. G. Antonii notam, non meam. [O.]

Vs. 57 — Avarum facile capias, ubi non sis item.
Ita Bothius pro *ubi non sis idem.* Quae correctio defendi possit loco Ciceronis II. Att. Epist. 21. *Spectaculum uni Crasso jucundum, ceteris non item, οὐχ ὁμοίως, non così.* Sed num *item esse* Latine dicatur pro eodem modo affectum esse equidem maximopere dubito. [O.]

Vs. 67 — Auxilia humilia firma consensus facit.
Bothius *Auxilia firma humilia consensus facit.* Minus clare, et praefero equidem correctionem T. Fabri *Auxilia infirma firma c. f.* Non male Weberus:
Einträchtig bey einander seyn
Macht gross die Hülf, die sonst war klein. [O.]

Vs. 76 — Beneficium dignis ubi des, omnes obligas.]
Languide libri *obliges.* [Both.]

Vs. 84 — Benignus etiam causam dandi excogitat.
Ita Godofredus. Vulgo *dandi causam cogitat.* [B. et C. H.]

Vs. 85 — Bis est mori alterius arbitrio mori.
Legebatur ante Gudium ad Phaedri Fab. I, 6. *Bis enim mori est a. a. m.* Dedit ille, quod nunc legitur: *Bis emori est* etc. Sed rectius est *mori* utroque loco. [B.] Mihi videtur significantius *emori*, eo sensu, quo in Notis explicavi. [O.]

Vs. 93 — Bona imperante animo fiet pecunia.
In hac lectione utrum magis vituperes verba, an metrum nescias. Emendare studuimus corrupta et supra posuimus sub Littera A.
Animo imperante fit bonum pecunia.
Nec non huc referas vocem istam avari Euripideam apud Senec. ad Lucilium.
Bene moritur, quisquis moritur, dum lucrum facit. [B.]

Vs. 94 — Bona mors est homini, vita quae extinguit mala.
Frustra Bentl. *Bona mors est omnis etc.* Vulgo *Bona homini mors est v. q. e. m.* [B.]

Vs. 97 — Bona quae vehunt, nisi sustineantur, opprimunt

Libri et pravis numeris et minus perspicua sententia: *Bona quae veniunt, nisi s. o.* Non semel confusae *h* et *n* litterae in libris. Sententia haec est: eas res, quas vehant sive afferant bona fortunae, honores atque dignitatem, nisi recte sustineantur, opprimere possidentes. Horat. III. Od. XXIX. 47.

Quod fugiens semel hora vexit. [B.]

Defendi potest vulgata lectio. Ipsa bona fortunae quae veniunt, i. e. nimium abundanter affluunt, nisi sustineantur scil. moderatione et recto usu, possidentes opprimunt. Nam paullo ante Vs. 93. dixit Publius *Bona imperante animo fiet pecunia*, quod etiam contrariam sententiam involvit *mala autem fiet, non animo sed libidine imperante*, et infra Vs. 161. legimus

Damnum, nisi ex abundantia, raro venit.

quia scil. opulenti saepissime abutuntur suis divitiis, easque luxu et prodigalitate disperdunt. [O.]

Vs. 99 — Bona turpitudo est, quae periclum vindicat.

Ita scribendum cum Bothio et C. H. pro *periculum* flagitante metro: et sic etiam Vs. 114, 121, 422, 530, 828. [O.]

Vs. 101 — Bonis nocet, quicunque malis perpercerit.

Vulgo *quisquis pepercerit malis*, qui versus caret caesura. [B.]

Vs. 103 — Bono justitiae proxima est severitas.

Tanquam ministra illius, ut ait Zwinger: *Nam pauciores boni futuri sunt, si liceat impune malis esse.* Et recte Sallustius in Iugurth. C. 31. *Vos hominibus sceleratissimis ignoscere aequo animo paterer, nisi misericordia in perniciem casura esset.* Cum quo consentit et Cassiodorus VIII. Ep. 27. *Severitas publica, sicut ab innocentibus vacat; ita necesse est, ut in sceleratis operam suam districtionis impendat.* [Gruter.] Nec male Weber:

Scharff seyn und hart
Ist der Gerechtigkeit Art. [O.]

Vs. 104 — Bonorum crimen est officiosus miser.

Add. Not. Bene Weberus:

Ein diensthaft Mensch, der leidet Noth,
Macht allen guten Leuten Spott. [O.]

Vs. 108 — Bonum si premitur at nequaquam extinguitur.

Vulgo secundum Scalig. *Bonum quidem supprimitur, nequam extinguitur*, ut *nequam* significet *malum*, quod inusitatum est. Codd. *Bonum quidem (quod est) supprimitur* (si premitur) *nequaquam extinguitur.* Raptum *at*, nisi fallor, a syllaba antecedente. [B.] C. H. mavult *Bonum supprimitur, sed nequaquam extinguitur.*

Vs. 111 — Brevissima esto memoria iracundiae.

Sic ex emendatione Gruteri edidit hunc versum Bothius. Vide not. nostr. [O.]

Vs. 117 — Cave amicum credas, nisi si quem probaveris.

Legitur *ἀμέτρως nisi quem.* [B.]

Vs. 119 — Cave quidquam incipias, quod poeniteat postea.
Ita numeris melioribus ediderunt hunc versum Bothius et C. H. Vulgo
Cave ne quidquam incipias, quod post poeniteat.

Vs. 122 — Cito ad naturam ficta reciderint suam.
Adde Notae — Namque, ut Menander ait:
Ἤθους δὲ βάσανος ἐστὶν ἀνθρώποις χρόνος.
[*Gruter.*]
Bothius sub littera S. edidit simillimam vel potius eandem sententiam
Solent recidere ficta in naturam suam.
Similiter Phaedrus in Fabula nova VI.
Simulata interdum vitia prosunt hominibus;
Sed tempore ipso tandem apparet veritas. [O.]

Vs. 125 — Civilis belli oblivio defensio est.
I. e. civilia bella vel seditiones oblivisci nec vindicare suppliciis gravissimis est illa defendere, ut explicat C. H. comparans Vs. 773.
Veterem ferendo injuriam invites novam. [O.]

Vs. 126 — Cogas amantem irasci, amare si velis.
Omisit in textu suo hunc versum Bothius, at in notis cum Censore Heidelb. sic corrigit:
Cogas amatam irasci, amare sciveris.

Vs. 134 — Contemni gravius sapienti est, quam percuti.
Ita restituit hunc versum Bothius. Vulgo
Contemni gravius est sapientiae, quam percuti.

Vs. 135 — Contemni levius est stultitiae, quam percuti.
Omisit hunc versum in textu suo Bothius. Cens. Heidelb. correxit:
Contemni levius stultitiae est q. p.
Ipse Bothius in Notis
Stultitiae est contemni levius quam percuti.
Weberus vertens: *Veracht den Narrn; das schmerzt ihn mehr,*
Als wenn er wird geschlagen sehr,
videtur legisse *Contemni gravius est stultitiae* etc. Male. [O.]

Vs. 137 — Contra impudentem stulta est nimia ingenuitas.
Vix aptum huic loco *ingenuitas.* Malim *impunitas* vel quiddam simile. [B.] Atqui malim vulgatum *ingenuitas* εὐήθεια *Treuherzigkeit, Offenherzigkeit, Arglosigkeit,* quae stulta est adversus homines impudentes nec fidos arcanorum custodes. [O.]

Vs. 140 — Crimen relinquit vitae, qui mortem appetit.]
Ita Both. pro *Cr. r. v. mortem qui appetit.* Sed vide Notam Antoni. [O.]

Vs. 149 — Cuivis dolori remedium est patientia.
Melius *remedio est.* [B.]

Vs. 161 — Damnum, nisi ex abundantia, raro venit.
Hanc sententiam tanquam insulsam exclusit Both. Sed sensum explicavimus in notis et eandem sententiam elegantissi-

sime exprimit Phaedrus in Fabula nova VII. (a Cassitio edita) *de poenis Tartari:*

Novem porrectus Tityus est per jugera
Tristi renatum suggerens poenae jecur,
Quo quis majorem possidet terrae locum,
Hoc demonstratur cura graviore affici. [O.]

Vs. 166. — Deliberandum est diu, quod statuendum est semel.

Versus durissimus. Scribendum

Diu deliberandum, statuendum est semel. [B.]

Vs. 168. — Demens est, quisquis praestat errori fidem.

Bene Weber: *Der ist ein rechter Narr*
Der falsches hält für wahr. [O.]

Vs. 169 Deos rideri credo, cum felix vocat.

Minus recte libri *ridere*. [*B. et C. H.*] *Vocare deos* — implorare, invocare, in auxilium vocare. Virgil. Aen. VI. 247.

Voce vocans Hecaten coeloque Ereboque potentem. [O.]

Sed vulgatae lectionis sententia longe est ingeniosior: felix qui nulla re indiget, ubi Deos invocat, iis ridiculus est, ut ineptus, vel insatiabilis homo (*Casparus Orellius*). Verissime monitum. Nam minime ridet felix cum Deos invocat, ut scil. conservent, tueantur suam felicitatem. [O.]

Vs. 175 — Discute, quod audis omne, et, quod credas proba.

Ita Bothius. In Edd. abest *et*.

Vs. 178 — Dolor animi nimio gravior est, quam corporis.

Libri: *Dolor animi gravior est, quam corporis.* Dictum languide, numeri indigni vetere poeta. Vocabulo *nimio* h. e. *multo* praegressum simile *animi* offecit. [B.]

Vs. 180 — Ducis in consilio virtus posita est militum.

Ita Bothius melioribus numeris pro *D. i. c. posita est virtus m.*

Vs. 181 — Dulce etiam fugias, fieri quod amarum potest.

Minus eleganter atque numerose legitur in Edd. *quod fieri*. [B.] Prior scil. syllaba in *fieri* est modo longa, modo brevis apud hos poetas. [C. H.]

Vs. 182 — Dum vita grata est, mortis conditio est optima.

Add. Notae.

At contrarium dicit Boethius de Consol. Philos. Lib. I. Metr. I.

Mors hominum felix, quae se nec dulcibus annis
Inserit, et moestis saepe vocata venit.

et ipse Publius supra Vs. 94.

Bona mors est homini, vitae quae extinguit mala. [O.]

Vs. 183. — Effugere cupiditatem regnum est vincere.

Vincere avaritiam et iram plus est, quam regnum. [B.]

Vs. 184 — Eget minus mortalis, quo cupiet minus.

Vulgo *Eget minus mortalis, quo minus cupit.* Versus nihili. [B.] Censor Heidelb. mavult:

Eget minus, cupit quo mortalis minus.

Vs. 186 — Eodem debetur, quo animo beneficium datur.
Ita Both. numeris venustioribus pro:
Eodem animo beneficium debetur, quo datur.
C. H. — *Debetur eodem beneficium animo, quo datur.* [O.]

Vs. 188 — Est ipsa tarda cupiditati celeritas.
Ita Both. Vulgo *Est cupiditati et ipsa t. c.* Bene Weber: *Ein kurze Frist der Lust lang ist.*

Vs. 189 — Est mortis homini socia vita ingloria.
Sic Both. pro *Est socia mortis homini v. i.*

Vs. 205 — Exseritur opere, non nequities incipit.
Pravis numeris libri *Exseritur opere nequitia, non incipit.* [B.]
Fateor me nondum poenitere conjecturae *Exoritur* pro *Exseritur*, eo sensu, quem in Addendis pag. 305. explicavi. Sic et Jul. Obsequens de Prodig. Cap. 102. (43) *Postero die exorti (angues) a populo lapidibus enecati.* *Exorti* i. e. ex abdito in lucem progressi. Vide ibi Scheffer. et Oudend. pag. 132. ed. Kapp. [O.]

Vs. 209 — Ex lite multo gratia fit formosior.
Ita, ut patruelis noster conjecerat, edidit Both. Censor Heidelb. suspicatur *famosior*, significatione bona. [O.]

Vs. 211 — Extrema semper de antefactis indicant.
Ita pro *judicant* legendum esse cum Bothio, docent verba Antonii Melissae in notis Gruteri citata δηλεῦαι — μηνύουσι. [O.]

Vs. 213 — Exigua vitae pars est, quam nos vivimus.
Ita Both. pro *Exigua pars est vitae q. n. v.* Ceterum sensum, quem in notis explicavimus, expressit etiam Weberus in versione sua:
Der kleinste Theil des Lebens ist,
Darinn du wahrlich lebend bist. [O.]

Vs. 216 — Facit gratum Fortuna, quem nemo videt.
Bothius edidit cum Bentlejo
Gratum facit Fortuna, cui nemo invidet.

Vs. 217 — Faetum tacendo crimen facias acrius.
Bothius sub Litt. J. correxit cum Salmasio
Iactum tacendo crimen facias acrius. Vide Notas nostr. [O.]

Vs. 221 — Felicitas est nutrix iracundiae.
Ita Bothius numeris melioribus pro F. *nutrix est iracundiae.*

Vs. 222 — Felicitas infelici innocentia est.
Bothius venustioribus numeris sub Litt. I.
Infelici innocentia est felicitas.

Vs. 223 — Felix improbitas optimorum est calamitas.
Legebatur haec sententia in MS. G. Fabricii:
Felix videtur, qui mala ignorat sua.
Item ista: *Felix criminibus nullus erit unquam diu.* [B.]

Vs. 224 — Fer difficilia, facilia levius perferes.
Optime Weber: *Wen's schwehr nicht schwächt*
Auch leichtres trägt; vel:

Gewöhn dich zu tragen was ist schwehr.
Dann dich das leicht nicht drücket sehr. [O.]

Vs. 226 — Feras quod laedit, ut et id, quod prodest, feras.
Adde Notae Gruteri — et egregie Euripides ap. Stobaeum Serm. XCVII.

Ἔνεστι πάντων πρῶτον εἰδέναι τουτὶ,
Φέρειν τὰ συμπίπτοντα μὴ παλιγκότως.
Καὶ οὗτος ἀνὴρ ἄριστος, αἵ τε συμφοραὶ
Ἧττον δάκνουσιν· ἀλλὰ ταῦτα γὰρ λέγειν
Ἐπιστάμεσθα, δρᾷν δ' ἀμηχάνως ἔχει.

Ceterum Both. omisit hanc sententiam. [O.]

Vs. 238 — Fortuna hominibus plus quam consilium valet.
Vulgo *Fortuna plus homini q. c. v.* Bentleji Codd. *Fortuna homini* (vel *homine*) *pl. q. c. v.* Frising: *Fortuna hominis pl. q. c. v.* Ipse Bentlejus *Fortuna ad omne plus q. c. v.* nec nolebat: *Fortuna in re omni plus* etc. Possis etiam *Fortuna omnino plus. q. c. v.* [B.]

Vs. 239 — Fortuna vincit nos, nisi tota vincitur.
Libri debilibus metris: *Fortuna nos vincit, n. t. v.* Forte *Fortuna, nisi quis totam vincit, vincitur.* [B.]

Vs. 241 — Fortuna quo se, eodem et inclinat favor.
Bothius melioribus numeris sub Litt. E.
Eodem, quo Fortuna, se inclinat favor.

Vs. 244 — Fortuna dat multa usu, mancipio nihil.
Ita Both. pro *Fortuna usu dat multa, m. n.* Bene Weber:
Eigen sind keine Glückesgaben:
Nur zum Gebrauch magst du sie haben. [O.]

Vs. 250 — Futura pugnant, nec se superari sinunt.
Sic scribendum pro *F. p. ne se superari sinant,* hoc sensu: Quantumvis reluctentur futuris homines, nullo modo ea vincere et expugnare poterunt. *Ankämpft die Zukunft und der Mensch besiegt sie nicht.* [B. et C. H.]

Vs. 251 — Geminat delictum, quem delicti non pudet.
Ita Both. pro *Geminat peccatum, quem delicti non pudet.* Sed *peccatum* ad animum culpae conscium recte refertur; *delictum* vero ad factum jam commissum, quod infectum fieri nequit; et utrumque sibi scite opponitur. (*Casparus Orellius.*)

Vs. 256 — Gravis animi poena est, quem post facti poenitet.
Ita legendum pro *post facta,* quod irrepsit typorum vitio. Nam *post* est i. q. *postea* Adverbium. Bothius hunc versum non habet. [O.]

Vs. 258 — Gravior inimicus est, qui latet in pectore.
Ita Bothius metro restituto pro *Gravior est inimicus, q. l. i. p.*

Vs. 259 — Graviora quaedam sunt periclis remedia.
Ita Bothius cum Bentlejo pro *G. q. s. remedia periculis.*

Vs. 272 — Hominem experiri multa paupertas jubet.
Adde Notae nostr. — Et sic etiam intellexit Weberus, vertens:

Die Noth und Armuth macht
Dass man nach Künsten tracht. [O.]

Vs. 280 — Honeste parcas improbo, ut caveas probo.
Libri *H. p. improbo, ut non caveas probo:* Quae cum displicerent (merito autem displicebant) Jac. Thomasio Praefat. ad Mureti Opera pag. XXXVI. ed. Ruhnken., posuit hoc:
H. p. improbo, ut parcas probo.
quod in ordinem recepit Orellius. Rectius, ni fallor, nos. Adscripta fuerit negatio, postquam *caveas* forte mutatum esset in *careas*, sententia inepta. [B.]

Vs. 283 — Honestus rumor alterum est patrimonium.
Sic scribendum metro flagitante pro *H. r. est alterum patrimonium.* [B. et C. H.]

Vs. 284 — Honos honestum decorat, inhonestum notat.
Idem dicit infra Vs. 368.
Loco ignominiae est apud indignum dignitas. [O.]

Vs. 288 — Ibi valebit populus, ubi leges valent.
Libri vett. numeris nullis *Ibi potest valere populus, u. l. v.* Recentiores dure *Ibi pote valere etc.* [B.]

Vs. 289 — Id agas, ne te quis oderit merito tuo.
Ita Bothius numeris melioribus. Vulgo *Id agas, tuo te merito ne quis oderit.*

Vs. 292 — Ignis probat aurum, miseriae fortes probant.
Ita Bothius pro *fortem.*

Vs. 293 — Ignoscere hominum est, ubi pudet, cum ignoscitur.
Minus recte libri *cui ignoscitur.* [B. et C. H.]

Vs. 295 — Imperium habere magnum vis? Tibi impera.
Ita Bothius et C. H. Vulgo numeris nullis:
Imperium habere vis magnum; impera tibi.

Vs. 297 — Impune pecces in eum, qui peccat prior.
Emendatio Bentleji certissima. Libri inepte *Impune in eum pecces, qui peccat rarior.* Paulo melius Erasmus *Impune pecces, cum quis peccat rarior* vel *rarius.* [B.]

Vs. 302 — Incertus animus dimidium est sapientiae.
Insulsissime legitur *Incertus animus remedium est sapientiae.* Incertus animus dictus dubitatione, quae initium solet esse sapientiae. [B.] Sic et Censor Heidelb. vertens: *Zweifeln ist die halbe Weisheit* (Malim *Zweifeln ist der halbe Weg zur Weisheit*). Idem aliam etiam conjecturam, sed, ut ipse fatetur, minus probatam protulit:
Incertis animis remedium est sapientia.
Suspicatur autem alludi hoc versu ad *ἀφασίαν* Scepticorum et Academicorum. [O.]

Vs. 303 — Inertia tum indicatur, cum fugitur labor.
Cod. Frising. *judicatur.* Vulgo *Inertia judicatur* etc. [B.] Languida omnino sententia. Quid enim aliud est inertia, quam fuga laboris? [O.]

Vs. 306 — Inferior ascit quidquid peccat superior.
Vulgo nihili sententia. *Inferior rescit etc.* Pro rescit MSS. *horrescit*, *crescit*, *noscit*, *caveat*. Bentl. *discit*. Imo *ascit* sibi arrogat, sibi quoque faciendum putat: *Der Niedre maasst sich alle Fehler des Höhern an. Er will eben so sündigen, als der höhre.* [B. et C. H.] Possis defendere *rescit* i. e. cognoscit occulta peccata superiorum, quomodo vertit Weberus:

Was die Obern haben gethan
Erfährt bald der gemeine Mann.

Sic Plautus Asin. III, 3. Vs. 150 — *ne uxor resciscat*, *metuit*. Sed praefero *ascit* tanquam exquisitius. [O.]

Vs. 309 — Ingenuitatem laedis, cum indignum rogas.
Indignum rem indignam homine ingenuo, τῷ καλοκἀγαθῷ. [B.] De homine indigno cum Erasmo intelligit Weberus vertens:

Dem Unwürdigen fallen zu Fuss
Ist dem Biedermann eine harte Buss. [O.]

Vs. 310 — Ingenuus animus vocis non fert verbera.
Ita Bothius numeris melioribus pro *I. a. non fert vocis verbera.*

Vs. 311 — Ingrata sunt beneficia, quis comes est metus.
Omittunt *est* non sine detrimento numerorum. [B.]

Vs. 314 — Inimico extincto exitium lacrymae non habent.
Exitium pro exitu legimus etiam apud A. Gellium III, 7. *Tribunus ad Consulem venit; ostendit exitium de loci importunitate et hostium circumstantia;* ubi *exitium* significat liberationem ex illo loco, ut sequentia ostendunt. Bothius omisit hunc versum. [O.]

Vs. 318 — Injuriam aures facilius, quam oculi ferunt.
Ita Both. pro *I. a. quam oculi f. f.* [O.]

Vs. 322 — In misero vita est etiam contumelia.
Edunt haec *In miseri vitia* vel *vita nulla contumelia est:* in quibus explicandis ne ipsi quidem sibi satisfaciunt. Cod. Frising. *In misera vita etiam est contumelia.* In eo ipso vituperandus esse dicitur miser, quod vivat, quoniam ex tantis malis liberare se morte possit. [B.] Ex opinione scil. veterum. Seneca Epist. 69. *Exerce te ut mortem et excipias, et si ita res suadebit, arcessas. Interest nihil, an illa ad nos veniat, an ad illum nos.* Et Epist. 70. *Sapiens cogitat semper, qualis vita, non quanta sit. Si multa occurrunt molesta et tranquillitatem turbantia, emittit se* etc. Conf. Epist. 58. in fine. [O.]

Vs. 334 — Invidia loquitur id, quod abest, non quod subest.
Perperam libri *obest*. Requirit invidia quod *abest;* non laudat quod *subest*. Haec sententia. [B.] Et hunc sensum ex parte in versione sua expressit Weberus:

Abgunst redet doch nimmer gut;
Dem Nächsten stets abschneiden thut. [O.]

Vs. 344 — Ita crede amico, ut ne sit inimico locus.
Libri non habent *ut*. [B.] Sententia haec plane concordat cum sequente. Bene explicat Zwinger. *Ita fidas amico, ne dissoluta amicitia possit nocere.* [O.]

Vs. 352 — Laeso doloris remedium inimici est dolor.
Ita Both. Edd. omittunt *est*.

Vs. 355 — Late lucere, ut urat nihil, ignis potest.
Ita Both. Vulgo — *Late lucere ignis, ut nihil urat, potest.* Cens. Heidelb. conj.:
Ignis lucere late, ut nihil urat, potest.

Vs. 358 — Legem oblivisci solita est iracundia.
Codd. pravo numero: *Legem solet oblivisci iracundia.* [B. et C. H.]

Vs. 359 — Levis est Fortuna; cito reposcit, quae dedit.
Adde Notae. — Ita Fortuna ad Boethium Consol. Philos. Lib. II. Pros. II. *Nunc mihi retrahere manus lubet. Habe gratiam, velut usus alienis; non habes jus querelae tanquam prorsus tua perdideris.* Vide supra Vs. 244.
Fortuna dat multa usu, mancipio nihil. [O.]

Vs. 363 — Libido, non judicium est, quod levitas sapit.
Libri inepte — *Libido indicium est ejus, quod levitas sapit.* [B.]

Vs. 366 — Lingua est maliloquax mentis indicium malae.
Ita Bothius et C. H. numeris melioribus pro
L. e. m. indicium mentis malae.

Vs. 368 — Loco ignominiae est apud indignum dignitas.
Nam, (inquit Boethius Cons. Phil. Lib. II. Pros. VI.) *collata improbis dignitas non modo non efficit dignos, sed prodit potius et ostendit indignos.* [O.]

Vs. 370 — Lucrum sine damno alterius fieri non potest.
Egregie idem Boethius Cons. Phil. Lib. II. Pros. V. *Vestrae vero divitiae, nisi comminutae, in plures transire non possunt, quod cum factum est, pauperes necesse est, faciant, quos relinquunt.* [O.]

Vs. 374 — Magnam fortunam magnus animus condecet.
Libri *M. fort. magnus etiam animus decet.* Sed vi caret *etiam*, videturque additum esse a versificatore, postquam pro *condecet* scribi coepisset magis usitate *decet.* [B.] *Condecet* vocabulum Plautinum Amphitr. II, 2, 90.
Cupies quod te condecet et Poenul. I, 2, 92.
Magis pudorem, quam aurum quaerere condecet.
Ceterum defendi possit vulgata lectio, ut *etiam* respiciat ad ea, quae praecesserunt in Mimo deperdito. [O.]

Vs. 375 — Magnanimo injuriae est remedium oblivio.
Ita Both. pro *M. i. remedium oblivio est.*

Vs. 376 — Magna est, cum crimen adfert indignatio.
Vulgo *Magnum crimen secum adfert indignatio.* Versum restitueris scribendo:
Magnum secum adfert crimen indignatio.
Sed ipsa sententia revocanda erat ad veritatem. [B.]

Vs. 380 — Mala est voluptas ad alienum adsuescere.
Codd. ἀμέτρως *consuescere.* [B.]

Vs. 390 — Male vixit, quisquis emori nescit bene.
Libri nec sententia satis perspicua, et numeris invenustis:

Male vixit, quisquis nesciet mori bene.

Est autem Senecae de Tranquill. Cap. II. [B.]

Vs. 392 — Malevolus semper sua natura vescitur.
Vescitur utitur. Malus a se ipso nunquam desciscit, sed ut est, ita manere semper dicitur. [B.] Sic et Weberus:

Ein Bub hat an seiner Bosheit
All sein Lust und Ergetzlichkeit. [O.]

Vs. 397 — Malum consilium consultori est pessimum.
Gellius Noct. Att. IV. 5.: „Tunc igitur, quod in Etruscos haruspices male consulentes animadversum vindicatumque est (necati scil. sunt, cum de perfidia confessi essent) versus hic scite factus cantatusque esse a pueris urbe tota fertur,

Malum consilium consultori pessimum est.

Ea historia de haruspicibus ac de versu isto senario scripta est in Annalibus Maximis Libro XI. et in Verrii Flacci libro I. rerum memoratu dignarum. Videtur autem hic versus de Graeco illo Hesiodi expressus:

Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη."

Ex his videmus, versum hunc antiquiorem esse Publio Syro. [O.]

Vs. 400 — Malum ne alienum gaudium facias tuum.
Minus bene legitur *Malum alienum ne feceris tuum gaudium.* [B.]

Vs. 404 — Malus est vocandus, qui sua causa est bonus.
Frustra Bentl. aliique *sui causa.* [B.]

Vs. 405 — Malus etsi obesse non pote, tamen cogitat.
Suspicor scriptum fuisse *potest tam* (pro *tamen*) cogitat, versumque esse alicujus ex vetustioribus. [B.] *Tam* antique pro *tamen.* Naevius:

Qui si taceat dum videat, tam etiam sciat quid scriptum sit.

Titinius:

Bene cum facimus, tam male audimus, ut quidem perhibent viri

Fest. Conf. Laurenbergii Antiquar. et Forcellin. in Lexico h. v. [O.]

Vs. 406 — Malus quicunque in poena est, praesidium est bonis.
Nescio annon latine dicatur *in poena esse* pro eo, quod est *poenam dare.* [B.]

Vs. 410 — Medicina sola est miseriarum oblivio.
est addidit Both.

Vs. 413 — Metu respicere non solent, cum quid juvat.
Codd. nulla sententia *Metum respicere non solet quidquid juvat,* [B.] C. H. mavult: *Metu respicere non solent, si quid juvat.* Conf. Ἐπίμετρον. [O.]

Vs. 415 — Metus cum venit, non habet somnus locum.
Ita Both. pro *rarum habet s. l.* [O.] *Metus* res metuenda. *venit* advenit, adest. [B.]

Vs. 421 — Miser esse bonus vir non potest, dici potest.
Libri pessimis numeris, vel potius nullis

Miser dici bonus vir, esse non potest.
Refert Seneca de Provid. C. 3. [B.]

Vs. 425 — Miserrima est fortuna, quae inimicos latet.
Acerrimi sunt oculi inimicorum, ut perexiguum fuerit illud, quod non videant. [B.] Sensus esse videtur: *Miserrimus* i. e. contemtissimus, abjectissimus est ille, qui vel inimicos latet, cujus non animadvertunt miseriam, nec illi invident. [O.]

Vs. 426 — Miserrima est fortuna, quae inimico caret.
Haec sententia videtur varians lectio proxime antecedentis. Sensum bene exprimit Weber:

Das ist nicht für gut Glück zu achten,
Dem Hass und Abgunst nicht nachtrachten. [O.]

Vs. 429 — Miserum dico illum, qui fuit nunquam miser.
Libri κακομέτρως *Miserum te judico, quod nunquam fueris miser.* [B.] Censor Heidelb. propius ad lectionem antiquam *Miserum te dico, fueris quod nunquam miser.*

Vs. 430 — Mora cogitationis diligentia est.
Adde Not. — Non placet Gruteri *diffidentia*, ut bene habet *diligentia*, i. e. cura, providentia, ἀκρίβεια, *accuratezza* (Vid. Ernest. Clav. Cic.) quae est *mora cogitationis* ita, ut sensus sit: *Morari in cogitando diligentis est. Der Pünktliche nimmt sich Zeit zum Ueberdenken.* [O.]

Vs. 434 — Mortem timere quam mori est crudelius.
Ita Both. numeris melioribus pro

Mortem timere crudelius est quam mori.

Cens. Heid. *M. t. q. m. crudelius est.*

Vs. 435 — Mortem ubi contemnas, viceris omnes metus.
Viceris ultimam producit ante vocalem, sicut solent ejusmodi tempore verbalia. Id quod nescientes dederunt numeris depravatis *M. u. c. omnes viceris metus.* [B.]

Vs. 436 — Muliebris lacrima est condimentum malitiae.
Ita Bothius melioribus numeris pro *M. l. condimentum malitiae est.*

Vs. 443 — Multa ante in tempus quam virum invenias bonum.
In tempus ad tempus, quo tempore tibi opus est viro bono. Tacit. Annal. I, 57. *Sensit miles in tempus conficta.* Periit propositio in vulgatis libris. [B.]

Vs. 445 — Muneribus meretrix tangitur, non lacrimis.
Codd. numeris asperrimis, imo nullis, ut quales apud nullum veterum invenias:

Muneribus, non lacrimis meretrix est misericors.

Explicationi ἀμέτρῳ cessit vox *tangitur*, sedulo illa expuncta, nisi fallor, a sancto quodam monacho propter ambiguitatem. [B.]

Vs. 447 — Naturam abscondit, cum improbus recte facit.
Ita Both. numeris venustioribus pro

N. a. cum recte improbus facit.

Vs. 451 — Necessitas egentem mendacem facit.
Malim *egenum*, ut videtur ὁμοιοτέλευτον. [B.]

Vs. 458 — Necessitatis parcitas est remedium.
Necessitatis inopiae, ut explicat Orellius. Ceterum libri minus probo numero:
N. est remedium parcitas. [B.]

Vs. 460 — Nec vita, nec fortuna hominibus perpes est.
Perpes perpetua, vox prisca. Vid. Fest. [B.] Sic Plaut. Amphitr. I. 1. 125.
Neque ego hac nocte longiorem me vidisse censeo,
Nisi ita unam, verberatus quam pependi perpetem. [O.]

Vs. 466 — Nemo tam pauper vivit, quam pauper natus fuit.
Nullis libri numeris: *Nemo ita pauper vivit, quam pauper natus est*. [B.]

Vs. 468 — Nequitia poena maxima ipsamet est sui.
Non deterius hoc foret: *Vel maxima ipsa est poena nequities sui.* Libri pravis numeris — *N. p. m. ipsamet est sui*. [B.]

Vs. 469 — Nescio quid agitat, cum bonum imitatur malus.
Legitur et obscuriore sententia, et numeris nullis: *Nescio quid cogitat* etc. Imo *agitat* struit, machinatur. [B.] *Der Böse hat etwas vor, führt etwas im Schilde, wenn er dem Guten nachahmt*. [C. H.]

Vs. 472 — Nihil eripit Fortuna, nisi quod et dedit.
Scribas melioribus numeris: *Nil nobis, nisi quod dederat Fortuna eripit*. [B.]

Vs. 474 — Nil magis amat cupiditas, quam id, quod non licet.
id addidit Bothius. Comparandus versus ille notissimus:
Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata. [O.]

Vs. 478 — Nil posse quenquam, mortuum hoc est vivere.
Sic interpungendus hic versus. [B.] Falsam interpunctionem in Erratis correximus p. 310. Haud male Weber:
Wenn einer lebet und nichts kann,
Ist gleichsam wie ein todter Mann.
Vid. Addenda nostrae edit. p. 305. [O.]

Vs. 479 — Nil proprium ducas, quod mutari possiet.
Sartor. et Gruter. *potest*. Hinc scribendum conjicio:
Nil proprium ducas, quod potest mutarier. [C. H.]

Vs. 480 — Nil turpe ducas pro salutis remedio.
Improba per se sententia, sed apta procul dubio personae, quae eam usurpaverit olim in fabula. [B.] *Sensus itaque: Nichts sey dir schändlich, wenn du damit deine Wohlfahrt erkauffen kannst*. [O.]

Vs. 483 — Nimium boni est in morte, si nil sit mali.
Libri *Nimium est in morte boni, si nil inest mali.* Cod. Frising. et Sartor. *si nil sit mali.* [B.]

Vs. 492 — **Non cito perit ruina, qui rimam timet.**
is post *perit* additum a Scaligero delevit Bothius et C. H.

Vs. 493 — **Non corrigit, sed laedit, qui invitum regit.**
Sic, ut jam in Epimetro indicavimus scribendum cum Grutero pro

N. c. s. l. qui invitum laedit.

qui error turpissimus sive calami errantis, sive typorum vitio in nostram editionem irrepsit. Nec igitur opus habemus correctionibus Bothii et C. H. *qui invitum docet*, vel *qui invitum monet*. [O.]

Vs. 495 — **Non est meliorem te esse bonitas pessimo.**
Quod vulgo legitur *Non est bonitas esse meliorem pessimo*, Senecae est Epist. 79. neque ego operam in versificanda talia insumsissem; nisi constaret dispersa per scriptores utriusque linguae pedestres non pauca esse carmina, sed numeris seu casu, seu data opera solutis, qui restitui utcunque possunt [B.]. Optime Weber:

Ein wenig besser denn der Schlimmste seyn
Ist nicht drum auch flugs gut und fein. [O.]

Vs. 496 — **Non est pusillum, si quod minus est maximo.**
Ita Both. Edd. *N. e. p. si quid maximo est minus.*
C. H. *N. e. p. si est minus quid maximo.*

Vs. 500 — Non facile serves solus, quod multis placet.
Ita Both. Antea: *N. f. solus serves, q. m. pl.*

Vs. 503 — Ne tu quam multis, sed quibus placeas vide.
Ita Both. numeris melioribus. Libri:

Non quam multis placeas, sed qualibus, stude.

Vs. 506 — Nulla hominum major poena est, quam infelicitas.
Infelicitas h. l. videtur esse i. q. amissio felicitatis. *Nam* (inquit Boethius de Consol. Philos. Lib. II. Pros. IV.) *in omni adversitate fortunae infelicissimum genus est infortunii fuisse se felicem.* Ceterum hunc versum tanquam putidum exclusit Both. [O.]

Vs. 508 — Nulli tu impones, ipse quod ferre haud queas.
Libri: *Nulli impones, quod ipse ferre non queas.* [B. et C. H.]

Vs. 510 — Nullum sine teste suo locum putaveris.
Ita Both. Libri: *N. s. t. putaveris suo locum.*

Vs. 513 — Nullus tantus quaestus etc.
Scribendum: *Non est alius tanti questus, quam quod habeas parcere.* Est scil. versus Trochaicus. [B.] Bene Weberus:

Kein grösser Gewinn doch mag seyn,
Als sparen und verwahren das dein. [O.]

Vs. 516 — Nunquam est satis spei improbae quidquid datur.
Libri numero debili: *Nunquam satis est, quod improbae spei datur.* Sequor Camerarium 109. [B.]

Vs. 518 — Nunquam secura est pravi conscientia.
Legitur minus recte *prava c.* [B.]

Vs. 519 — Nunquam, diu ignis ubi fuit, deficit vapor.
Vulgo — *Nunquam, ubi diu fuit ignis, deficit vapor.* [B.]

Vs. 520 — Obsequium nuptae cito fert odium pellicis.
fert, adfert marito. Inepte libri *fit.* [B.]

Vs. 523 — Occidere pulcrum, ubi cum ignominia servias.
Perperam Codd. *occidi.* Satis est *occidere.* [B.] Sed *occidere* obscurius est. Nescimus enim, utrum neutrum sit an transitivum. Malim igitur *occidi.* [O.]

Vs. 524 — Odia alia in osculo, alia sub vultu latent.
Vulgo: *Odia alia sub vultu, alia sub osculo latent.* [B.]

Vs. 527 — Omne vitium semper habet patrocinium suum.
Sic Edd. pravis numeris. Scribendum *Vitium omne s. h. p. s.* [B.]

Vs. 528 — Omnis dies velut ultimus ordinandus est.
Sic libri horridioribus numeris. Scribendum:

Velut postrema est ordinanda omnis dies.

Ansam depravationis praebuisse videtur mutatum forte *postrema* in *postremus*, quod cum versui non conveniret, posuere *ultimus* verbaque trajecere. [B.]

Vs. 529 — Omnis voluptas, cuicunque arrisit, nocet.
Pessime Libri: *quemcunque.* [B.]

Vs. 530 — O pessimum periclum, quod apertum latet.
Iidem putide: *opertum.* Dicitur periculum, cujus pars aperta est, pars latet, qualia sane sunt pessima. [B.] Dubito equidem de veritate correctionis. Sic enim et I. Anysius Publium imitatus Vs. 93.

Lethalius multo est malum, quod delitet. [O.]

Vs. 531 — O tormentum animi tacitum, conscientia.
Sic Both. numeris melioribus pro: *O tacitum tormentum animi c.* [O.]

Vs. 533 — Paratae lacrimae insidias, non luctum indicant.
Perperam libri *fletum.* [B.]

Vs. 536 — Pars benefici est, quod petitur, si belle negas.
Ita Gell. XVII, 14. et MS. Frising. Male Macrob. Sat. 117. pro *belle* posuit *cito*, neque erat quod inde novum versum procuderent. Qui *belle* (*auf eine feine, humane Art*, ut bene expl. Cens. Heidelb.) negat, negat, et *cito*, non contra. Ergo interpretis est *cito.* [B.]

Vs. 538 — Parvo fames stat, magno stat fastidium.
Κακομέτρως legitur: *P. fames constat, magno fastidium.*

Vs. 539 — Patiendo multa veniunt quae nequeas pati.
Add. Notae — Quo spectat et illud Senecae in Thyeste Vs. 306.

Iam tempus illi fecit aerumnas leves.
A. *Erras: malorum sensus accrescit die.*
Leve est miserias ferre, perferre est grave.

et egregie plane Symmachus Lib. III. Epist. VI. *Tertius hic mihi de optimis fratribus luctus est. Post tot miserias quis non putet me dedidicisse patientiam. Ictus enim novissimus etiam veteres plagas dolore rescindit.* [*Gruter.*]

Vs. 541 — **Potestatem adversi haud habet felicitas.**

Vulgo secundum Scalig. et Gruter.: *Patiens in adversis nunquam est felicitas.* Sed Cod. Frising. *Potest ult. in adversis n. h. f.* [B.] Idem conjicit Censor Heidelb. vertens: *Macht über Ungluck hatte noch niemahls das Glück*, qui aliam etiam conjecturam profert scil.:

Patiens adversi nunquam erat felicitas. [O.]

Vs. 542 — **Patientia animi occultas divitias habet.**

Sic scribendum, ut metrum constet. Libri: *P. a. divitias occultas habet.* [B. et C. H.]

Vs. 543 — **Patria erit vestra, ubicunque vixeritis bene.**

Libri languido numero: *Patria tua est, ubicunque vixeris bene.* De sententia conf. Cic. Tusc. V. 37. [B.]

Vs. 544 — **Paucorum est intelligere, quid cudat deus.**

Inepte legitur: *quid cui det deus.* Omissum in Cod. Fris. *cui* sapit correctionem, neque accipiendum Sartorii *quid deceat deos. Cudat* procudat, h. e. faciat, agat, struat. [B.] Egregia emendatio. [O.]

Vs. 547 — **Peccatum amici recte velandum putas.**

Hic quoque insulse libri *P. a. velut tuum recte putes.* [B.]

Vs. 550 — **Pecunia una regimen est rerum omnium.**

Ita Both. numeris melioribus pro *regimen rerum est omnium.*

Vs. 551 — **Pejora multiloquo cogitat mutus dolor.**

Ita Both. pro vulg. *Pejora multa c. m. d.* Cens. Heidelb. probat conjecturam Caspari Orellii: *Pejora vultu etc.* [O.]

Vs. 554 — **Perdendi finem est cum nonnisi egestas facit.**

Omnino malum est, quod ostendunt libri hoc *P. f. nemo nisi e. f.* [B.] Censor Heidelb. conjicit:

Perdendi finem nunc nonnisi egestas facit.

ut scil. poeta respexerit ad eorum, quibus vixit, temporum conditionem. [O.]

Vs. 555 — **Perdis, non donas, nisi sit, cui donas, memor.**

Depravate libri: *Perdit, non donat, qui donat, nisi est memor.* [B.] Censor Heid.

Perdit, non donat, nisi sit, cui donat, memor.

Vs. 558 — **Perfacile felix, quod facit, votum impetrat.**

Male Codd. *P. f. quod vota impetrant, facit.* [B.]

Vs. 565 — **Plures legit fortuna, quam tutos facit.**

Legit, eligit quos provehat. Inepte libri *tegit.* [B.] At *legit* minus bene respondet sequenti *tutos facit.* Et fateor mihi magis placere *tegit* eo sensu, quo in Notis explicavi. [O.]

Vs. 566 — **Plus est quam poenae injuriae succumbere.**

Ita Both. pro *quam poena.* Bene. Vide Notas nostras.

Vs. 568 — **Poena ad malum serpens, ut proterat, venit.**

Versus pravus. Scribi possit: *P. a. m. serpendo venit, ut proterat.* Sed hoc potius vel quiddam simile reliquisse poetam existimo:

Malos ut poena proterat, serpens venit. [B.]

Vs. 575 — Potest non esse honestum, quod non liberum est.
Hunc versum tanquam soloecum omisit Bothius. C. II. corrigit:

Non esse potest honestum, q. n. l. e.

Vs. 578 — Probi delicta judex legens deterit.
Omisit in textu suo hanc sententiam Bothius, in notis haec annotans: „Quid sibi hoc velit, nemo exputet. *Lugens detegit* scribendum putat Casp. Orellius."

Vs. 585 — Pro medicina est dolorem qui dolor enicat.
Vulgo: Pro med. *dolor est, dolorem qui necat*, qui versus pessimus est. [B.]

Adde Notae Gruteri: *Haud secus saepe rixam conclamatum in vicino incendium solvit, et interventus ferae latronem et viatorem diducit*, ut dicit Seneca de ira III. cap. ult. Optime quoque Symmachus VI. Ep. 45. *Postquam te jactari comperi dolore consueto, omnis reliquarum sollicitudinum mearum sensus evanuit. Nam, ut ait Hippocrates: Praesentia hebetantur incommoda, si cui dolor major accesserit.* Conf. Plin. L. VII. Ep. V. [Gruter.]

Vs. 586 — Prope est, libens ut damnet, qui damnat cito.
Adde Notae: Ceterum *cito* etiam notat *cupide, turbulenter*, de quo vide Cassiod. VI. Ep. IX. [Gruter.]

Vs. 590 — Prudenti vultus etiam sermonis loco est.
Libri nulla sententia: *Prudenti stultus etiam sermonis jocus est.* Gruterus scribebat: *Pudentis* vel *Prudentis vultus etiam sermonis loco est.* Maluimus *prudenti*, quia non prudentis tantum vultus pro sermone est, sed fere omnium hominum, si peritus accesserit. [B. et C. H.]

Vs. 595 — Pudor quem non reflectit, non frangit timor.
Vulgo: *Pudor quemcunque non flectit, frangat timor.* Cod. Frising.

Pudor quem non flectit, non frangit timor.

C. H. vertit:

Wen nicht die Schaam zurücklenkt, beugt auch nicht die Furcht.

Vs. 596 — Pulchrum est nihil te exigere, praestare omnia.
Libri nullis numeris: *P. e. praestare cuncta, nil exigere.* [B.]
Cens. Heidelb. conj.:

Pulchrum est praestare cuncta, cum nil exigas.

Vs. 598 — Puras Deus, non adspicit plenas manus.
Libri pravis numeris: *non plenas adspicit manus.* Laberio hunc versum nescio qua auctoritate tribuit Casaubon. ad Pers. Sat. II. extrem. [B.] Bene Weber:

Nicht volle Hände Gott sieht an,
Denn reine Hände will er ha'n. [O.]

Vs. 600 — Quam felix vita exacta sine negotiis.
Ἀμέτρως legitur *Q. f. v. quae sine negotiis transiit.* [B.]

Vs. 603 — Quam miser est, cujus ingrata misericordia est.
Ita MS. Fris. et Sartor. *Cujus* monosyllabum est, ut passim apud hos scriptores. Vulgo: *cui i. m. e.* [B.]

Vs. 613 — Quam miserum est, ubi te captant, qui defenderint.
Friget sententia. An fuit *quos defenderis?* Sic existimo. [B.] Forte respiciunt haec ad praevaricatores quosdam, de quibus sermo erat in Mimo deperdito. [O.]

Vs. 615 — Quam saepe veniam petit is, qui negaverat.
Ita Both. pro *Quam saepe veniam qui negaverat petit!* Censor Heidelb. rejicit hanc sententiam tanquam prosaicam. [B.]

Vs. 616 — Quam timidus est is, qui paupertatem timet.
Ita Both. et C. H. pro *Q. t. is est, paupertatem qui timet.* [O.] Menander ap. Stobaeum serm. 93. laudatus a Grutero:

Τὸ κουφότατόν σε τῶν κακῶν πάντων δάκνει
Πενία· τί γὰρ τοῦτ᾽ ἐστιν, ἧς ἂν ῥαδίως
Γένοιτ᾽ ἰατρὸς εἷς βοηθήσας φίλος;

ubi legitur pravis numeris — *ἐστιν ἧς γένοιτ᾽ ἂν εἷς φίλος βοηθήσας ἰατρὸς ῥαδίως.* [B.]

Vs. 618 — Quamvis non rectum, quod juvat, rectum putas.
Perperam libri *putes*, quasi hoc sit praeceptum officii seu philosophiae. [B.] Est scil. increpatio in quendam improbum. [O.]

Vs. 620 — Quem delegisti, queri etiam de illo malum est.
Vulgo: — *Quem diligas, etiam queri de ipso malum est*, quod frustra explicantes satagunt. [B.]

Vs. 622 — Qui aequo malis miscetur animo, ipse est malus.
Sic metrum restituit Bothius. Edd.

Qui aequo malis animo miscetur, est malus.

Vs. 625 — Quidquid conaris, quo pervenias, cogita.
Vulgo: *cogites* sibilo frequentiore. [B.]

Vs. 627 — Quidquid Fortuna exornat, cito contemnitur.
Exornat ornatu spoliat, ut Tertullian. de cultu femin. C. 9. *exornatam et naufragam,* nisi ponendum sit *exonerat* scil. donis suis. [B.] Possis tamen et explicare significatione vulgata. Quidquid fortuna tantum, non sua virtute exornatur, cito contemnitur. [O.]

Vs. 631 — Quidam graves inimici amici sunt leves.
Ita Both. pro: *Quidam inimici graves a. s. l.*

Vs. 633 — Quid est beneficium deferre? Imitari Deum.
Codd. pessimo versu: *Q. e. b. dare?* I. D. *Dare* est explicatio. [B.]

Vs. 635 — Quid quisque possit, nisi tentando nesciet.
Ita Gruterus et recte. Vulgo: *nisi tentato nesciet;* quod nec latinum est et destituit versum. [B.]

Vs. 638 — Quieta vita his, qui Meum et tollunt Tuum.
Vulgo: *Q. v. iis, qui tollunt Meum Tuum.* Ceterum de Meo et Tuo fere contenditur. Vide Gruter. et intpp. [B.]

Vs. 639 — Qui exspectat, ut rogetur, officium levat.
Ita Cod. Frising. Inusitate Edd. *Qui spectat.* [B.]

Vs. 643 — Qui calamitatem metuit, is raro accipit.
Idem Codex *raro.* Vulg. *Qui metuit calamitatem, rarius accipit.* [B.]

Vs. 646 — Qui pote consilio furere, sapere idem potest.
Inepte libri: *Qui potest consilium fugere, s. i. p.* nec juvant, qui *capere* malunt pro *sapere.* Consilio furebat sapiens ille L. I. Brutus, qui Romam dominatu regio liberavit. [B.]

Vs. 652 — Quis pauper est? Videtur qui dives sibi.
Forte: *Quis pauper tibi videtur? Quis dives sibi.*
Vulg. *Quis pauper est? Qui dives videtur sibi.* [B. et C. H.]

Vs. 653 — Qui sibi non vivit, aliis merito est mortuus.
Ita Both. Edd. *Q. s. n. v. merito aliis est m.* [O.] Qui scil. sibi recte vivit, vivit etiam aliis. Sic certe Seneca censebat. Vide ejus Epist. LXVI. Huc facit etiam illud de Tranquill. Cap. III. citatum Curii Dentati dictum: *Malle se esse quam vivere mortuum*, additque Seneca: *Ultimum malorum est exire vivorum numero antequam moriaris. Sed faciendum erit, ut, si in Reipublicae tempus minus tractabile incideris, plus otio ac litteris vindices.* [*Gruter.*]

Vs. 654 — Quis miserum sciret, verba nisi haberet dolor?
Ἀμέτρως libri: *Verba si non haberet dolor.* [B.]

Vs. 656 — Qui timet amicum, amicus ut timeat, facit.
Soloecum est, quod vulgatur: *amicus ut timeat, docet.* [B.]

Vs. 658 — Qui invidet, ut noceat, semper meditatus venit.
Codd. *Qui venit, ut noceat, semper m. v.* [B.]

Vs. 660 — Qui culpam ignoscit uni, suadet pluribus.
Minus concinne Codd. *culpae.* [B.]

Vs. 661 — Qui caveas, cum aliud animus, verba aliud petunt?
Vulgo nulla sententia: *Quo cavet is* etc. Orell. malebat: *Qui caveris*, sed abhorret hoc a metro. [B.]

Vs. 663 — Quodcunque sibi imperavit animus, obtinet.
Sic Both. melioribus numeris pro: *Quodcunque animus s. i. o.* [O.]

Vs. 664 — Quod est timendum, desipis, si negligas.
Obscure libri: *Q. e. timi, decipit, si negligas.* [B.] Emendatio palmaria. [O.]

Vs. 665 — Quod facere turpe est, dicere ne honestum puta.
Ita Both. pro: *Q. f. t. e. dicere honestum ne puta.*

Vs. 669 — Quod periit, quaeri potis est, reprehendi haud potest.
Vulgo: *Q. p. quaeri pote, reprendi non pote.* Codd. Frising. et Sartor.
Q. p. quaeri potest, reprehendi haud potest. [B.]

Vs. 675 — Quod vix contingit, ut voluptatem parit!
Vulgo: *Q. v. c. vix voluptatem parit,* sententia inepta. Cod. Frising. *Quod vix contingitur vol. parit.* [B.] *Was kaum erreicht*

ward, welch Vergnügen das gebührt. Similis sententia infra Vs. 709.

Voluptas e difficili data dulcissima est. [C. H.]

Vs. 674 — Quod vitiosum est, quo animo facias, nihil interest.

Omisi hoc, quia ἀμετρίᾳ laborat. Graeci in Excerptis Gruteri:

Αἰσχρὸν τό γ' αἰσχρὸν, κἂν δοκῇ κἂν μὴ δοκῇ.

(Platonis sententia. O.) Sed ibi agitur hominis existimatio; hic vero aliud voluisse videtur scriptor, hoc videlicet: hominis in delicto considerandum esse animum. Quare nolim sic corrigi: *Nil, quod vitiosum est, quonam animo facias interest*, ubi *Nil* dubitare posset, quo pertineret; sed scribam potius:

Quod est vitiosum, quo animo facias, interest. [B.]

Vs. 682 — Refert, quam quis bene vixerit, non quam diu.

Libri nullis numeris: *R. quam quis bene vivat, quam diu non refert.* [B.]

Vs. 683 — Regnat, non loquitur, qui nil nisi quod vult, blatit.

Inepte legitur *facit*, cum agatur de loquendo. Gradus depravationis *vlatit*, *vatit*, *vacit*, *facit*. [B. et C. H.] Sed *blatio* et *blatero* dicitur tantummodo de loquacitate stulta et inepta. Glossae *blatto* (l. *blatio*) φλυαρῶ. Sic Plaut. Amphitr. II. 1. 79. *Qui, malum, intelligere quisquam potis est, ita nugas blatis.* Conf. Laurenberg. Antiquar. h. v. Alia itaque versui huic medicina quaerenda. Quid si legamus?

Regnat, non loquitur, qui nil nisi bonum facit.

Vel etiam tolerari possit vulgata lectio, si verba *qui nil nisi quod vult facit* ita explicemus: *qui facit* (i. e. *efficere studet*, de conatu) *nil nisi quod vult* ipse scil. non alii, ut sermo sit de principe, qui ex sua tantum non ex aulicorum voluntate et arbitrio pendet. [O.]

Vs. 685 — Remedium fraus est contra fulmen quaerere.

Ita Cod. Fris. nisi quod habet *flumen*, sicut caeteri Codd. Bentlejus:

Remedium est frustra contra fulmen quaerere.

bene quidem, quod posuit *fulmen*, sed sine causa idonea mutato verbo *fraus*, quod indicat rem, qua facile decipiaris, sive quae vix ac ne vix quidem succedat. [B.]

Vs. 686 — Repelli se homo, quam decipi fert facilius.

Ita Both. Vulgo: *Repelli se homo facilius fert, quam decipi.*

Vs. 687 — Repente dives factus est nemo bonus.

Sic Both. et Cens. Heidelb. numeris melioribus pro:

Repente dives nemo factus est bonus.

Vs. 688 — Res inquieta in sese ipsam est felicitas.

Seneca Epist. 35. *Res inquieta est felicitas, ipsa se exagitat, movet cerebrum, non uno genere alias in aliud irritat.* Nam ita scribendum censeo, nec probo librorum lectionem *alios*, siquidem non *alios in aliud*, sed *eundem alias in aliud* irritari ferrique signum est inquietudinis. [B.] Cens. Heidelb. mavult:

Res inquieta est, si est palam felicitas.

Vs. 690 — Res quanto est major, tanto est invidiosior.

Libri *insidiosior*, sed prius, ni fallor, *infidiosior*, unde illud factum fuit pro *invidiosior*. Certe vocabulum *insidiosus* passiva significatione frustra quaesivit Orellius. [B.]

Vs. 691 — Revertere, unde veneris, nonnil grave est.

Putide libri: *nihil grave est*. Transierit primo *nonnil* in *nohil*, deinde in *nihil*, sicut *n* et *h* litterae commutari inter se solent. [B.]

Vs. 695 — Rogare ingenuo servitus quodammodo est.

Perperam legitur *Rogari*, quae servitus dici nullo modo potest. [B.] *Rogari*, quod irrepsit typorum vitio jam correximus in errorum indiculo. [O.]

Vs. 696 — Roganti, quam imperanti melius pareas.

Ita Both. numeris venustioribus pro:

Roganti melius, quam imperanti pareas.

Vs. 697 — Ruborem amico excutere amicum est perdere.

Non enim sine doloris sensu, nec effoeminate feret objurgationes reprehensionesque, si fuerit homo ingenuus et liberaliter educatus; quippe in quo id ipsum etiam requiritur, juxta Plutarch. p. 46. C. de Auditione: *Καὶ μὴν τῶν γε νουθεσιῶν καὶ τῶν ἐπιπλήξεων οὔτε ἀναλγήτως οὔτε ἀνάνδρως ἀκουστέον.* [*Gruter.*]

Vs. 699 — Saepe ignoscendo injuriae dederis locum.

Libri numero debili, nec bene collocato vocabulo *injuriae*:

S. i. das injuriae locum. [B.]

C. H. conj. *Injuriae das saepe ignoscendo locum.*

Vs. 710 — Seditio civium hostium est occasio.

Civium hostium insuave ὁμοιοτέλευτον. Quare malim *civica* vel *civis*. [B.]

Vs. 712 — Semper consilium tunc deest, cum opus maxime est.

Non *semper* hoc fieri dicendum est, malimque sane:

Consilium saepe tunc deest, cum opus maxime est. [B.]

semper et *saepe* haud raro confunduntur in Mstis. [C. H.]

Vs. 716 — Semper redundat in ipsos auctores timor.

Minus recte Libri MS. *S. r. ipse in auctores timor.* [B.]

Vs. 719 — Sero est consilium te in periculis quaerere.

Libri: *Sero est in periculis consilium quaerere.* [B] C. H. mavult:

Sero est consilium quaerere in periculis. [O.]

Gregor. Nazianz. Distich. 57.

Οὐδεὶς μετ' ὀργῆς ἀσφαλῶς βουλεύεται.
Τὰ γὰρ μετ' ὀργῆς οὐδέπω βουλὴν ἔχει.

Notat hoc ipsum quoque Livius in describenda conditione Albanorum urbem suam excidio et ruinis relinquentium. Lib. I. Cap. 29. *Ac tacita moestitia*, inquit, *ita defixit omnium animos, ut prae metu obliti, quid relinquerent, quid secum ferrent, deficiente consilio, rogitantesque alii alios, nunc in liminibus starent, nunc errabundi domos suas, ultimum illas visuri pervagarentur.* [*Gruter et O.*]

Vs. 722 — Sibi primo auxilium eripere est leges tollere.
Legitur minus perspicua sententia: *Sibi primum etc.* Qui leges tollat, sibi primo dicitur officere, cum earum auxilio se privet. [B.] Bene Dio Chrysostom. Orat. LXXV. p. 646. C. τῶν παραβαινόντων τὸν νόμον ἕκαστος οὐκ ἐκεῖνον, ἀλλ' ἑαυτὸν βλάπτει. [*Gruter.*]

Vs. 725 — Solamen grande est, cum universo una rapi.
Κακομέτρως libri: *Solatium* etc. Hoc illud explicarunt, ut minus tritum. [*B. et C. H.*]

Vs. 728 — Solet sequi laus, cui viam fecit labor.
Libri minus significanter: *S. s. l. cum viam f. l.* [B.]
Lob pflegt zu folgen, wer sich Bahn mit Mühe brach. [C. H.]

Vs. 737 — Stultum est velle ulcisci alterum poena sua.
Vulgo pravis numeris: *Stultum est alium velle ulcisci p. s.* [B.] Cens. Heid. *St. e. ulcisci velle poena alium sua.*

Vs. 740 — Stultum est vicinum incendio ulcisci suo.
Perperam libri: *St. e. vicinum velle ulcisci incendio.* [B.] Notat tales Valerianus serm. XIII. *Invidia percussum est cor eorum: isti sunt, qui adversus se pugnas instituunt, et domos suas proprio igni incendunt* etc. et Atreus ulciscendi fratrem certus sic inducitur ab Seneca in Thyest. Vs. 190.

Haec ipsa pollens inclyti Pelopis domus
Ruat vel in me, dummodo in fratrem ruat. [*Grut.*].

Vs. 744 — Suadere primum, dein corrigere est benevoli.
Sic legendum pro: *Suadere benevoli est primum, dein corrigere.* [B.]

Vs. 745 — Submittet se quae se eriget felicitas.
Legitur minus recte *submittit — erigit.* [B.]

Vs. 748 — Suspecta semper ornamenta ementibus.
Add. Notae. Bene Weber:

Der Kauffmann glaubet nicht dem Schein,
Es kann Betrug darunter seyn. [O.]

Vs. 750 — Suum sequitur lumen semper innocentiam.
Friget nonnihil *semper*, ut malim propemodum:

Suum consequitur lumen innocentiam.

Ceterum libri *innocentia.* Sed verum jam vidit Schwarzius. [B.]

Vs. 752 — Tacere qui nescibit, nescibit loqui.
Hoc volunt MSSti, in quibus legitur *nescit* utroque loco. Frustra alii:

Tacere quisquis nescit, hic nescit loqui.

Alii: *Tacere nescit idem, qui nescit loqui.* [B.]

Vs. 757 — Tormentum est dulce ubi aequo premitur gaudium.
Libri affectate, nec iustis numeris:

T. o dulce, ubi aequo reprimitur gaudium.

neque juvant, qui edunt *aequo ubi.* Transiit *e* (*est*) in *o*,

quae litterae non semel commutatae sunt. Explicantis autem est *reprimitur*. [B.] Censor. Heidelb. conj.:

Tormento dulce aequum, ubi reprimitur gaudium.

aequum i. e. simile, par. [O.]

Vs. 758 — Turpis est quae inopia nascitur de gloria.

Codd. ἀμέτρως: *Turpis inopia est, quae n. d. gl.* [B.]

Vs. 759 — Turpis jactura est, quae fit negligentia.

Ita Both. Edd. *Turpis est jactura q. f. n.*

Vs. 760 — Tutissimum est timere nil praeter Deum.

Sic Both. numeris melioribus pro:

Tutissima res timere nihil praeter Deum.

Sed Christiana videtur sententia. [O.]

Vs. 768 — Ubi timetur, nil quod timetur nascitur.

Bothius in textu omittens hunc versum in notis haec annotat. Scribendum videtur: *Ubi nil timetur, quod timeatur nascitur.*

Vs. 786 — Unus dies poenam affert, multi cogitant.

Bothe et Cens. Heidelb. accipiunt cum Salmasio *cogitant* pro cogunt, congregant, exemplis ab ipso et nobis allatis addentes Plaut. Mil. Glor. II, 2. 44. (203 Both.)

— — — — — — — *illuc sis vide*

Quemadmodum adstitit, severa fronte curas cogitans.

et Phaedr. III. Fab. Prolog. Vs. 39.

Ego illius pro semita feci viam

Et cogitavi plura, quae (al. *quam*) *reliquerat.*

Cogitare pro *meditari* (*im Schilde führen*) possit adstrui ipsius Publii versu 469.

Nescio quid cogitat, cum bonum imitatur malus.

Sed ibi Bothius correxit: *Nescio quid agitat* etc. [O.]

Vs. 787 — Voluntas impudicum, non corpus facit.

Ita Casp. Orellius. Libri: *pudicum, i* littera rapta ex praecedente simili *s*. Male Gruter. aliique: *Voluptas quem pudicum n. c. f.* Refelluntur hoc isti, qui corpori libidines suas imputant. [B.]

Vs. 789 — Voluptas tacita metus magis, quam, gaudium est.

Ita Bothius. Vulgo: *Voluptas tacita mage metus q. g. e.* [O.] Egregie huc facit historia Candaulis: *qui non contentus voluptatum suarum tacita conscientia, nisi etiam matrimonii reticenda publicaret; prorsus quasi silentium damnum pulchritudinis esset*, ut loquitur Iustinus p. 8. Pari modo adolescens iste in Terentii Eun. Act. III. Scen. V.

Sed neminem curiosum intervenire nunc mihi?

Qui me sequatur, quoquo eam, rogitando obtundat, enecet

Quid gestiam etc. Referri huc quoque potest illud Persii

Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter? [Gruter.]

Vs. 791 — Vultu an natura sapiens sis, multum interest.

Sic Both. melioribus numeris. Libri: *Vultu an natura sis sapiens, m. i.*

VERSUS TROCHAICI.

Vs. 796 — Contumeliam nec fortis fert, neque ingenuus facit.

Minus recte libri: *Cont. nec ingenuus fert, nec fortis facit.* [B.] Cens. Heidelb. *Contumeliam nec facere pote nec ingenuus pati* propius ad lectionem Codicis Frising. Vide Notas. Supra Vs. 310. *Ingenuitas non recipit contumeliam.* [O.]

Vs. 797 — Cujus mortem amici exspectant, vitam cives oderint.

Libri putide: *oderunt*. *Oderint* odisse merito possunt. [B.]

Vs. 798 — Convenire cum dolore difficile est sapientiae.

C. H. *Difficulter cum dolore convenit sapientia.*

Vs. 800 — Duplex fit bonitas, si simul accesserit celeritas.

Cens. Heidelb. mavult: *Duplex sit bonitas simul accessit celeritas.*

Vs. 801 — Esse necesse est vitiorum minima maximorum maxima.

Idem fere dicit Seneca Agamemn. Vs. 148. [Both.]

Perlucet omne regiae vitium domus.

Bothius omisit hunc versum. [O.]

Vs. 804 — Expetit ab alio iratus poenas, a se ipso exigit.

Libri invenustis numeris: *Expetit poenas iratus ab alio, a. s. i. e.* *Expetit* postremam syllabam producit ante vocalem, sicut passim ejusmodi syllabae verbales. Vid. Index Plaut. v. *it*, *at*. [B.]

Vs. 806 — Felix est, non aliis esse qui videtur, sed qui sibi.

Ita Both. venustioribus numeris pro:

F. e. non qui videtur esse aliis, s. q. s.

Vs. 807 — Foeminae naturam regere, desperare est otium.

Scalig. et Grut.: *Foeminarum curam gerere, d. e. o.* Codd. Bentleii *Foeminae* tres *naturam* pro *curam*. Ipse igitur posuit, quod nunc legi solet:

Foeminae tutelam gerere, desperare est otium.

Sed accipiendum erat *naturam*. Et habet Erasmus:

Foeminae naturam regere, desperare est omnium.

Scriptum *gerere* pro *regere* perquam frequenti vitio librariorum, de quo dictum ad Senec. Herc. fur. 743. Herc. Oct. 1201. *Desperare otium*, desperare de otio, otii spem omnem abjicere. [B.] Weber:

Um Weiber sich bekümmre kein Mann,
Als der kein Friede hoffen kann. [O.]

Vs. 808 — Fortior est, qui cupiditates suas, quam qui hostes subjicit.

Ita Both. et C. H. Vulg. *non qui hostes subjicit.*

Vs. 809 — Frustra, cum ad senectutem ventum est, repetas adolescentiam.

Ita Both. pro:
Fr. cum ad senectutem est ventum, r. q.

Vs. 814 — Heu quam miserum est, laedi ab illo, de quo non ausis queri.
Vulgo — *Heu q. m. e. ab eo laedi, de quo n. a. q.* [B.].

Vs. 815 — Heu quam poenitenda incurrunt multa viventes diu.
Ita Both. numeris melioribus. Edd.
Heu quam poenitenda multa i. v. d.

Vs. 820 — Inter amicos quam inimicos judicas molestius.
Libri pessimo numero: *Inter amicos judicatur, quam inimicos molestius.* [B.]

Vs. 825 — Mage cavenda amicorum est invidia, quam insidiae hostium.
Libri: *M. cavenda est amicorum invidia, q. i. h.* [B.]
Cens. Heidelb. *Magis amicorum est cavenda invidia, q. i. h.*

Vs. 830 — Mortuo qui mittit munus, nil dat illi, adimit sibi.
Sic Both. Edd. *Mortuo munus qui mittit* etc.

Vs. 831 — Nae virtutibus ille abundat multis, qui alienas amat.
Ita Both. Libri: *Nae virtutibus multis abundat, q. a. a.*

Vs. 832 — Neminem vel accusaris vel tu laudaris cito.
Cod. Fris. Godofr. Sartor. *Neminem cito accusaveris, neminem cito laudaveris.* Gruterus aliique: *Neminem nec accusaveris nec laudaveris cito.* [B.] Cens. Heidelb.
Neminem nec accusaris, nec tu laudaris cito.

Vs. 833 — Nescias, quid optes, aut quid fugias, ita ludit dies.
Non male Weberus: *Im Leben, wie im Spiel, man oft nicht*
Weiss, was das best sey oder nicht.

Vs. 836 — Nil bene te prodest didicisse, facere si cesses bene.
Ita Both. Antea: *Nil prodest bene didicisse, f. s. c. b.*

Vs. 838 — Nondum felix es, si nondum turba te derideat.
Cod. Fris. *si nondum turba te deridet.* Gruter. etc. *deriserit.*

Vs. 839 — Non in solitudine aliter vives, aliter in foro.
Ita Both. numeris melioribus pro:
Non aliter vives in solitudine, a. i. f.

Vs. 842 — Nunquam melius morimur homines, quam ubi libenter vivimus.
Libri sententia satis frigida: *Nusquam m. m. h., q. u. l. vixerimus.* Non locus agitur, sed tempus, quo cuiquam moriendum sit, in juventute. Supra Vs. 432.
Mori est felicis, antequam mortem invocet. [B.]

Vs. 844 — Odio oportet ut peccandi, non metu facias bonum.

Ita Both. Edd. *Odio oportet peccandi ut facias, non metu bonum.*
C. H. *Non metu, sed odio oportet peccandi ut facias bonum.*

Vs. 846 — Optime positum est beneficium, ubi ejus, qui accepit, meminerit.

Minus recte libri: *ubi ejus meminit, qui accipit.* Nam *qui accipit* mirum ni meminerit, sed *qui accepit* postea est cum obliviscitur beneficii. [B.]

Vs. 848 — Pecunia est ancilla, si scis uti, si nescis, hera. *Jamb. tetram.*

Edd. interpretatione ἀμέτρῳ: *si nescis, domina est.* [B.]

Vs. 849 — Plerique, ubi aliis maledicunt, faciunt sibi convicium. *Troch. tetram. catal.*

Sic Bothius pro *faciunt convicium sibi.*

Vs. 850 — Principium est discordiae ex communi facere proprium.

Scribas licet meliore numero:
Ex communi proprium facere principium est discordiae. [B.]

Vs. 853 — Quem bono tenere non potueris, contineas malo.

Ita MS. Frising. et Sartor. Pessime Gruter. aliique:
Q. b. t. non poteris, hunc teneas malo. [B.]

Vs. 855 — Quid, quantum habeas, refert? Multo plus id est, quod non habes.

Κακομέτρως legitur:
Quid refert, quantum habeas? Multo illud plus est, quod non habes.

Vs. 857 — Res bona est, non exstirpare sceleratos, sed scelera.

Omisit Bothius in textu suo hanc sententiam tanquam prosaicam, in notis haec annotans. MS. Frising.: *Res optima est,* unde conjicias legendum esse:
Non sceleratos exstirpari, sed scelera est res optima.

Vs. 858 — Ridiculum est, nocentis odio perdere innocentiam.

Ita Both. numeris venustioribus pro: *R. e., odio nocentis p. i.* Weberus:
Thörlich ists Buben also hassen,
Dass man sein Unschuld drum wolt lassen. [O.]

Vs. 859 — Saepe dissimulare satius, quam vel ulcisci fuit.

Friget *vel.* An hoc dederat scriptor:
Saepe dissimulare satius vitia, quam ulcisci fuit. [B.]
Legerem, nisi metrum obstaret:
Saepe dissimulare satius, quam semel ulcisci fuit.
dissimulare scil. iram, *den Zorn verhalten.* Weber:
Oft ist es besser sich verstellen,
Als gar bald rechnen oder fällen. [O.]

Vs. 861 — Semper vocis et silenti temperamentum tene.
Ita scribendum cum Bothio pro *silentii.*

Vs. 862 — Sermo imago animi est: vir qualis, talis et est oratio.
Sic Both. Edd. *Sermo animi est imago: qualis vir, talis et oratio.*
C. H. *Sermo animi imago: qualis est vir, talis et est oratio.*

Vs. 863 — Si tua vita multis placuerit, tibi placere non potest.
Vulgo: *Si multis vita placuerit, tibi placere non poterit.* [B]

Vs. 864 — Sine dolore est quod ferendum est vulnus cum victoria. *Troch. tetr. cat.*
Ita Both. melioribus numeris. Vulgo:
Sine dolore est vulnus, quod ferendum cum victoria.

Vs. 865 — Si invitus pares, servus es, si volens, minister. *asyn. 2 anacr.*
Ita Both. Edd. *Si pares invitus, servus es; minister, si volens.*

Vs. 867 — Tam omnibus crudelitas est, atque nulli ignoscere.
Vulgo: *Tam crudelitas est omnibus, a. n. i.* [B.]

Vs. 872 — Tuta nunquam, saepe secura est mala conscientia.
Vulgo perversa sententia: *Tuta saepe, nunquam secura mala conscientia est.* [B.]

Vs. 873 — Ubi sis cum tuis, et absis patria, eam desideres.
Omisit hunc versum in textu suo Bothius, in notis haec annotans. MS. Frising.: *Patriam des,* ex quo hoc elicimus:
Ubi sis cum tuis et absis (a patria), *patriam non desideres.*

IN
PUBLII SYRI VERSUS
CONTRA LUXURIAM.

Vs. 1 — Luxuriae rictu.] Bothius ed. *Luxurie invicta* annotans, litteras *r* et *v* saepe commutari in Codd. *rictu* contra nostram dubitationem tuetur D. A. G. Cramerus in Notis ad Schol. vet. Iuvenalis pag. 430, explicans de luxus abundantia et profusione, metaphora sumta ab oris hiatu. Similis imago ap. Iuvenal. I. 89.

Quando major avaritiae patuit sinus?

et ideo non ineleganter *moenia marcere* dici *rictu luxuriae,* quia profusis luxuriae opibus nihil suppetat, quo sarta tecta moenia serventur. [O.]

Vs. 3 — Babylonico.] Substantivum est, ut apud Lucretium IV. 1023.

Cum Babylonica magnifico splendore rigantur.

Vide ibi Creech. [*B. et O.*]

Vs. 5 — grata, peregrina, hospita.] Hospita copulatum cum peregrina friget, nec recte Crinitus *hospiti*, cum foemina appelletur. Scribendum igitur: *hospitae*. [B.]

Vs. 8 — Nequitiae nidum.] Scribendum: *Nequitie*, i. e. per nequitiam. [B.]

Vs. 10 — Matrona.] Ipsam illam tangit, quae appellatur. [B.] Vert. *Damit die gestrenge Frau.* [O.]

Vs. 11 — Cara tribacca Indica.] Legendum cum Scaligero: *cara tibi bacca Indica.* [B.]

Vs. 14 — Probitas est carbunculus?] Ita per punctum interrogationis distinxit haec Bothius, ut sensus sit: *Num carbunculus est probitas?* i. e. Num carbunculus, quo te exornaris, tanti est (valet) quanti probitas foeminarum decus? *Probitas* scil. i. q. modestia, frugalitas inprimis circa cultum et ornatum, *Bescheidenheit, Genügsamkeit.* Vide Gronov. Diatrib. ad Stat. Silv. III. 2. C. 29. et Heindorf ad Horat. I. Sat. III. 56. p. 71. [O.]

PUBLII SYRI ET ALIORUM
SENTENTIAE CCCXXVI. NOVAE
COLLECTAE A F. H. BOTHIO.

(Ab omnibus si discrepas, nulli places.) [*Anys. Sent.* 390.]

Accipias praestat, quam inferas injuriam.

(Ad dignitatis culmen est praeceps via.) [*I. Camerar. Sent.* 3.]

Ad duo festinans neutrum bene peregeris.

5 A fronte praecipitium est, a tergo lupi.

Graece *Ἔμπροσθεν κρημνὸς* (vel *κρημνοὶ*), *ὄπισθεν λύκοι*. Cum aliquis hinc atque hinc duobus maximis premitur malis, ut, in utrumcunque inciderit, pereundum sit. [*Erasm. Adag. Chil. III. Cent. IV.* 94.]

(Aerumna nulla est, fortis quam non perferat.) [*I. Anys.* 634.]

(Aliena curiose scrutari abstine.) [*idem Vs.* 216.]

(Aliquando vincit pertinax bonitas malos.) [*J. Camerar.* 9.]

Alius in aliis rebus est praestantior.

10 (Amare cogi, quem oderis, miserrimum est.) [*Ian Anys.*]

(Amentia est teterrima indigentia.) [*idem* 144.]

Apud quem tamen legitur *invidentia.* [B.] Quod minime sollicitandum videtur. Sic enim et Ioannes Chrysostomus Homil. 44. de livore et invidia: *Καθάπερ οἱ μαινόμενοι καθ᾽ ἑαυτῶν πολλάκις ὠθοῦσι τὰ ξίφη, οὕτω καὶ οἱ βασκαίνοντες πρὸς ἓν μόνον ὁρῶντες, τὴν λύμην τοῦ φθονουμένου τῆς οἰκείας ἀλογοῦσι σωτηρίας.* [O.]

(A morte vir virtute vindicabitur.) [*Ian. Anys.* 71.]

An dives, omnes quaerimus; nemo an bonus.

Arbore dejecta ligna quivis colligit.

I. e. ut explicat Erasmus Adag. Chil. III. Cent. I. 85. Si quem fortuna praecipitem dederit, in hunc omnes incurrunt. Graecum est Proverbium servatum a Scholiaste Theocriti V. 65.

Δρυὸς πεσούσης πᾶς ἀνὴρ ξυλεύεται.

Versus Menandri Monostich. 123. [O.]

(Armatur galea saucium sero caput.) [*I. Anys.* 595.]
(Ars alia principem, alia privatum decet.) [*idem* 292.]
(Ars infortunii portus est mortalibus.) [*idem* 403.]
Ex Menandro Sent. Monostich. 309. (p. 325. Meinek.)
Λιμὴν ἀτυχίας ἐστὶν ἀνθρώποις τέχνη. [O.]

Assidua pondus non habet severitas.
(Audire praestat, quam loqui adolescentulum.) [*I. Anys.* 341.]
Auloedus fiat, qui esse citharoedus nequit. [*Cens. Heidelb.*]

Proverbium citatum a Cicerone pro Muren. 13. ex quo intelligitur artem cithara canendi habitam esse arte tibia canendi difficiliorem. Dictum autem in eos, qui desperatione meliorum ad humiliora sese conferunt, ut bene explicat Erasm. Adag. Chil. II. Cent. III. 44. Conf. Schütz. Clav. Cic. v. *Auloedus.* [O.]

(Auro loquente conticescunt omnia.) [*I. Anys.* 296.]
Bene cogitata saepe ceciderunt male.
Bene si quis audit, optimum est patrimonium.
Varians lectio sententiae inter editas 68.
Bene vulgo audire, est alterum patrimonium.

Benefactis proxime ad deos accedimus.
Beneficiorum calcar animus gratus est.
Bis ille miser est, ante qui felix fuit.
Bona est, bonos quae jungit, navigatio.
(Bona est voluptas, si rationi pareat.) [*I. Anys.* 455.]
Bonorum ultro ad convivia accedunt boni. [*Conf. I. Anys.* 446.]

Proverbium, quod servavit nobis Plato in Sympos. C. 4. *Ἕπου τοίνυν, ἵνα καὶ τὴν παροιμίαν διαφθείρωμεν, μεταβαλόντες ὡς ἄρα καὶ ἀγαθῶν ἐπὶ δαῖτας ἴασιν αὐτόματοι ἀγαθοί.* Sensus: vir bonus fiducia virtutis et amicitiae, quae generalis inter omnes probos intercedit, ad sui similem accedit non exspectatis vulgaribus istis invitatiunculis. Contrarium autem proverbium, quod sic in melius mutaverunt Plato et Publius noster, legitur apud Athenaeum IV. 27.
Αὐτόματοι δ' ἀγαθοὶ δειλῶν ἐπὶ δαῖτας ἴασιν. (Cf. Hom. Il. β. 408.)
Vid. Erasm. Adag. Chil. I. Cent. X. 35. et F. A. Wolf. V. S. ad Plat. l. l. p. 7. seq. [O.]

Bonum est duabus anchoris niti ratem.

Sensus: Bonum est duplici praesidio niti, ut, si alterum destituat, altero juvemur, ut explicat Erasmus Adag. Chil. IV. Cent. VIII. 72. Socratis est sententia (secundum alios Epicteti) apud Stobaeum Cap. I. *Οὔτε ναῦν ἐξ ἑνὸς ἀγκυρίου, οὔτε βίον ἐκ μιᾶς ἐλπίδος ὁρμιστέον.* Vide Opusc. Vet. Graec. sententiosa pag. 12. ed. nostr. [O.]

Bonus animus in mala re dimidium est mali.

Camelus cupiens cornua aures perdidit.

Proverbium in eos, qui dum peregrina sectantur, ne sua quidem tuentur. (Vide Erasm. Adag. Chil. III. Cent. V. 8. p. 676.) ex Apologo Aesopi No. 197. ed. Corai. [O.].

(Cani latranti praeda facile elabitur.) [*I. Anys.* 60]

Cave illum semper, qui tibi imposuit semel.

35 **Colo quod aptasti, ipsum jam nendum est tibi.)** [*Cens. Heidelb.*]

Ex asse respondent Germanorum proverbia: *Das Künklein, das du angelegt, musst du abspinnen* et: *Du hast den Brey gekocht, iss ihn aus.* Vide I. Mich. Sailer: Sinn und Geist deutscher Sprüchwörter p. 269. [O.]

Commune naufragium omnibus solatio est.

Graece: *Κοινὸν ναυάγιον τοῖς πᾶσι παραμύθιον.* Sens. Multo facilius fertur malum, quod nobis est cum omnibus aut cum multis commune. [*Erasm. Adag. Chil. IV. Cent. III.* 9.] Similis sententia inter editas 725.

Solamen grande est, cum universo una rapi. [O.]

Consultor homini tempus utilissimus.

Sic et Germani: *Die Zeit ist die beste Lehrmeisterin.*

Contingere est molestum, quae cuiquam dolent.

Sens.: Molestum est (viro bono) contingere ea, quae alium quempiam dolore afficiunt.

Convicia hominum turpium laudes puta.

40 **Crebro si jacias, aliud alias jeceris.**

Aristoteles in libello de divinatione per somnum Cap. 2. citat hoc proverbium:

Ἂν πολλὰ βάλῃς, ἄλλοτ᾽ ἀλλοῖον βαλεῖς.

quo significatur oportere rem saepius tentare, neque defatigari protinus, si quando parum ex animi sententia ceciderit; futurum enim, ut iterum atque iterum periclitanti felicius aliquando cadat. [*Erasm. Adag. Chil. I. Cent. II.* 13.]. Plutarchus de Defect. Orac. p. 437. Xyl. *Καθάπερ οἱ πολλὰ βάλλοντες ἐπιτυγχάνουσι πολλάκις.* Conf. Becker. in editione novissima libelli Aristotelici. p. 69. [O.]

(Cui convenit cum paupertate dives est.) [*Ex MS. G. Fabricii.*]

Cuivis artifici in arte credendum est sua.

Culpa vacare maximum est solatium.

Cupido atque ira consultores pessimi.

Deformis simiarum erit pulcherrima.

Proverbium de iis, quae ipso suo genere sunt vitiosa, neque prorsus conferenda cum iis, quae sunt in honestorum ordine. Graece *τῶν πιθήκων εὐμορφώτατος δύσμορφός ἐστι.* Citatur a Platone et ad Heraclitum auctorem refertur. [*Erasm. Adag. Chil. II. Cent. V.* 54.]

Deo favente naviges vel vimine.

(Deterrimum est amissus in vitiis pudor.) [*I. Camerar.* 35.]

Dies quandoque noverca, quandoque est parens. [*Cens. Heidelb.*]

I. e. Dies alias bona alias mala affert mortalibus. Est versus Hesiodi *Ἐργ.* Vs. 825.

Ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέρη, ἄλλοτε μήτηρ.

Conf. Erasm. Adag. Chil. I. Cent. VIII. 64. [O.]

Difficile est custodire, quod multis placet.

50 (Difficilius desuescere est, quam adsuescere.) [*I. Anys.* 196.]

Divisus ignis extinguetur celerius.

Domi manere virum fortunatum decet.

Graece: *Οἴκοι μένειν δεῖ τὸν καλῶς εὐδαίμονα.* Citat Diogenianus Cent. VII. 35. pag. 242. ed. Schott. Sic et Menander:

Οἴκοι μένειν χρὴ καὶ μένειν ἐλεύθερον.
Ἢ μηκέτ' εἶναι τὸν καλῶς εὐδαίμονα.

Sens.: Cui suppetat copia facultatum, is si velit felicem agere vitam, domi vivat: nusquam enim vivitur commodius, nusquam liberius. Qui eget, peregrinando rem quaerat, ac fortunae experiatur aleam. Conf. Erasm. Adag. Chil. III. Cent. I. 13. et Meineke in novissima editione Fragmentorum Menandri p. 65., qui citat versus simillimos Aeschyli ab eodem Stobaeo l. l. servatos:

Οἴκοι μένειν δεῖ τὸν καλῶς εὐδαίμονα,
Καὶ τὸν κακῶς πράττοντα καὶ τοῦτον μένειν. [O.]

(Dominus domus est servus assiduus suae.) [*I. Anys.* 333.]

Domum qui aedificat, impolitam ne sinat.

55 Dona ingeni et fortunae proposita omnibus.

Dulcis malorum praeteritorum memoria.

(Eam elige artem, quam et senex exerceas.) [*I. Anys.* 247.]

(Egestas saepe ducit ad sapientiam.) [*idem* 594.]

Equo currenti non opus calcaribus.

Similiter Ovidius III. Pont.
Non opus admisso subdere calcar equo.

De Proverbiis: *Currentem incitare. Sponte currenti calcar addere.* Vid. Erasm. Adag. Chil. I. Cent. II. 46. 47. [O.]

60 Est homini semper diligenti aliquid super.

Chrysostomus Homil. in Joann. 19. refert hoc dictum tanquam tritum vulgi sermone proverbium. Qui vere diligens est in negotio, nunquam sibi satisfacit; semperque videt aliquid, quod operi coepto adjiciat: quum ignavis, quidquid egerint, nimium videatur. [*Erasm. Chil. IV. Cent. V.* 48.]

Est liberi hominis vera semper dicere.

Est regium male audire et bene facere.

Est solitudo mater sollicitudinis.

(Et verba et opera foeda sunt venalia.) [*I. Anys.* 124.]

Exire magnus e tugurio vir potest.
65 (Feras timebis, at homines multo magis.) [*I. Anys.* 436.]
Ferme fugiendo in media fata incurritur. [*MS. G. Fabricii.*]
Ferrum dum in igni candet, cudendum est tibi.
I. e. Arripienda, quae datur occasio et rei bene gerendae tempus non praetereundum. Proverbium tritissimum apud Francogallos: *Il faut battre le fer, quand il est chaud*, apud Germanos: *Man muss das Eisen schmieden, weil es warm ist.* Vide Bovill. Append. Adag. Erasmi. [O.]
Fortuna multis parcere in poenam solet.
Fortunae dona magna non sunt sine metu.
70 Fortunae invidia est, si quis immerito est miser. [*MS. G. Fabricii.*]
Fortunam cuique mores confingunt sui.
Cornelius Nepos in vita Attici Cap. XI. *Itaque hic fecit, ut vere dictum videatur: Sui cuique mores fingunt fortunam*, ubi vide intpp. nubem exemplorum citantes pag. 278. seq. ed. Bardili. Hinc Heracliti dictum citatum ab Alexandro Aphrodis. in Libro de Fato: Ἦθος ἀνθρώπου δαίμων. Conf. Erasm. Adag. Chil. II. Cent. IV. 30. [O.]
(Frustra expetuntur, quae impetrari non queunt.) [*I. Anys.* 106.]
Frustra timetur, quod necesse est perpeti.
Generosus equus haud curat latratum canum.
Sens.: Vir bonus haud curat improborum convicia.
75 Gladiator in ipsa arena consilium capit.
Vetus proverbium est, gladiatorem in harena consilium capere. (Verba sunt Senecae ad Lucil. Epist. 3.) Monet e re nata mutandum aliquando consilium, et tempori, quod aiunt, serviendum. Conf. Erasm. Adag. Chil. I. Cent. VI. 47. [O.]
Gradus futuri est finis praesentis mali.
Sensus: Cum malum futurum sive instans advenerit, praesens raro manet, sed finitur plerumque et adnumerabitur rebus praeteritis, vel saltem minus dolet. *Gradus futuri mali* i. q. progressio ad futurum malum. *Der Ueberschritt zum künftigen Uebel.* [O.]
Haud advocatus ne ad consilium accesseris.
Haud errat tota, qui redit media via.
(Homini haud referre, simile id est homicidio.) [*Ambros. ap. G. Fabric.*]
80 Honesta egestas pompa inani pulchrior.) [*I. Anys.* 186.]
Honesta fama est alterum patrimonium.
Varia lectio sententiae 283. inter editas:
Honestus rumor est alterum patrimonium. [O.]
Honesta quaedam scelera successus facit.
Honeste natos non decet male vivere.

(Iactura nulla gravior est, quam temporis.) [*I. Anys.* 9.]
85 (Id disce, quod te faciat meliorem in dies.) [*idem* 260.]
Idem duo cum faciunt, non tamen est idem.
Ignavus omnis omni cessat tempore.

Respondet Proverbio: *Desidi semper sunt feriae.* [O.]

(Imitare facta, quorum amaris gloriam.) [*I. Anys*, 476.]
(Impensa nulla carior est, quam temporis.) [*I. Camerari* 55.]
90 (Incuria est opulentiae dulcis soror.) [*I. Anys.* 456.]
(Industrio ignavum otium poena est viro). [*I. Camerar.* 56.]
(In femina invenire difficillimum est fidem. [*I. Anys.* 367.]
Ingrato tellus homine nil pejus creat.
(Iniquum est commodo omnia metiri suo.) [*I. Anys.* 62.]
95 Inimicus oculus esse vicini solet.

Alciphron Lib. I. Epist. XV. *Δυσμενὴς καὶ βάσκανος ὁ τῶν γειτόνων ὀφθαλμός, φησὶν ἡ παροιμία.* ubi vide intpp. pag. 88. seqq. ed. Wagner. [O.]

In nil sapiendo vita est jucundissima.
Injuriae plus in maledicto est, quam in manu.
(Injuriae vir fortis obliviscitur.) [*I. Anys.* 565.]
(Injuria vir innocens non laeditur.) [*I. Camerar.* 190.]
100 In re mala animo si bono utare, adjuvat. [*Plaut. Capt.*]
In sterculino plurimum gallus potest.

Proverbium hoc servavit nobis Seneca in Apocolocynth. p. 850. ed. Gronov. maj. *Claudius, ut vidit virum valentem, oblitus nugarum, intellexit neminem parem sibi Romae fuisse, illic non habere se idem gratiae, gallum in suo sterquilinio plurimum posse.* (Allusit ad Claudium Imperatorem Lugduni natum) Sensus: In alieno timidiores sumus omnes, in suo quisque regno ferocior est et animosior. [*Erasm. Adag. Chil. IV. Cent. IV.* 25.] Simile Germanorum proverbium: *Es ist dem Hund am woehlsten auf seinem Mist.* *Sterculinum* antique pro sterquilinium. [O.]

Intensus arcus nimium facile rumpitur.

Sententia inter editas 53.

Arcum intensio frangit, animum remissio.

Conf. Erasm. Adag. Chil. IV. Cent. V. 77. [O.]

In tranquillo esse quisque gubernator potest.

Verba sunt Senecae in Epist. Conf. Erasm. Adag. Chil. IV. Cent. IV. 96. [O.]

(Inventa non sunt cuncta; adhuc studio est opus.) [*I. Camerar.* 68.]
105 Invidiosum esse praestat, quam miserabilem.
Iusta atque injusta audire magistratum decet.
Iuxta bonum homini dat deus duplex malum.

(Labore corpus, discendo animum exerceas.) [*I. Anys.* 47.]

Labor juventuti optimum est obsonium.

Imo et senectuti, ut docet Graecum proverbium "Οψον ἄριστον πόνος τῷ γήρᾳ. Conf. Erasm. Adag. Chil. III. Cent. III. 65. [O.]

110 **Laudata improbitas fiet intolerabilis.**

Laudato parce, vituperato parcius.

Leo a leporibus insultatur mortuus.

Leonem mortuum etiam catuli insultant.

Duo proverbia idem significantia in eos, qui vel mortuos, vel eos insultant, qui potentes olim, nunc imperio depulsi viles et contemti jacent. Exstat Graecum Epigramma:

Βάλλετε νῦν μετὰ πότμον ἐμὸν δέμας, ὥστε καὶ αὐτοὶ
Νεκροῦ σῶμα λεόντος ἐφυβρίζουσι λαγωοί.

Conf. Erasm. Adag. Chil. IV. Cent. VII. 82. et Aesopi Fabulam *Κύνες καὶ ἀλώπηξ* No. 376. Corai. [O.]

Lepores duo qui insequitur, neutrum capit.

Hujus proverbii sensus est: Qui simul duplex commodum sectatur, utroque frustratur. Graeci: *Ὁ δύο πτῶκας διώκων οὐδέτερον καταλαμβάνει* et *Δυοῖν ἐπιθυμήσας οὐδετέρου ἔτυχες.* [Erasm. Adag. Chil. III. Cent. III. 36.]

115 **Longaeva vita mille fert molestias.**

Magister orandi optimus necessitas.

Magister usus omnium est rerum optimus.

Magnarum aquarum transiliri fons potest.

Quinctilianus Inst. Lib. VIII. Cap. 3. §. 76. (p. 265. Spald.) citans: *Magnorum fluminum navigabiles fontes sunt* falsis hanc sententiam parabolis adnumerat. [O.].

(Magni viri est injuriam contemnere.) [*I. Camerar.* 73.]

120 **Malae est uxoris poena nulla acerbior.** [*Poeta vetus ap. Charis. cit. a G. Fabricio.*]

Male habebit medicus, nemo si male habuerit.

Malum est habere servum, qui dominum docet.

Malus ipse fiet, qui convivet cum malis.

Theognidis versus citati a Xenoph. Mem. I. 2. §. 20.

Ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ' ἐσθλὰ διδάξεαι· ἢν δὲ κακοῖσι
Συμμιγέῃς, ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον. [O.]

Maritimus cum sis, fieri terrestris cave.

Graecum proverbium: *Θαλάττιος ὢν μήποτε χερσαῖος γένου.* Admonet non mutandam conditionem, ne in melius quidem, verum unicuique tuendum id vitae genus, ad quod vel institutus a natura videtur, vel in quod casu incidit. Mutuo sumptum ex Apologo Aesopi de cancro *Καρκίνος καὶ ἀλώπηξ* No. 95. ed. Corai. Conf. Erasm. Adag. Chil. III. Cent. V. 11. [O.]

125 **Mature fias, esse diu si vis senex.** [*Vide Cic. de Senect. Cap. X.*]

Medicorum nutrix est intemperantia.

(Medicus loquax aegro aegritudo tristior.) [*I. Anys.* 391.]

Menandri est sententia inter Monostich. 278. (p. 323. Meineke):

Ἰατρὸς ἀδόλεσχος νοσοῦντι πάλιν νόσος. [O.]

Melius est quidquam possidere quam nihil.

(Mens pura centum gratior tauris deo). [*I. Anys.* 1.]

Θυσία τῷ Θεῷ γνώμη ἀγαθή est Sexti Pythagorei Sent. 10. in Opusc. Vet. Graec. sententios. Tom. 1. pag. 244. [O.]

130 **(Mensura eadem aut pleniori reddito.)** [*I. Anys.* 587.]

Comparanda cum hac sententia D. Soteris verba Luc. VI. 38. *Δίδοτε καὶ δοθήσεται ὑμῖν, μέτρον καλὸν, πεπιεσμένον καὶ σεσαλευμένον καὶ ὑπερεκχυνόμενον δώσουσιν εἰς τὸν κόλπον ὑμῶν· τῷ γὰρ αὐτῷ, ᾧ μετρεῖτε, ἀντιμετρηθήσεται ὑμῖν.* [O.].

Metue senectam, non enim sola advenit.

(Mitescit arte, quidquid est ortum rude. [*Secundum I. Anys.* 392.]

Anysius: *Fit arte mite, quidquid e. o. r.* [B.]

(Modestus esto aeque in jocis ac seriis). [*I. Anys.* 158.]

(Monstrum est infirmus juvenis et demens senex.) [*I. Anys.* 307.]

135 **Morbos fecerunt multa multos fercula.**

Mores amici noveris, non oderis.

Est varia lectio sententiae inter editas 31.

Amici vitia noveris, non oderis.

ex Menandri Monostich. Vs. 535.

Φίλων τρόπους γίγνωσκε, μὴ μίσει δ' ὅλως. [O.]

Mores dicentis suadent plus quam oratio.

Mortalis nemo est, quem non attingat dolor. [*Eurip. ap. Cic. Tusc. III.*]

Mors misera non est, aditus ad mortem miser. [*Poeta vet. ap. Quintilian. VIII.* 5.]

140 **Morti debetur, quidquid unquam nascitur.**

(Mulcet superba lene verbum pectora.) [*I. Anys.* 18.]

Muliebre furere est; ira regem non decet. [*Poeta vet. ap. Senec. de Clementia.*]

(Mulier domus aut calamitas est, aut salus.) [*I. Anys.* 330.]

Ex Menandro Sent. Monostich. 85. (p. 315. ed. Meineke.)

Γυνὴ γὰρ οἴκῳ πῆμα καὶ σωτηρία. [O.]

(Multo quam ferrum lingua ferit atrocius.) [*I. Anys.* 528.]

145 Musco lapis volutus haud obducitur.

Sensus esse videtur: Non torpebit ignavia, quem laborare coegeris. [O.]

(Neglexeris si parva, perdas maxima.) [*I. Anys.* 371.]

Ne major quam facultas sit benignitas.

Nemo alteri concedit imperium volens. [*Poet. Vet. ap. Sallust. ad Caesar. de rep. ord.*]

Nemo esse judex in sua causa potest.

150 Ne plus promittas quam praestari possiet.

Relictum a poeta suspicor. *Cave plus promittas* etc., quem versum vividiores numeri commendant. [B.]

Nihil est miserius, quam mali animus conscius.

Nihil est, quod caute simul agas et celeriter.

Nil exigenti praestare est pulcherrimum.

(Nil rege justo pulcrius sol adspicit.) [*I. Anys.* 178.]

155 (Nil suavius, quam audire vera et dicere.) [*idem* 141.]

Nimia simplicitas facile deprimitur dolis.

Nimium tendendo rumpi funiculus solet.

Graece: *Ἀποῤῥαγήσεται τεινόμενον τὸ καλῴδιον.* Citavit Lucianus Dial. Meretr. in eos dici solitum, qui dum extrema experiuntur, alienant a se eos, cum quibus agunt, et universae rei jacturam faciunt, dum plus satis attenti sunt ad lucrum. [*Erasm. Adag. Chil. I. Cent. V.* 47.]

Nisi ignorantes, ars osores non habet.

(Nisi pauca serves, interibunt plurima.) [*I. Camerar.* 92.)

160 (Nocet aliquando vindicare injuriam.) [*idem* 93.]

Noli reverti, ad finem ubi perveneris.

Non ad rogata respondendum semper est.

(Non ambulatrix admodum mulier placet.) [*I. Anys.* 531.]

Non est honestarum ulla rerum satietas.

165 Non est movendum bene consopitum malum.

Non falx mittenda in messem est alienam tibi.

(Non ferre mortem, mutuum est non reddere.) [*I. Anys.* 355.]

(Non fruitur heres tertius turpi lucro.) [*idem* 477.]

(Non habet avarus, non habebit prodigus.) [*I. Camerar.* 100.]

170 Non omnia evenire, quae statuas, solent.

Non omni eundem calceum inducas pedi.

Galenus Therapeut. Lib. IX. *Ἐκεῖνοι μὲν οὔτε ζητοῦσιν οὔτε ἴσασιν, ἀλλὰ κατὰ τὴν παροιμίαν, ἐνὶ καλόποδι πάντας ὑποδέουσιν.* loquitur de quibusdam medicis imperitis, qui non

habita ratione morborum, eadem remedia admovent omnibus, cum diversa mala diversam curationem desiderent. [*Erasm. Adag. Chil. IV. Cent. IV.* 56.] Habebant scil. veteres unicuique pedi suum calceum, dextro dextrum, sinistro sinistrum, quos commutare pro pessimo omine habebatur. Sueton. Aug. C. 92. *Si mane sibi calceus perperam ac sinister pro dextro indueretur, id dirum auspicium observabat.* Vide inprimis C. A. Boettiger. Sabina pag. 109. ed. 2. [O.]

(Non omnibus imbro Jupiter laeto pluit.) [*Secundum I. Anys.* 488.]

Theognidis dictum — — — — *οὐδὲ γὰρ ὁ Ζεὺς*
Οὔτ' ὕων πάντας ἁνδάνει, οὔτ' ἀπέχων. [O.]

Non potis est esse honestum, quod non liberum est.

Non quare et unde, quid habeas, homines rogant. [*Eurip. ap. Senec. ad Lucil. laud. G. Fabric.*]

Similis sententia:
Unde habeas quaerit nemo, sed oportet habere.

175 Non tutae sunt cum regibus facetiae.

Non vindicandum scelere, si possis, scelus. [*MS. G. Fabricii.*]

Non unquam sera est ad bonos mores via.

Nulla est voluptas, quin assiduae taedeat.

(Nulla improborum stat diu felicitas.) [*I. Anys.* 276.]

180 Nulli est avarus quam sibi infestus magis. [*idem* 72.]

Nunquam dati memineris, accepti es memor.

Nunquam vir aequus dives evasit cito. [*Menander ap. G. Fabric.*]

(Obscurius quidquid inquirendo discitur.) [*I. Anys.* 209.]

(Occaecat animos affluens felicitas.) [*I. Camerar.* 112.]

185 Occultae nullus est respectus musicae.

Oculis habenda quam auribus est major fides.

Odi praecoci puerulos sapientia.

Citat versiculum hunc nescio ex quo poeta Apulejus in Apolog. 2. Vulgo invaluit opinio ut credant puerulos maturius sapientes aut non fore vitales, aut dementes futuros, simulatque ad aetatem maturam pervenerint. [*Erasm. Adag. Chil. IV. Cent. II.* 100.]

Odi sapientem, qui sibi non sapit.

Ex Menandro Sent. Monostich. 332. (p. 326. Meineke.)
Μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός. [O.]

(Officium damno esse haud decet praestantibus.

190 (Opem petenti aut cito des, aut negites cito.) [*I. Anys.* 35.]

(Oratio expedita veritatis est.) [*I. Camerar.* 115.]

(Oratione hominem aestima, non pallio.) [*I. Anys.* 612.]

'Orationi vita ne dissentiat.
Pacem cum hominibus, bellum cum vitiis habe.

Legitur inter sententias prosaicas No. 64. pag. 61. *Pacem cum hominibus habebis, bellum cum vitiis.* [O.]

(Parabile est, natura quod desiderat.) [*I. Anys.* 452.]
Parit contemtum nimia familiaritas.
Parium cum paribus facilis congregatio est.
Pejora juvenes facile praecepta audiunt.

Respondet Germanorum proverbio: *Jugend hat nicht Tugend.* [O.]

Perdes majora, minora nisi servaveris.
Perit voluptas, virtus immortalis est. [*MS. G. Fabricii.*]
(Persaepe, plus qui amplectitur, retinet minus.) [*I. Anys.* 293.]
Personam fictam diu ferre nemo potest.
Pipere qui abundat, oleribus miscet piper.

Graece: *Ὁ πολὺ ἔχων πέπερι, τίθεσι κἂν λαχάνους.* Erasmus Adag. Chil. III. Cent. III. 67. explicat: Cui rei cujuspiam largior copia est, ea profusius utatur licebit; de pusillo parcius sumendum. H. Stephanus autem (Animadvv. ad Erasmi Adag. p. 643.) Qui re quapiam abundat, nullum in ejus usu delectum adhibet. Piper oleribus admistum fuisse testatur et Martialis XIII. Epigr. 13.

Ut sapiant fatuae fabrorum prandia, betae,
O quam saepe petet vina piperque coquus. [O.]

Pirum, non ulmum, accedas, si cupias pira.
Placere multis opus est difficillimum.
Plerumque similem ducit ad similem deus.

Sententia Homerica Odyss. XVII. 217. ubi Melanthius caprarius ad Eumaeum:

Νῦν μὲν δὴ μάλα πάγχυ κακὸς κακὸν ἡγηλάζει·
Ὡς αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς πρὸς τὸν ὁμοῖον. [O.]

(Poena gravi ipsum ulciscitur sese scelus.) [*I. Anys.* 88.]
Potest quid esse honestum, quod non liberum est? [*MS. G. Fabricii.*]
(Prae se ipso amabit veritatem vir bonus.) [*I. Anys.* 255.]
Praesentibus sapientia est uti bonis. [*I. Camerar.* 127.]
Praesentis absentisque amici sis memor. [*I. Anys.* 214.]
Praestare invidiam dico misericordiae.

Quia scil. invidia erigit animos; misericordia deprimit. [O.]

Privata studia publicum evertunt bonum.
Prius ovem, credo, ducet uxorem lupus,
Prius testudo lepores anteverterit.

Deest alterum comparationis membrum, quod exstabat procul dubio in mimo deperdito.

Probae materiae probus est adhibendus faber.

Proverbia haec sunt, non sententiae morales. Fateor; sed proverbiis quoque locus est in mimis fabulisque; nec indigna haec videntur Syri ingenio. [B.]

(Prodest, fieri id putare, quod fieri potest.) [*I. Camerar.* 132.]

(Prudenter agito; viderint alii postea.) [*I. Anys.* 187.]

Quae defloruerit, ne iterum quaeratur rosa.

I. e. Ne te maceres desiderio rerum, quae revocari restituique non queunt, velut exactae juventae, formae, virium, fortunae. Nam ut nihil est rosa gratius, ita nihil minus diuturnum. In eundem sensum dixit Horatius I. Od. XXXVIII. 3.

Mitte sectari, rosa quo locorum
Sera moretur.

Graecum Proverbium. *Ῥόδον παρελθὸν οὐκέτι ζητεῖ πάλιν.* [*Erasm. Ad. Chil. II. Cent. VI.* 40.]

220 Quae desiit amicitia, ne coepit quidem.

Quae fieri fas est, tempore haec fient suo.

Quae pigeat invenisse, cave quaesiveris.

Quaerendus cuneus est malus trunco malo.

Hieronymus ad Ocean. citat: *Malo nodo malus est quaerendus cuneus.* Proverbium sumptum a sectoribus roborum, qui, si quando durior in ligno nodus inciderit, nolunt in eo periclitari securim, verum cuneum quempiam durum magis quam bonum inserunt. Sensus est malitiam simili malitia retundendam. Congruit huic Sophoclis illud apud Plutarch. *περὶ τῆς εὐθυμίας.*

Πικρὰν χολὴν κλύζουσι φαρμάκῳ. [*Erasm. Ad. Chil. I.* Cent. II. 5.]

Quam quisque novit artem, in hac se exerceat. [*Cic. ex Aristoph. Vesp. ap. G. Fabric.*]

225 (Quam tantum amaveris, vita ad mortem cursus est.) [*I. Anys.* 329.]

(Quamvis scelestum poenitet sceleris tamen.) [*I. Anys.* 206.]

Quidquid vis esse tacitum, nulli dixeris.

(Quid est ebrietas? Sponte contractus furor. [*I. Camerar.* 142.]

Qui impegit in uno, in omnibus explodi solet.

230 Qui maria sulcant, ventum in manibus non habent.

Qui properat nimium, res absolvit serius.

Proverbium, ad quod Plato allusit Lib. VII. de Rep. *Σπεύδων γὰρ ἔφην ταχὺ πάντα διελθεῖν, μᾶλλον βραδύνω.* Conf. Erasm. Adag. Chil. III. Cent. V. 60. [O.]

Qui vir sit, apparebit in discrimine. [*Cens. Heidelb.*]

(Quisquis senescis, praepara viaticum.) [*I. Anys.* 313.]

Quis tura desunt, hi mola salsa litant.

Quod aliis vitio vertis, ne ipse admiseris.

(Quod Musae dant viaticum, auferri nequit.) [*I. Anys.* 393.]

(Quod tute tibi parasti, id est dulcissimum.) [*idem* 208.]

Quondam fuere strenui Milesii.

Legitur etiam: *Olim fuere st. M.* Conf. Athenaeus XII. 7. [B.]

Graece: *Πάλαι ποτ᾽ ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι.* Hoc senario notabant eos, qui a pristina fortuna deflexissent, aut a majorum moribus degenerassent. Vide Erasm. Adag. Chil. I. Cent. IX. 49. [O.]

Quot servos, totidem habemus quisque hostes domi.

(Quotidiana ab homine est homini cautio.) [*Secundum I. Camerar.*]

Rana in paludem ex aureo resilit throno.

Simile dictum — *Naturam expellas furca, tamen usque recurret.* [O.]

Recte sapit, periclo qui alieno sapit.

Recte valere et sapere duo vitae bona.

Similis sententia:

Optandum est, ut sit mens sana in corpore sano.

et Menandri Monostich. 519. (p. 333. Meinek.)

Ὑγίεια καὶ νοῦς ἀγαθὰ τῷ βίῳ δύο. [O.]

Reflectere noli, ad terminum ubi perveneris.

Regum fortuna casus praecipites rotat.

Remedio amaro amaram bilem diluunt.

Scil. medici. Vide supra Vs. 228. *Quaerendus est cuneus malus trunco malo.*

Res quaeque tanti est, quanti emtorem invenerit.

Rerum amissarum remedium est oblivio.

(Saepe est egestas dulcior quam copia.) [*I. Anys.* 128.]

Salis absumendus modius, prinsquam habeas fidem.

Graece legitur hoc proverbium apud Aristotelem Ethic. Nicom. VIII. *Ἔτι δὲ προσδεῖται χρόνου καὶ συνηθείας (ἡ φιλία). Κατὰ τὴν παροιμίαν γὰρ οὐκ ἔστιν εἰδῆσαι ἀλλήλους πρὶν λεγομένους ἅλας συναλῶσαι.* Significat autem hominis ingenium non posse perspici, nisi diuturno conviotu longoque commercio. [*Erasm. Adag. Chil. II. Cent. I.* 14.]

Sapiens suis fortunam fingit moribus. [*Vetus, sed ignoti, poetae ap. Fabric. Conf. Plaut. Trinumm.* 333.]

Sapientiae plerumque stultitia est comes.
(Sapientiam nil propius est, quam veritas.) [*I. Anys.* 180.]
Sapiet, qui res utibiles, non multas, sciet.
Utibilis antique pro *utilis*. Vide Laurenberg. Antiquar. h. v. Sic Terentius Phorm. IV. 4, 10.
Quid minus utibile fuit, quam hoc ulcus tangere? [O.]
255 Sapit nequidquam, qui sibi ipsi non sapit.
Satius ignorare est rem, quam male discere.
Satius mederi est initiis, quam finibus.
Satius est sero te, quam nunquam discere.
Scintillae non fabrorum terrent filios.
I. e. Iis, qui in arte aliqua exercitati sunt, nec molestiae nec pericula cum illa conjuncta ab ea exercenda absterrere poterunt. [O.]
260 Secreta amici conde thesauri loco.
Secundae amicos res parant, tristes probant.
Varians lectio sententiae inter editas 821.
Ipsae amicos res opimae pariunt; adversae probant.
Semel qui fuerit, semper perhibetur malus.
(Senex inops spectaculum est tristissimum. [*I. Anys.* 8.]
Serum est cavendi tempus in mediis malis.
265 (Se vincere optima omnium victoria est.) [*I. Anys.* 17.]
Sibi imperare est imperiorum maximum.
Simulans amicum inimicus inimicissimus.
Simulata vultu probitas nequitia est duplex.
Sine me pessimum vocari, ut dives vocer. [*Eurip. ap. Senec. laudatus a G. Fabricio.*]
270 (Sine mente dives aureo aries vellere est.) [*I. Anys.* 218.]
(Sint rara, delectare quae apprime velis.) [*I. Anys.* 577.]
Si sis marinus, abstine a terrestribus.
Vide supra Vs. 129. *Maritimus cum sis etc.* [O.]
Si tutemet te amaris, erunt, qui te oderint.
Stulti execrantur miserias atque appetunt.
275 Stultum est, caveri quod potest, admittere.
Stultum est, incerta si pro certis habueris.
{Suavissima haec est vita, si sapias nihil:
Nam sapere nil doloris est expers malum.}
Subinde bos alienus prospectat foras.
Graece: Βοῦς ἀλλότριος τὰ πολλὰ ἔξω βλέπει. De iis, qui apud alienos non satis ex animi sententia tractantur eoque saepius suos desiderant. [*Erasm. Adag. Chil. I. Cent. X.* 62.]

280 (Subito in periculo rapidum consilium valet.) [*I. Anys.* 198.]
(Succedat ut tandem, experieris saepius.) [*Secundum I. Camerar.* 185.]
Summum jus summa plerumque est injuria.
Tacendo non incurritur periculum.
(Tacere ni obsit, aut loqui prosit, tace.) [*I. Anys.* 217.]
285 (Te ipsum verere non minus quam ceteros.) [*I. Camerar.* 180.]
(Tempus novi aliquid semper in nobis parit.) [*I. Anys.* 217.]
Timet qui paupertatem, quam timendus est.

Exstat hic versus in MS. Fris. unde protulit Gothofredus. (Sent. Pros. 85.) Paupertatem timere is dicitur, qui nihil non audet admittitque, ut eam ab se arceat, pecuniamque rebus omnibus anteponit. [B.] Conf. Publii Sent. 616. inter editas. [O.]

(Tres vera dicunt, ebrius, fatuus, puer.) [*I. Anys.* 602.]

Anysius ἀμέτρως, ut solet: Hi vera dicunt: *ebrii, fatui, pueri.* [B.]

Tui cum sitiant, ne agros alienos riga.
290 (Tum maxime audendum, asperae cum res premunt.) [*I. Anys.* 478.]
Vel strangulari pulchro de ligno juvat.

Graece: Ἀπὸ καλοῦ ξύλου κἂν ἀπάγξασθαι καλόν. Admonet paroemia calamitatem tolerabiliorem esse, si cum honestate fuerit conjuncta et dedecore vacaverit; v. c. vinci quidem, sed a victore tam insigni, ut honestius et optabilius videatur sic vinci, quam alios quosdam vicisse. [Erasm. Adag. Chil. II. Cant. II. 8.] Mihi potius sensus videtur: Quascunque aerumnas et molestias perferre juvat, ut pulchro potiaris, ut sermo sit de amore. [O.]

Vel taceas, vel meliora dic silentio.
(Venale quidquam in rege pro piaculo est.) [*I. Anys.* 159.]
Vicina saepe vitia sunt virtutibus.
295 (Vicissitudo tandem rerum est omnium.) [*I. Anys.* 195.]
(Vigere mens in corpore infirmo solet.) [*Secundum ejusdem* 424.]
Vinci expedit, damnosa ubi est victoria.
Vino vendibili suspensa hedera non opus.

Sensus proverbii: Vera virtus non eget alienis praeconiis, resque praeclarae per se placent, neque desiderant aliorum commendationem. Ita Plautus in Poenul.

Invendibili merci oportet ultro emptorem adducere.
Proba merx facile emptorem reperit.
Sumptum apparet e cauponum more, qui vinariis tabernis signum hederaceum solent praetendere. [*Erasm. Adag. Chil. II. Cent. VI.* 20.]

Vir fugiens haud moratur concentum lyrae.

Graece: *Ἀνὴρ φεύγων οὐ μένει λύρας κτύπον.* Proverbium in eos, qui in rebus periculosis ac seriis properandi studio negligunt leviora. [*Erasm. Ad. Chil. I. Cent. X.* 38.]

300 (Virtus adaequat clara summis infimos.) [*I. Anys.* 536.]
(Virtute laudem quaere, non versutia.) [*idem* 429.]
(Virtutis arma ubicunque sunt fortissima.) [*I. Camerar.* 203.]

Similis Menandri sententia Monostich. 433. (p. 336. Meineck.)
Ὅπλον μέγιστόν ἐστιν ἡ ἀρετὴ βροτοῖς. [O.]

Virum ne habueris improbum comitem in via.
(Virus dilutum nectare assentatio est.) [*I. Anys.* 180.]
305 Vita et fama hominis ambulant passu pari.
Vitam regit fortuna, non sapientia.
Vitandae causa invidiae vela opulentiam.
Vitia inveterata difficulter corrigas.
(Vitiis careto, recta quisquis praecipit.) [*Secundum Anysium* 622.]
310 (Vitium est utrumque nulli et omni credere.) [*MS. Fabric. Camerar.* 209.]
Vitium sollemne fortunae est superbia.
(Vivamus et futura sint curae diis.) [*I. Anys.* 510.]

VERSUS TROCHAICI.

Calamitatum habere socios miseris est solatio.
Decipi ille non censetur, qui scit sese decipi.
315 Festinationis error comes et poenitentia.
Hora saepe reddit una, quod decennium abstulit.
Malitia ipsa sui veneni maximam partem bibit.
Multa nulli cogitata temporis punctum attulit.
Multa sub vultu latuerint odia, multa in osculo.

Varians lectio sententiae inter editas 524.
Odia alia sub vultu, alia sub osculo latent. [O.]

Ne sit, inter amicos dicta qui foras eliminet.
Nil tam difficile est quin quaerendo investigari possiet. *iamb. tetram.*
Raro est ejusdem hominis multa et opportuna dicere.
Satius est bono placere te uni quam multis malis.
Si novos parabis amicos, veterum ne obliviscere.
Veterior canis catenis adsuefieri non potest.
Vile nil decet sonare in maximorum laudibus. [*MS. Fabric.* 367.]

CONTRA VERSUS SEQUENTES INTER EDITOS TANQUAM PUTIDOS ET INEPTOS VEL ETIAM METRO ADVERSANTES EX EDITIONE SUA EXULARE IUSSIT BOTHIUS.

Vs. 26 Amicitia pares aut accipit aut facit.
— 27 Amicitia semper prodest, amor et nocet.
— 29 Amici vitia nisi feras, facis tua.
— 42 Amor, ut lacryma, oculis oritur, in pectus cadit.
— 47 Animus aeger turbae praebet spectaculum.
— 58 Avarum irritat, non satiat pecunia.
— 93 Bona imperante animo fiet pecunia.
— 126 Cogas amantem irasci, amare si velis.
— 129 Conscientiae potius, quam famae attenderis.
— 135 Contemni levius est stultitiae, quam percuti.
— 160 Damnum, nisi ex abundantia, raro venit.
— 193 Etiam bonum saepius obest adsuescere.
— 226 Feras quod laedit, ut et id, quod prodest, feras.
— 254 Grave judicium est, quod judicium non habet.
— 268 Heu quam conscientia animi gravis est servitus.
— 276 Homo semper in os fert aliud, aliud cogitat.
— 296 Imprudens peccat, quem post facti poenitet.
— 307 Infirmi animi est, non posse divitias pati.
— 314 Inimico extincto exitium lacrymae non habent.
— 330 Intellige, ecquae sint, ut et bene agas bona.
— 382 Malam rem cum velis, honestatem improbes.
— 423 Miseriam nescire est sine periculo vivere. (*Gruter. sine periculo est vivere.*)

Vs. 506 Nulla ~~hominum major poena est,~~ quam infelicitas.
— 513 Nullus tantus quaestus, quam quod habeas parcere.
(Vide inter Trachic. Non est alias etc.)
— 540 Patiens et fortis se ipsum felicem facit.
— 575 Potest non esse honestum, quod non liberum est.
— 578 Probi delicta judex legens deterit.
— 601 Quam magnum est non laudari et esse laudabilem.
— 647 Qui pote nocere, timetur, cum etiam non adest.
— 657 Qui timet amicum, vim non novit nominis.
— 674 Quod vitiosum est, quo animo facias, nihil interest.
(Vide supra Notam Bothii.)
— 774 Veterem fevendo injuriam vitas novam.
— 800 Duplex fit bonitas, simul accesserit celeritas.
— 801 Esse necesse est vitia minima maximorum maxima.
— 802 Est beneficium eo carere, quod invitus possideas.
— 805 Exul is, cui nusquam domus est, sine sepulchro est mortuus.
— 813 Heu quam miserum est discere servire, ubi dominari doctus es.
— 817 Homo semper aliud fert in se; in alterum aliud cogitat.
— 828 Miseriam nescire propriam, est sine periculo vivere.
— 834 Nescit is nocere, qui nocere velle perdidit.
— 837 Nil rationis est, ubi res semel in affectum venit.
— 851 Proximum tenet locum confessio innocentiae.
— 856 Regibus pejus est multo, quam ipsis servientibus.
— 857 Res bona est non exstirpare sceleratos, sed scelera.
(Sed vide supra Notam Bothii.)
— 866 Solitudinem quaerat, qui vult cum innocentibus vivere.
— 868 Tam deest quod habet avaro, quam misero quod non habet.
— 870 Tolerabilior, qui mori jubet, quam qui male vivere.
— 873 Ubi sis cum tuis, et absis patria, eam desideres.
(Sed vide Notam Bothii.)
— 874 Vita hominis brevis; ideo honesta mors est immortalitas.

F. H. BOTHII

NOTAE

IN D. LABERII PROLOGUM ET FRAGMENTA.

PROLOGUS.

Vs. 4 — Nulla unquam largitio.] *Unquam* plus dicere videtur, quam pro re, cum juventutis tantum tempus Laberius intelligat. Quare malim *nulla quem largitio.* [B.]

Vs. 10 — Cui nihil potuerunt.] Scribendum metri causa: Cui nil potuerunt, et versu ultimo: *nil nisi nomen retineo.* [B.]

Vs. 12 — Ego, bis tricenis annis sine nota.] Both. ed. *Ergo, annis bis tricenis actis sine nota.*

Vs. 18 — Floris cacumen.] Melius Iust. Specil. Crit. et Wieland: *Florens cacumen.* [B.]

Vs. 21 — Non flexibilem me.] Ita libri κακομέτρως. Scribend.: *Non me flexibilem.* [B.]

Vs. 22 — Nunc quo me dejicis?] Scribendum: *Nunc dejicis quo me?* Sed Aspas. et Pith.: *Nunc dejicis quo?* omisso me. [B.] Conf. Casp. Orell. in Eclog. vet. poet. p. 116. [O.]

Vs. 25 — Vires arboreas necat.] Varie tentatur *necat.* Scribendum fortasse *necat.* [B.] At hoc videtur languidius et nihil omnino mutandum. [O.]

Vs. 26 — Amplexu annorum enicat.] Scribendum forte *annosum.* [B.] Imo *annorum* multo videtur significantius. [O.]

Libertatem perdidimus.] Sic recte Edd. vett. *perdimus* Camerar. et Both. [O.]

Non possunt primi omnes esse in tempore.] Scribendum: *Non possunt primi esse omnes omni in tempore.* [B.]

Consistes aegre et quam descendas, decides.] Scribendum: *Consistes aegre et citius quam ascendas, cades*

metro requirente; et *cades* habet etiam Sanado ad Horat. I. Sat. X. 6. [B.] Sententiam quod attinet, comparanda omnino Iesu Siracidae verba IX. Vs. 5. 6. Πολλοὶ Τύραννοι ἐκάθισαν ἐπὶ ἐδάφους, ὁ δὲ ἀνυπονόητος ἐφόρεσε διάδημα. Πολλοὶ δυνάσται ἠτιμάσθησαν σφόδρα, καὶ ἔνδοξοι παρεδόθησαν εἰς χεῖρας ἑτέρων. ubi Bretschneider V. cl. p. 185. praeter hos Laberii versus apposite citat Gnomic. p. 187. ed. Brunk:

Οὐδ' ἀσφαλὲς πᾶν ὕψος ἐν θνητῷ γένει,
Ὁ περιέτρεψεν ἢ χρόνος τις ἢ φθόνος. [O.]

IN FRAGMENTUM EX RESTIONE.

Vs. 4 — Effodit.] Haud inepte scripseris: *effudit* i. e. perdidit. [B.]

Vs. 6 — Splendorem pecuniae.] Both. ed. *splendore e pecuniae.* Nonius: *splendore pecuniae.*

Vs. 7 — Elucificari exitum aetati.] Nonius: *elucificari exitum aetatis.*

IN SENTENTIAS VARRONI ADSCRIPTAS.

(pag. 74. ed. nostrae.)

Vs. 2 — Datum vix ne beneficium, sed praedam putes.] Sic Both. Vulgo:

Vix datum ne beneficium putes, sed praedam. [B.]

Vs. 7 — Vis experiri amicum, calamitosus fi. Sic legendum pro *fias.* [B.]

Vs. 21 — Sis progrediri ad summum, ordire ab infimo. Libri κακομέτρως: *Si vis ad summum progredi, ab infimo ordire.* [B.]

Vs. 22 — Multi laudem amittunt, quam ipsi de se dicunt. Haec ita versifices licet:

Amittunt multi laudem, quam ipsi praedicant.

vel sic: *Multi suam laudem amittunt, cum ipsi praedicant.* [B.]

Praeter editas a Barthio et patrueli meo, complures Varronis istius personati sententiae sparsae leguntur per speculum doctrinale Vincentii Bellovacensis [qui secundum I. Alb. Fabricium Biblioth. med. et infim. Latinit. Tom. VI. pag. 298. ed. Mansi regnante Philippo Augusto Lutetiae literis operam navavit et unus e primis fuit, qui ordini Praedicatorum se adjunxerunt, obiit autem anno 1264.] Ac primum quidem, dum vastissimum librum aliud agens percurro, non sine bona spe de veri Varronis reliquiis ibi conditis, omnes colligere statueram publicique juris facere; sed simulac recentioris aevi, seculi quinti, vel sexti, ut opinor, istum esse foetum deprehendi, consilium nimiam molestiam frustra mihi creaturum, neminique profuturum, statim abjeci. Per hanc tamen occasionem decem Pseudo — Varronis sententias inde petitas hic subjungere juvat, ut constet omnibus, quam inanem operam ludat, qui in senarios talia redigere conetur.

1. *Spec. Doctr. Lib. V. C. 44. Varro in Sententiis:* Alit autem concordiam mores ad cohabitantium animos formare.
2. *Ibid. C.* 46 — Ex animo dantis censetur munus magnum.
3. *Ibid. C.* 53 — Turpissimum est in datis sperare. (*sic etiam C.* 50.) pulcerrimum autem cum foenore data reddi. (Conf. Barth. 5. et 6.)
4. *Ibid. C.* 115 — Fides est media et opinionis et scientiae neutram attingens.
5. *Ibid. C.* 119 — Desiderata non habita magni fiunt; habita vilescunt.
6. *Ibid. C.* 121 — Non tam modeste quivis sua miratur, quam aliena; hoc autem fit, quoniam nemo sibi invidet.
7. *Ibid. C.* 124 — In multis contra omnes sapere desipere est.
8. *Ibid. C.* 142 — Viatores non eunt, ut eant; sic et vita non sui causa fit, sed ut ea praeclarum aliquod fiat. Utile quidem, sed inglorium est, ex illaborato in alienos labores succedere.
9. *Ibid. C.* 148. — Adulationis specimen est, cum laus praestolationem praecedit.
10. *Ibid. C.* 174 — Qui in magnis excellit, etiam invitus laudabitur.

Sed manum de tabula. Barthianae omnes fere in Vincentii Speculo reperiuntur, alias similes ex Proverbiis sapientum saepissime laudat. Ceterum optandum sane est, ut Criticus aliquis diligenter tandem excutiat editionem Antonii Coburgeri Norimbergensem (de anno 1483.) propter latinorum scriptorum locos innumerabiles e Codicibus nunc plerumque deperditis excerptos. Usus inter alios est Vincentius et Tibullo et Quinctiliano, quos seculo demum quinto decimo e tenebris productos vulgo narrant. Publium Syrum, quantum memini, nusquam ad partes vocat. [*Casp. Orellius.*]

Tandem errores sequentes, qui irrepserunt in editionem nostram, omissos in Errorum Indiculo corrigas quaeso, Lector benevole.

Praefat. P. V. lin. 5. ad calcem Terentius et Phaedri lege ad calcem Terentii et Phaedri.

pag. 36. Vs. 558. impetrant l. imperant.

— 109. Camerar. Sent. 19.

Bene tardius nolentis instar est volens.

Haec ita distingue:

Bene tardius, nolentis instar est, volens.

ut sensus sit: Benevolens tardius nolentis instar est. Conf. Ioh. Scaliger Iamb. Gnom. XXVIII.

— 145. Scaliger Iamb. Gnom. XXI. Vs. 4. Nec opera l. Nec operta.

— 149. ibid. XLI. Vs. 1. erimen l. crimen.

In Notis pag. 205. lin. 19 — alienos, quibus tua relinquas l. alienos, quibus tua leges.